Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

#
Grasset
(Didier)

347494

FAMILIARIVM COLLOQVIORVM

[redacted] opus, ab autore diligẽter recognitum, emendatum, & locupletatũ, adiectis aliquot

ex libris pet. Nouis. Viennes. 1

APVD GRYPHIVM
LVGDVNI,
ANNO
M. D. XXXI.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1897
Digitized by Google

#C Gradine
Didier

847494

FAMILIARIVM COLLOQVIORVM

[redacted]opus, ab autore diligẽter recognitum, emendatum, & locupletatũ, adiectis aliquot nouis.

APVD GRYPHIVM
LVGDVNI,
ANNO
M. D. XXXI.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1897
Digitized by Google

Digitized by Google

D. ERAS. ROT. OPTIMÆ ſpei puero Ioanni Eraſmio Frobenio S. D.

EXCIT libellus tibi dicatus expectationẽ noſtrã, Eraſmi mellitiſſime, tuum erit uidere ne fallas expectationem noſtram. Ille ſic adamatur, ſic rapitur, ſic teritur manibus ſtudioſæ iuuentutis, ut & patri tuo fuerit ſubinde typis excudendus, & mihi nouis acceſſionibus identidem locupletandus, dícas & illum ἐξάσμιον quempiam eſſe, deliciasq; Muſarum ſacra colentium. Quo magis adnitendum erit, ut tu quoq; ſis, quod díceris, hoc eſt, ut literis & morum probitate ſis omnibus bonis chariſſimus. Vehemẽter autem pudendum fuerit, ſi quum tam multos hic libellus & latiniores reddiderit & meliores, tu cõmiſeris, ut ad teipſum nõ redierit eadem utilitas, quæ per te peruenerit ad omnes: quumq; tam multi ſint adoleſcentes, qui tibi nomine Colloquiorũ gratias agunt: nónne merito cenſeatur abſurdũ, ſi tua culpa factum uideatur, quo minus

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1897

Digitized by Google

mihi possis eodem nomine gratias agere. Accreuit libellus ad iustã uoluminis magnitudinem, tibi quoq; conandum est ut quãtum accrescit ætas, tantum accedat & honestæ eruditioni, & morum integritati. Sustines non uulgarem expectationẽ, cui respondere necessarium, uincere pulcherrimum fuerit, certe fallere sine summo dedecore non potes. Nec hoc dico, quod hactenus pœniteat profectus tui, sed ut currẽti calcar addam, quo curras alacrius, præsertim quum eam ætatẽ ingressus sis, qua non alia continget felicior ad imbibenda literarum ac pietatis semina. Fac igitur, ut hæc colloquia uere tua dici possint. Dominus Iesus seruet istam ætatem tuã puram ab omnibus inquinamentis, semperq; ad meliora proueheat. Vale. Basileæ Calend. Augu.

ANN.

M. D. XXIIII.

Digitized by Google

FAMILIARIA

COLLOQVIA IN PRIMO CONGRESSV.

ON temere docet quidã, ut salutemus libẽter. Comis enim & blãda salutatio sæpe conciliat amicitiã, inimicitiã diluit: certe mutuã beneuolentiã alit augetq;. Quidã usq; adeo Demeæ sunt, ingenioq; agresti, ut uix salutati resalutẽt.

Nõnullis hoc uitij cõciliauit educatio uerius, quàm natura.

Vrbanitatis est salutare obuios, aut eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia: Itẽ operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tussientes. In ructu crepituue uentris salutare, hominis est plus satis urbani.

Sed inciuilius etiam cum salutare, qui reddit urinã, aut aluum exonerat.

Salue pater, salue matercula, salue mi frater, salue præceptor obseruande, salue multũ mi patrue, salue dulcissime nepos.

Vrbanũ est addere cognationis aut affinitatis titulũ, nisi cũ habẽt aliquid odij: tũ enim præstat abuti minus quidẽ proprijs, sed plausibilioribus: Veluti cũ nouercã salutamus matrẽ, priuignũ filiũ, uitricũ patrem, sororis maritũ fratrẽ, fratris uxorẽ, sororem. Idẽ in ætatis aut

Digitized by Google

officiorũ titulis faciendum. Gratius enim fuerit, si sene, patrem aut uirũ eximium salutes, quàm ætatis cognomine, salue præfecte, salue tribune. Non autẽ, salue caligarie, aut calcearie. Salue adolescens, salue iuuenis. Senes ignotos adolescentes filiorũ cognomento salutant, adolescentes uicissim illos patres aut dominos.

BLANDIOR SALVTATIO INTER AMANTES

Salue
- mea Corneliola.
- mea uita.
- mea lux.
- meum delicium.
- meum suauium.
- mel merum.
- mea uoluptas unica.
- meum corculum.
- mea spes.
- meum solatium.
- meum decus.

HONORIS GRATIA, AVT SECVS.

Salue here. Obe salue tu quoq; bone uir. Salue uir ornatissime, clarissime. Salue etiã atque etiã literarũ decus. Salue plurimũ amicorũ optime. Salue mi Mecœnas. Salue patrone singularis. Salue uir spectatissime. Salue unicum huius ætatis ornamentũ. Salue Germaniæ deliciũ. Saluete quotquot estis una salute omnes. Saluete pariter omnes. Saluete belli homunculi. Salue cõgerro lepidissime. Salue uini pnicies. R E. Salue & tu gurges helluoq; placẽtarũ. Salue multũ uirtutis omnis antistes.

Digitized by Google

antistes. R E. Salue tantundē totius probitatis exēplar. Salue anicula annos nata quindecim. R E. Salue puella annorū octoginta. Bene sit tibi cum tuo caluitio. R E. Bene tibi cū lacero naso. Vt salutaris, ita resalutaberis. Si male dixeris, peius audies. Salue iterū atq; iterum. R E. Et tu salue perpetuū. Salue plus milies. R E. Equidem malim saluere semel. Salue quantū uis. R E. Et tu quātū mereris. Saluere te iubeo. R E. Quid si nolim? Equidem ægrotare malim, quàm tua salute saluere.

Salua sit tua { Sanctitas. / Amplitudo. / Celsitudo. / Maiestas. / Beatitudo. / Sublimitas. } magis uul= go rece= pta sunt q̄ probata do ctis.

IN TERTIA PERSONA.

Sapidus Erasmo suo salutem dicit.

Sapidus Beatum suum plurima salute impartit.

ALIA FORMA.

Saluus sis Crito. Bene tibi sit uir optime. R E. Et tibi melius. Pax tibi frater: Christiana salutatio est, à Iudæis profecta, neq; tamen repudianda. Similis est, Bona uita. Aue præceptor. R E. Equidem malim habere, quàm a Pa. Stadbroma a Significatione Græcorum saluere. Χαῖρε. R E. Memento te Basileæ esse, non Athenis. R E. Quur tu igitur audes Romane loqui quum Romæ non sis?

BENE PRECANDI FORMVLAE.

Et bene precari salutationis genus est.

GRAVIDAE.

Digitized by Google

Faxit deus, ut feliciter parias: Vt maritum pulchra prole facias parentem. Faxit illa uirgo mater, ut feliciter fias mater. Precor, ut hic tumor uteri feliciter subsidat. Velint superi, ut non maiore molestia elabatur, quàm illapsum est, quicquid est hoc oneris quod gestas. Donet tibi deus felix puerperium.

CONVIVIS.

Sit felix conuiuium. Bene sit uniuerso cœtui.
Precor omnia læta uobis omnibus.
Deus bene fortunet uestrum conuiuium.

STERNVTANTI.

Sit faustum ac felix. Seruet te deus. Sit salutiferum. Bene uertat deus.

AVSPICANTI QVIPPIAM.

Sit felix & faustum reipub. Bono sit omnibus, quod instituis. Bene uertat, quod agis. Bene fortunet deus tuos labores. Faueant superi tuis conatibus. Quæso ut quod instituisti, superis bene fortunantibus, feliciter absoluas. Bene fortunet Christus Opt. Max. quod in manibus est. Feliciter cedat, quod instituisti. Feliciter exeat, quod aggressus es. Rem sanctam aggressus es, precor ut felix sit exitus, ac prosperum numẽ aspiret pulcherrimis cœptis. Christus bene cœpta secũdet. Prospere succedat, quod auspicatus es. Deum opt. maximumq; precor, ut istud consilium quàm est honestũ, tam sit & felix. Bonis auibus cœpta res, melioribus exeat. Precor, ut bonis auibus Italiam adeas, melioribus redeas. Opto tibi felicẽ cursum, & recursum feliciorẽ. Faxit deus, ut itinere hoc feliciter peracto, breui tibi prosperũ reditum

Digitized by Google

tum gratulemur. Contingat tibi feliciter & nauigare, & renauigare. Sit iter lætum, reditus lætior. Vtinã ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. Vtinam tibi tam iucunda sit ista profectio, quàm nobis erit interim molestũ tui desideriũ. Bonis auspicijs soluas anchoram. Precor ut ex utriusque uotis succedat hoc iter. Precor ut hic contractus cõmodo bonóq; sit utrisque. Precor ut hoc matrimoniũ uoluptati sit omnibus nobis. Sospitet te Iesus Opt. Max. Superi ~~propitij~~ te nobis incolumen restituant. Seruet deus animæ dimidiũ meæ. Opto tibi reditũ incolumẽ. Precor ut hic annus tibi lætis auspicijs incat, lætioribus ~~procedat~~, lætißimis exeat, ac sæpius recurrat semp felicior. RESPON. At ego uicißim tibi multa secula felicißima precor, ne tu gratis sis nobis bene precatus. Precor ut hic dies tibi candidus illuxerit. Precor ut hic sol tibi felix surrexerit. RESPON. Tantundem tibi reprecor. Sit felix exortus huius diei, & sit utriq; nostrũ prosperrimus. Opto tibi noctem prosperam pater. Præcor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix somnus. Det deus placidam quietẽ. Det somnũ absq; somnijs. Faxit deus, ut aut placide dormias, aut feliciter somnies. Sit tibi fausta nox. RESPON. At ego tibi, quãdo gaudere soles lucro, pro una fausta mille precor faustißimas.

VALE IN DIGRESSV.

Valete omnes. Bene uale. Cura ut quàm rectißime ualeas. Valetudinẽ tuã cura diligenter. Iubeo te bene ualere. Iam me tẽpus aliò uocat, tu ualebis. Valeto quàm optime. Vale pancratice, aut si mauis athletice. Vale ut dignus

Pancratice. Vide Eras. Chil. 2. cen. 8. proue. 86.

dignus es. Vale ut meritus. In hoc biduum ualebis. Si me dimittis, ualebis in crastinum. Nũ quid uis? Est aliud quod me uelis? RESPON. Nihil nisi ut prospere ualeas. Da operam, ut sis prospera ualetudine. Age curam ualetudinis tuæ. Habe curam salutis tuæ. Fac ut proximo congressu te lætum ac nitidum uideamus. Iubeo te curare cuticulam. Cura ut sit mens sana in corpore sano. Da operam ut totus ualeas, tum corpore, tum animo. RE. Dabitur quidem opera, Valebis tu quoq;. Tibi uicissim precor prosperam ualetudinem.

SALVTARE PER ALIVM.

Frobenium iubebis meo nomine saluere plurimum. Erasmiolum item mea causa salutabis diligenter. Tum matri Gertrudi quàm potes officiosissime, ex me salutem dicito. Dic me omnibus omnia læta precari. Salutabis mihi sodalitatem diligenter. Amicos omnes meis uerbis salutato. Vxori salutem ex me annunciabis. Fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem ascribes. Mei uice salutabis affinem meum. Num quid tuis mãdas per me? RE. Vt recte ualeãt. Est ne quod æquis ad tuos perferri meo nuncio? RESPON. Multam salutem omnibus, sed præcipue patri. Sũt quos per me tuo nomine uelis salutatos? RESPON. Omnes qui de me percontabuntur. Salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum fœnore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omneis mea gratia uicissim salutabis accurate. In amicis salutandis sis quæso mihi uicarius. Salutassem generum meum per literas, sed tu mihi apud illum epistolæ uice fueris. Heus heus quò properas? REPSPON. Rectà

Louanium.

Digitized by Google

Louanium. Resiste paulisper, est quod tibi mandē. RE. At qui pediti non conuenit sarcina. Quid rei est? RESPON. Vt Goclenium, Rutgerum, Ioannem Campensem, totumq; chorum trilinguem mihi salutes. RESP. Si nihil aliud imponis sarcinæ præter salutes, facile perferā. Atqui ne gratis isthuc facias, precor uti tibi quoq; eunti ac redeunti salus sit comes.

REDVCEM QVOMODO salutare oporteat.

Saluum te aduenire gaudemus. Sospitem adesse uolupe est. Te nobis redditum esse uoluptati est. Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis, quod nobis incolumis redieris. Quo molestius fuit nobis tui desiderium, hoc redditus conspectus tui iucundior est. Gratulamur & tibi & nobis, quod uiuus ac ualens nobis restitutus sis. Hoc reditus tuus est nobis iucundior, quo minus expectatus. RESPON. Ego uicissim lætor quod incolumis, uos incolumes offenderim. Quod te saluum repererim, uehemēter gaudeo. Nō uiderer mihi rediisse saluus, nisi uos saluos rēperissē. Nūc demū mihi uidcor sospes, cū uos incolumes ac pulchre ualentes cōspicio.

PERCONTANDI FORMA, In primo congressu.

GEORGIVS, LIVINVS.

GEOR. Ex qua tandem corte aut caula nobis ades? LIVI. Quid ita? GE. Quia male saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis? LI. E collegio montis acuti. GEOR. Ergo ades nobis onustus literis. LI. Imò pediculis. GE. Pulchre comitatus aduenis.

Digitized by Google

aduenis. L I. *Sanè, nec tutum est nunc uiatorem ire in comitatũ.* G E R. *Agnosco satellitium scholasticum. Et quid nouarum rerum adfers è Lutetia?* L I. *Illud in primis, quod, scio, tibi uidebitur incredibile: Lutetiæ Beta sapit, & Quercus concionatur.* G E. *Quid tu narras?* L I. *Hoc quod audis.* G E. *Quid ego audio?* L I V. *Hoc quod narro.* G E. *Monstri simile. Oportet illic fungos & lapides esse auditores, ubi tales concionentur.* L I. *Atqui sic res habet. Nec audita narro, sed comperta.* G. *Oportet igitur illic plurimum sapere homines, si sapit Beta & Quercus.* L I. *Recte coniectas.*

ALIA.

G E. *Valés ne?* L I. *Contemplare uultum.* G E. *Quin magis lotium iubes? An me putas medicum? Non rogo, quid ualeas, nam facies ipsa loquitur te belle uallere, sed quomodo tibi placeas.* L I. *Corpus quidem belle habet, sed animo male est.* G E O R. *At non ualet, qui isthac parte laborat.* L I. *Sic res habent meæ: Corpus ualet, sed ægrotat crumena.* G E O R. *Facile isti morbo medebitur mater. Vt ualuisti usque?* L I. *Varie, ut sunt res mortalium.* G E O R. *Satin' recte uales? Saluá ne res? Satin' salua res? Fuisti ne semper prospera ualetudine?* L I V I. *Prosperrima, gratia superis. Ego dei beneficio perpetuo bellißime ualui. Semper prospera ualetudine sum usus. Hactenus bona ualetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, secunda, integra, basilica, athletica, pancratica ualetudine.* G E O R. *Faxint superi, ut isthuc sit perpetuũ ac propriũ. Lætus isthuc audio. Voluptatem mihi nuncias. Est isthuc mihi auditu*

per

per quàm iucundum. Sermonem istum ex te audire supra modum gaudeo. Isthuc haud inuitus audio. Oppido lætor isthuc audire ex te. Vt idem semper facias opto. Vt ad istum modum quàm diutißime ualeas opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiam habeo superis. L I. Equidem pulchre ualeo, si tu uales. G E. Nihil interim molestiæ fuit? L I V I. Nihil, nisi quod uestra consuetudine frui non licuit. G E O R. Quo pacto uales? L I V I. Recte, pulchre, belle, perbelle, bellißime, perpulchre, feliciter, commode, minime male. Valeo ut uolo potius quàm mereor, basilice, pancratice, athletice. G E. Expectabam, ut diceres etiam, taurice.

MALE VALERE.

G E O R. Recté ne uales? L I V I. Vellem quidem. Nõ admodum ex sententia. Equidem utcunq; ualeo. Sic satis. Valeo ut possum, quando ut uolo non licet. Vt soleo. Ita ut superis uisum est. Non optime sanè. Sic ut antehac peius nunquam. Valeo ut solitus sum. Valeo ut solent, quibus cum medicis res est. G E O R. Vt uales? L I V I. Secus quàm uellem. G E O R. Qua ualetudine es? L I V I. Haud sanè commoda, incommoda, per quam incommoda, infelici, parum prospera, parum secunda, mala, aduersa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, uix mediocri, longe alia quàm uellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis. G E O R. Rem mihi sanè quàm acerbam narras. Prohibeant superi. Auertat deus. Bona uerba. Hic cupiam te uanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infractoque sis animo. Multum iuuat animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunæ secundioris

ris Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? LIVI. Nescio, & hoc laboro periculosius. GEOR. Verum. Nam ad sanitatem gradus est, nouisse morbum. Nullos ne consuluisti medicos? LIVI. Et quidem permultos. GEOR. Quid respõdent? LIVI. Id quod aduocati Demiphoni apud Comicum, alius negat, alius ait, aliud deliberandum censet. In hoc consentiunt omnes, me miserum esse. GEOR. Quàm pridem habet te hoc mali? Diu est quod teneris isto morbo? Quantum temporis est, quod te malum hoc corripuit? LIVI. Dies plus minus uiginti. Fermè mensis est. Iam tertius est mensis. Mihi quidem seculum uidetur, quod ægrotare cœpi. GEOR. Adnitendum censeo, ne morbus fiat familiaris. LIVI. Iam nimium assueuit. GEOR. Num est hydrops? LIVI. Negãt. GEOR. Num dysenteria? LIVI. Non arbitror. GEOR. Num febris? LIVI. Opinor febris esse speciem, sed nouam: ut nunc noui subinde morbi exoriũtur, antehac incogniti. GEOR. At plus satis erat ueterũ. LI. Ita uisum est naturæ nimium nouercæ. GE. Quoto die recurrit dolor? LI. Quoto die narras? imò quotidie sæpius q̃ Euripus. GEOR. Papæ malum abominandũ. Vnde cõtraxisti morbum? Vnde suspicaris hoc esse collectum mali? LIVI. Ex inedia. GEOR. At non soles usq; adeo superstitiosus esse, ut te ieiunio macerares. L. Non erat religio, sed inopia. GEOR. Quæ nã? LI. Quia non dabatur cibus. E frigore natũ arbitror. E pu tribus ouis morbum ortum suspicor. E uino plus satis di luto.

luto. E crudis malis contracta est stomachi cruditas. G. Vide ne ex immodico aut intempestiuo studio conciliaris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut Venere parum moderata. Quin accersis medicum? L I. Timeo ne citius morbum augeat, quàm adimat. Metuo ne pro remedio det uenenum. G E O R. Deligendus est igitur cui tutò fidas. L I V I. Si moriendum est, malo semel mori, quàm tot pharmacis excarnificatus. G E. Fac igitur, ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor ut sit tibi medici uice deus. Sunt qui tecti cuculla Dominicali aut Francisca reualuerunt. L I. Idē fortassis eue nisset, si lenonis pallio tecti fuissent. Verum ista diffidenti nihil conducunt. G E. Fide igitur, ut reuiuiscas. Alij morbo leuati sunt, nuncupatis alicui diuo uotis. LI. At ego cum diuis non paciscor. G. Proinde tu uel à Christo, cui fidis, pete sanitatis beneficium. L I. At ego an beneficium sit, nescio. G E. An non beneficium est liberari morbo? L. Nōnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi ut, quod scit optimum esse, mihi largiatur. G. Sume quod aluū deijciat. L. Iam sua sponte cita est. G. Ciendus est aluus. Mouendus est aluus. L I. Imò sistendus est magis. Nam plus satis profluit.

ALIA.

G E. Fuit ne tibi hoc iter faustum & cōmodū? L. Sic satis: nisi quod nihil usquam tutum est à latronibus. G E. Hic est belli ludus. L I. Est, sed sceleratissimus. G E. Pedes aduenis, an eques? L I. Partim pedestri itinere, partim uehiculo, partim equo, partim nauigio. G. Quo in statu sunt res Gallicæ? Sanè turbulento. Magnæ bellorum

rum minæ sunt. Quid mali allaturi sint hostibus, nescio: certe Galli iam ipsi non dicendis malis affliguntur. G. Vnde proficiscuntur isti bellorũ tumultus? L. Vnde nisi ex ambitione Monarcharum? G E. At horum prudentia conueniebat sedari rerum humanarum tempestates. L. Sedant illi quidem, sed ut auster mare. Persuadent sibi se deos esse, suáq; causa mundum hunc esse conditũ. G. Imò princeps reipublicæ gratia constituitur, non respublica principis causa. L. Imò non desunt Theologi, qui frigidam suffundant, & ad hos tumultus classicum canant. G E. Istos ego statuerem in prima acie. L. At illi sibi cauent post principia. G E. Ista publica fatis curanda relinquamus. Tuæ res quo tandem in statu sunt? L I. Optimo, felici, mediocri, tolerabili. G E O R. Quo pacto se res habent tuæ? num ex uoto? L I V I. Imò supra uotum, supra meritum, supra spem. G E O R. Satin' ex sententia? Satin' salua omnia? Satis ne prospera omnia? L I. Res in peiore statu esse non potest. Peiore in loco negocium non potest esse. G E O R. Non cepisti igitur, quod captabas? Non contigit præda quam uenabaris? L I V I. Venabar equidem, sed irata Delia. G E. Nihil reliquum est spei? L I. Spei permultum, sed rei nihil. G E O R. Episcopus nihil ostendit spei? L I. Tota plaustra, totas naues, sed præterea nihil. G E O R. Nihil adhuc misit? L I. Promisit quidem largiter, at ne teruncium quidem misit. G E O R. Ergo spe alendus est animus. L I V I. Sed hac non saginatur uenter. Qui spe aluntur, pendent, non uiuunt. G E O R G. Sed hoc eras ad iter expeditior, quod nihil esset oneris in

Tota plaustra. Ita Græci, ὅλας ἁμάξας. Vide Chi. 1. cent. 7. prouerb. 74.

Terũcius, quẽ Plinius truncẽ uocat, nũmulus est, in uilitatis prouerbiũ uersus. est quarta parsassis.

zona

zona. LI. Fateor, atq; etiá tutior. Nulla enim sunt arma certiora aduersus latrones. Sed ego malim & onus & periculum. GE. Nihil ne tibi ademptum est in uia? LI. Mihi ne? Quæso quid eripias nudo? Alijs citius periculũ erat à me. Licuit mihi uacuo uiatori p totũ iter canere & esurire. Num quid uis? GE. Quò nunc hinc abis? LI. Rectà domum, salutaturus penates, iam diu non uisos. GE. Precor ut illic offendas omnia læta. LI. Vtinã ita uelint superi. Nihil interim extitit noui domi nostræ? GE. Nihil, nisi quod reperies auctam famuliam. Nam tua Catulla peperit tibi catulũ absenti. Tua gallina peperit tibi ouum. LI. Bene nuncias. Grata nuncius. At ego tibi pro isthoc nũcio polliceor Euangeliũ. GE. Quodnam? secundum Matthæũ? LI. Non, sed secundum Homerũ. En, accipe. GE. Tibi serua tuũ euangelium. Mihi saxorũ satis est domi. LI. Ne sperne munusculum. Aëtites est, qui grauidis admotus in nixu, maturat partũ. GE. Quid ais? Est mihi sanè gratißimum. Dißpiciam, unde poßim hoc donũ pensare. LI. Abunde pensatum puta, si boni consulueris. GE. Imò nihil accidere potuit magis in tempore. Nã uxori meæ iam pridem tumet uterus. LI. Illud igitur abs te stipulabor, ut si masculum ædiderit, ~~me fusceptorem ascisas~~. GE. Pol liccor, ac tuũ indetur puero nomen. LI. Quod utrisque bene uertat. GE. Imò nobis omnibus.

In zona illic milites gestabant pecuniam.

Euangeliũ. Locus est ex ambiguo. Nam Euãgelium dicitur munus, qđ datur rem lætam nuntianti.

Mihi saxorum. Nã Aëtites lapidis genus ab aquila nomẽ habens. Vide Pliniũ lib. 37. cap. 11.

Stipulabor. Stipulatur qui promissum accipit. Nam paciscitur & qui promittit & cui promittitur.

PERSONAE.

MAVRICIVS. CYPRIANVS.

MAV. Rediisti nobis obesior solito. Rediisti procerior.

CY. At equidẽ mallẽ prudẽtior, aut doctior. M. Imber-

Digitized by Google

bis abieras, rediſti barbatulus. Contraxiſti tibi abſens nonnihil ſenij. Quid ſibi uult hic pallor, quid macies? quid frons ~~caperata~~? CY. Vt eſt fortuna, ſic eſt corporis habitus. MAV. Num aduerſa? CY. Nunquam mihi quidem aliâs ſecunda, ſed nunquam quàm nunc reflauit odioſius. MAV. Doleo uicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid iſthuc mali eſt? CY. Vniuerſæ pecuniæ naufragiũ feci. MAV. In mari? CY. Non, ſed in littore nondum nauem ingreſſus. MAV. Vbinam? CY. In littore Britannico. MAV. Bene habet quod ipſe nobis uiuus enataſti. Præſtat pecuniæ iacturam facere, quàm uitæ. Leuius eſt pecuniæ diſpẽdium quàm famæ. CY. Vita famáq; incolumi, periit pecunia. MAV. Vita ſarciri nullo pacto poteſt, fama ægre poteſt, pecunia facile alicũde ſarcietur. Qui malum hoc accidit? CY. Neſcio, niſi quod ſic erat in fatis meis. Sic uiſum eſt ſuperis. Sic libuit genio meo malo. M. Vides igitur doctrinã ac uirtutẽ tutiſſimas eſſe diuitias, quæ nec eripi poſſunt, nec grauãt circumferẽtem. CY. Pulchre tu quidẽ philoſopharis: ~~ſed interim ego ringor~~.

ALIA. PERSONAE.

CLAVDIVS, BALBVS.

CL. Gratulor tibi reduci Balbe. BAL. Et ego tibi ſuperſtiti Claudi. CL. Gratulor tibi in patriã reuerſo. BAL. Imò gratulare magis è Gallia profugo. CL. Quid ita? B. Quia illic bellus feruẽt omnia. CL. Quid Muſis cum Marte? BAL. Atqui illic ne Muſis quidẽ parcitur. CL. Tu igitur feliciter elapſus es. BAL. At nõ ſine periculo. CL. Totus alius nobis rediſti. BAL. Qui ſic?

Digitized by Google

Qui sic? C L. Ex Hollando uersus es in Gallũ. B A L. Quid? an capus eram quum hinc abirem? C L. Vestis indicat te mutatum ex Batauo in Gallum. B A L. Hanc metamorphosin malim quàm in gallinam. Sed ut cuculla non facit monachũ, ita nec uestis Gallum. C L. Iám ne calles Gallice? B A L. Sic satis. C L. Quo pacto didicisti? B A L. A magistris haudquaquam mutis. C L. Quibus? B A L. A mulierculis quouis turture loquacioribus. C L. In tali ludo facile discimus loqui. Sonás ne probe sermonẽ Gallicum? B A L. Imò & Latinũ sono Gallice. C L. Nunquam igitur scribes bona carmina. B A L. Quur ita? C L. Quia periit tibi syllabarum quãtitas. B. Mihi satis est qualitas. C L. Quid, est ne Lutetia immunis à pestilẽtia? B A L. Nõ est, sed perpetua nõ est: aliquãdo remittit sese, mox recrudescit: nonnunquam intermittitur, deinde recipit sese. C L. Nõ sat erat malorũ, ubi bellum est? B A L. Erat, nisi secus esset uisum superis. C L. Annonæ caritatem isthic esse oportet. B A L. Imò penuriã. Omnium rerũ illic inopia est, prætcrquàm sceleratorũ militum. Bonorum uirorũ illic est mira uilitas. C L. Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiãt cum Aquila? B A L. Quia mouet illos exemplũ Scarabæi, qui non cessit Aquilæ. In bello nemo sibi non uidetur Hercules. C L. Nõ te remorabor diutius. Aliâs latius nugabimur, quum erit utriq; commodum. Nunc aliò me uocant negociola quædam.

An capus. Iocus est ex ambigua uoce Gallus.

Metamorpho. Trãsformatio.

Bona car. Allusit ad hoc quod uulgus Gallorũ perperam pronũciat accẽtus.

DOMESTICA CONFABVLATIO.

Personæ. Petrus, Mida puer, Iodocus.

P E T. Heus heus puer, nemón' huc prodit? M I. Hic

opinor effringet fores. Familiarẽ oportet esse. O lepidũ caput. Quid adfers mi Petre? P E. Meipsum. M. Næ tu rem haud magni precij huc attulisti. P E. Atqui magno constiti patri meo. M I. Credo, pluris quàm reuẽdi possis. P E. Sed Iodocus est ne domi? M I. Incertus sum, sed uisam. P E. Quin tu potius abi, & roga ipsum an uelit nũc eẽ domi. M. Abi tu potius, sisq; tibi ipsi Mercurius. P E. Heus Iodoce, num es domi? I N. Non sum. P E. Impudens, nõ ego audio te loquentẽ? I O. Imò tu impudentior. Nuper ancillæ tuæ credidi te non esse domi, & tu nõ credis mihi ipsi? P E. Aequũ dicis, par pari relatum. I O. Equidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Tibi posthac semper ero. P E. Sed tu mihi uidere cochleæ uitam agere. I O D. Qui sic? P E. Quia perpetuo domi latitas, nec usquam prorepis. Non secus atq; claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. I O. Est quod agam domi, foris nihil est negocij. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuisset. P E. At nunc sudum est, & inuitat ad deambulandum. Vide ut blanditur. I O. Si prodeambulare lubet, nõ recuso. P E. Planè uidetur hoc utendum cœlo. I O. Ascisendus est unus aut alter congerro. P E. Fiet, modo dicas, quos uelis. I O. Quid si Hugonem? P E. Haud multum interest inter Hugonem & Nugonem. I O. Age placet. P E. Quid si Alardum? I O. Homo minime mutus est. Quod auribus diminutum est, lingua pensat. P E. Si uidetur, Neuium adiungemus. I O. Si quidem dabitur illius copia, nunquam erit fibularum inopia. Placent confabulones, supereſt ut locum dispi

Nuper ancillæ. Alludit ad id quod Cicero refert de Ennio & Nasica.

Claud. sutor. Vide in Chil. 3 Cent. 2. prouerbio 20.

Digitized by Google

diſpicias amœnum. P. *Ego uero tibi locũ oſtendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum ſmaragdinũ uirorem, nec fontium uiuas ſcatebras deſiderabis. Dices dignam muſis ſedem.* I O. *Magnifice polliceris.* PE. *Nimium affixus es libris. Nimiũ aſsides libris. Immodico ſtudio te maceras.* IO. *Malim ſtudio macreſcere, quàm amore.* PE. *At non ideo uiuimus, ut ſtudeamus, ſed ideo ſtudemus, ut ſuauiter uiuamus.* IO. *Mihi uero uel immori chartis dulce eſt.* PE. *Equidem immorari probo: immori non probo. Ecquid uoluptati fuit hæc deambulatio?* IO. *Me quidem uehementer oblectauit.*

ALIA. PERSONAE.

AEGIDIVS LEONARDVS.

AEG. *Quò noſter Leonardus?* LE. *Ad te ibam.* AEG. *Iſtud quidem facis inſolens.* LE. *Quam ob rem?* AEG. *Quia iam annus eſt, quod nos nõ uiſeris.* LE. *Malo in hãc peccare partẽ, ut deſiderer, quàm ut obtundã.* AE. *Imò boni amici nulla eſt apud me ſatietas. Imò quo crebrius uenies, hoc mihi uenies gratior.* LE. *Quid ĩterim agitur domi tuæ?* AE. *Multa ſanè, quæ nolim.* LE. *Non miror. Sed iám ne pepcrit uxor?* AE. *Iamdudũ, & quidem gemellos.* LE. *Quid ego audio?* AE. *Sic res habet, atq; illi iam denuo tumet uterus.* LE. *Iſthoc pacto ſolet augeri familia.* AE. *Sed utinã fortuna ſic augeret pecuniã, ut uxor familiã.* LE. *Iám ne elocaſti filiã?* AE. *Nõdũ.* LE. *Vide ne parũ tutũ ſit uirginẽ tam grandẽ deti nere domi. Quærẽdus eſt gener aliqs.* AE. *Nihil opus. Iam proci cõplures illã ambiũt ſponſam.* LE. *Quid igitur ſupeſt, niſi ut è multis deligas, q tibi maxime ſit ac-*

commodus? AEG. Omnes eiusmodi sunt, ut nesciam, quē cui præferam, sed abhorret à nuptijs filia. LE. Quid ais? Atqui ni fallor, iamdudum nubilis est. Iamdudum est apta uiro, matura coniugio. Iampridē est tempestiua uiro. AE. Quid ni, annum egressa iam decimum septimū? Maior annis duo de uiginti. Annum iam agens undeuigesimum. Annos nata decem & octo. LE. Cur abhorret igitur à matrimonio? AE. Ait se uelle Christo nubere. LE. Sanè multas habet ille sponsas, An malo genio nupsit, quæ castæ uiuit cum marito? AE. Mihi quidē nō uidetur. LE. Quis deus hunc affectū afflauit filiæ? AE. Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. LE. Vide ne sint incantatores qui instigent & allectent. AE. Noui ego istos plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab ædibus meis. LE. Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellæ? AEG. Equidem obluctabor, quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam. Quod si pertendet, ut cœpit, non pugnabo cum illius animo, ne fortè uidear θεομαχῶ, uel potius μοναχομαχῶ. LE. Religiose tu quidem loqueris. Sed etiam atque etiam fac explores uirginis cō stantiam, ne post facti pœniteat, cum mutare nō erit integrum. AEG. Equidem adnitar pro mea uirili. LE. Quid rerum gerunt filij? AEG. Natu maximus iamdudum maritus est, breui pater futurus. Minimum ablegaui Lutetiam. Nam hic nihil aliud quàm ludebat. LE. Quid eò? AEG. Vt magister nobis redeat stultior quā exierat. LE. Bona uerba. AE. Medius iam cœpit initiari sacris. LE. Precor ut bene uertat omnibus.

Plagiū furti genus, unde Plagiarij dicuntur, q abducūt aliena mācipia aut liberos etiam.

θεομαχῶ, id est, cum deo pugnare.

μοναχομαχῶ cū monachis pugnare. Allusum est autē ad uocem μονομαχία quod est singulari certamine congredi.

Alia

ALIA. PERSONAE, MOPSVS, DROMO.

MOP. Quid fit? Quid agitur Dromo? DR. Sedetur. MOP. Video. Sed quomodo se res habent tuæ? DR. Vt solent ijs, quibus superi sunt parum propitij. MO. Isthuc ominis auertat deus. Quid agis? DR. Equidem ocium ago. Id quod uides, nimirum nihil. MO. Præstat ociosum esse, quàm nihil agere. Ego te fortaßis occupatum seriijs negotijs interpello. DR. Imò maxime uacuũ. Iam enim me ceperat ocij tædium, & congerronem desiderabam. MOP. Fortaßis impedio, interrumpo, interturbo tua negocia. DR. Imò tædium ocij discutis. MOP. Da ueniam si te parum in tempore interpellarim. DR. Imò ipso in tempore aduenis. Opportune te huc attulisti. Optatus ades. Interuentus tuus est mihi uehementer gratus. MOP. Fortaßis aliquid seriæ rei inter uos agitur, cui nolim esse impedimento. DR. Imo lupus, quod aiunt, ades in fabula. Nam de te sermo erat. MOP. Facile crediderim, nam mihi huc uenienti mire tinniebat auris. DR. Vtra? MO. Læua. Vnde cõijcio nihil magnifice de me fuiße prædicatum. DR. Imò nihil non honorificum. MOP. Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei? DRO. Aiunt te uenatorem esse factum. MOP. Imò iam intra cassses meos est præda, quam uenebar. DR. Quænam? MO. Lepida puella, quã perendie ducturus sum, uosq; oro ut meas nuptias uestra præsentia dignemini honestare. DR. Quænam est sponsa? MOP. Aloisia Chremetis filia. DR. Egregium spectatorem formarũ. Tuis oculis adlubuit illa ni

Lupus in fabu. Vide Chil 3. cẽ tu. 8. pucr. 36.

gro capillitio, ~~simis naribus~~, ore prælargo, uentre pro= minulo. MO. Desinite. Mihi eam duxi, non uobis. Non sat est, quod suo regi pulchra est regina? Ita demũ illa mihi placebit, si uobis non admodum placeat.

Suo regi pul. Vide prouerb. Suum cuiq; pul chrum.

ALIA. SYRVS, GETA.

SY. Opto tibi multam felicitatem. GE. Et ego tibi con= duplicatum opto, quicquid optas mihi. SY. Quid agis rei? GE. Confabulor. SY. Quid confabulare solus? GE. Vt udes. SY. Fortasse tecum. Proinde tibi uidendum, ut cum homine probo fabuleris. GE. Imò cum lepidis= simo congerrone confabulor. SY. Quo? GE. Apuleio. SY. Istud quidem nunquam nõ facis. Sed amant alterna Camœnæ. Tu perpetuo studes. GE. Nõ est ulla studio= rum satietas. SY. Verum, sed est tamen modus quidã. Non omittenda quidem sunt studia, sed tamen intermit= tenda nõnunquam. Non obijcienda sunt, sed relaxan= da. Nihil suaue quod perpetuum. Voluptates commen= dat rarior usus. Tu nihil aliud quàm studes. Perpetuo studes. Continenter incumbis literis. Indesinenter in= hæres chartis. Studes noctes ac dies. Nunquam non stu des. Assiduus es in studio. Iugiter intentus es libris. Nullum facis studendi finem, neq; modum. Nullam stu= dijs tuis requiem intermisces. Nunquam studendi labo= rem nec intermittis. GE. Age, tuo more facis. Rides me, ut soles. Nunc ludis tu quidem me. Salse me rides. Satyricum agis. Naso me suspendis adunco. Non me fallit tuum scomma. Nunc planè ioco mecum agis Sum tibi risui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nũc me ludos deliciasq; facis. Eadem opera assue mihi

auricu

auriculus asini. Ipsi codices puluere, situq; obducti loquuntur, quàm sim immodicus in studio. SY. Emoriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid fingo. Loquor id, quod sentio. Quod res est, dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio, quàm loquor.

CVR NON VISIS.

GE. Quid causæ est, quod tam diu nos non inuiseris? Quid rei est, quod nos tam raro uisis? Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi uult, quod nos tam diu non conueneris? Quid obstitit, quo minus uisus nos frequẽtius? Quid impedimento fuit, quo minus feceris nobis tui uidendi copiam?

NON LICVIT PER OCCVPATIONES.

SY. Nõ licuit per ocium. Volui quidẽ, at nõ licuit mihi per mea negocia. Hactenus nõ sinebãt negocia, ut te uiserẽ. Non patiebantur undæ negociorum, quibus inuoluebar, ut te salutarẽ. Occupatior fui, quàm ut potuerim. Tam uarijs distringebar curis, ut mihi nõ fuerit liberũ adire te, uix ipsi mihi fuit copia mei, sic me totũ molesta quedã negocia poßidebãt. Negocijs meis imputabis, nõ mihi. Nõ defuit uolũtas, sed uetuit neceßitas. Hactenus nõ uacauit. Hactenus nõ contigit ociũ. Hactenus nõ fuit uacuũ. Non licuit per ualetudinem. Non licuit per tempeßtatẽ. GE. Equidem accipio tuam excusationem, sed hac lege, ne sæpius utaris. Excusatio tua iustior est, quã uellẽ, si quidẽ ualetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod factũ est, officio sarcias. Si superiorẽ ceßationẽ crebra uisitatione pensés. SY. Tu nihil

moraris istiusmodi officia nimium uulgaria. Amicitia nostra firmior est, quàm ut sit officijs istis uulgaribus aliendа. Satis crebro uisit, qui constanter amat. GE. Male sit istis curis, quæ te nobis adimũt. Quid imprecer istis negocijs, quæ tuum amicum nobis inuident? Peßime sit isti febri, quæ nos tam graui desiderio torsit tui. Male pereat ista febris te incolumi.

MANDANDI AC POLLICENDI.

IACOBVS, SAPIDVS.

IA. Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atq; etiã rogo, ut hoc negocium tibi sit curæ. Hac in re uelim ut totum Sapidũ exeras. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Hac in re quæso, ut aduigiles. Curabis hãc rẽ mea causa diligẽter. Si uere is es, quẽ semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam hac in causa, quãti me facias. SAP. Desine, ego tibi hoc effectũ reddam, & quidem propediem. Euentũ præstare nõ possum: illud polliceor, mihi nec fidẽ, nec studium defuturũ. Curabo diligentius, quàm si mea res ageretur: quaquam meã esse duco, quæ sit amici. Fac ut in me quiduis desideres citius quàm fidem ac diligentiã. Tu fac in utranq; dormias aurẽ: ego tibi hoc confectũ dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciam omnẽ. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem animum in te meum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re præstabo, quicquid est amici synceri, & ex animo bene uolentis. Nolim te lactare uana spe. Illud effice iam, ut dicas hoc negocij mandatum amico.

In utrãque dor. uide Chil. 1. cẽtu. 8. puer. 19.

SVCCESSVS.

SAP. Res succesit opinione melius. Fortuna uotis utriusq;

utriusq; fauit. Si fortuna tibi nupsisset, nõ potuisset esse secũdior. Res tua & uẽtis, & amne sequundo proceßit. Vicit etiam uota noſtra fortunæ fauentis afflatus. Opinor te litaſſe Rhamnuſiæ, cui ſic ex ſententia cadunt omnia. Plus impetraui quàm fuiſſem auſus optare. Ventis per omnia ſequundis hic curſus nobis peractus eſt. Res omnis cecidit ex ſententia. Pulchre nobis cecidit hæc alea. Opinor uolaſſe noctuam, adeo feliciter exijt nobis parum ſapienter inſtitutum.

Rhãnuſiæ, fortunæ cognomẽtum eſt à loco, quẽadmodũ dicimus Paphiã & Cypridem.

Litat autẽ non quiſquis ſacrificat, ſed cuius facrum deo placuit.

GRATIA.

IAC. Equidem gratiam & habeo, & habiturus ſum quoad uiuam maximã. Pro iſto tuo in me officio pares agere gratias uix poßim, referre nequaquã. Video quãtum debeã tuo in me ſtudio. Nihil miror, neq; enim tu quicquã noui feciſti, & hoc magis debeo. De iſthoc tuo in me officio, amo te mi Sapide, ut par eſt, maxime. Quod hac in cauſa præſtiteris amicũ minimè aulicũ, & habetur à me gratia, & ſemper habebitur. Quod meũ negocium tibi cordi fuerit, amo te & habeo gratiam. Iſthoc officio gratiã iniſti apud me maximã. Pergratũ eſt, qd' cauſam meã egeris bona fide. Ex omnibus officijs quæ tu plurima in me cõtuliſti, hoc eſt lõge gratißimũ. Referre gratiã parem nequaquã poſſum, agere accuratius, inter nos ſuperuacaneũ ſit: qd' unũ poſſum, habebo dum uixero. Iſthoc beneficio fateor tibi me magnopere deuinctũ eſſe. Hoc noĩe plus tibi debeo, quàm ut unquã ſoluẽdo eſſe queã. Hoc beneficio arctius me tibi deuinxiſti, quàm ut poßim diſſoluere. Obligatiorẽ me tibi reddidiſti, quã ut nomẽ meũ è tuo diario poßim unquã expũgere.

Volaſ. noctuã. Vide prouerb. Noctua uolitat.

Diarium codicilli ſiue cõmentarioli rerũ actarum in ſingulos dies.

Digitized by Google

gere. Hoc officio me sic tuũ reddidisti, ut nullum mancipiũ æque sit in rebus heri sui. Hac re me tibi deuinctio rẽ reddidisti, quàm ut nunquã æs alienum posßim resoluere. Plurimis nominibus tibi debeo, sed non alio plus quàm hoc. Pro mediocribus beneficijs agẽdæ sunt gratiæ, hoc maius est, quã ut cõueniat uerbis gratias agere.

RESPONSIO.

SAP. Auser mihi ista. Maior est nostra necessitudo, quàm ut uel tu mihi, uel ego tibi pro ullo officio debeã gratias agere. Non contuli hoc in te beneficiũ, sed retuli. Mihi quidem abunde relatam gratiã arbitror, si gratum est, quod feci sedulo. Nõ est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficijs non uulgaribus hoc officio li rependi. Equidẽ nihil laudis mereor, ingratißimus habẽdus, si defuißem amico. Quicquid est in rebus meis, quicquid mea cura præstari potest, hoc tam tuũ esse ducito, quàm id quod est maxime tuum. Videor mihi beneficium accepiße, quod nostrum officium boni consulis. Pro tãtullo officio mihi tam accurate gratias agis, quasi non multo maiora tibi debeam. Sibi bene facit, qui bene facit amico. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac utare sæpius. Ita credam tibi gratum esse, quod feci, si quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes quod uoles.

ALIA IN CONGRESSV.

ARNOLDVS, CORNELIVS.

ARNO. Salue multum Corneli iam toto seculo desiderate. CORNE. Salue & tu sodalis exoptatißime.

ARN.

Digitized by Google

ARN. ~~Iam desperabamus reditum tuum.~~ Vbi tandiu peregrinatus es? COR. Apud inferos. ARN. Nõ admodũ ueri diſsimile dicis: adeo nobis rediſti ſqualidus, macilentus, ac pallidus. CO. Imò ab Hieroſolymis adſum tibi, non à profundis manibus. AR. Quis deus aut qs uĕtus te illuc adegit? CO. Quæ res adigit alios innumeros? AR. Stulticia, ni fallor. CO. Igitur hoc conuitij non in me ſolum competet. AR. Quid illic uenabare? CO. Vt miſer eſſem. AR. Iſthuc licebat domi. Eſt ne illic, quod tu putes ſpectatu dignum? CO. Vt ingenue fatear tibi, nihil. Oſtenduntur quedam monumenta uetuſtatis, quorum mihi nihil nõ uidebatur commenticium, & excogitatum ad alliciendos ſimplices & credulos. Imò nec hoc arbitror illos ſcire, quo loco ſita fuerit olim Hieroſolyma. AR. Quid igitur uidiſti? CO. Magnam ubiq; barbariĕ. AR. Nihilo ſanctior redis? CO. Imò multis partibus deterior. AR. Nũmatior ergo. CO. Imò nudior Leberide. AR. An nõ pœnitet igitur tã lõginquæ peregrinationis fruſtra ſuſceptæ? CO. Nec pudet, quia tã multos habeo ſtultitiæ meæ ſodales: nec pœnitet, quia fruſtra iam ſit pœnitere. AR. Nihil ergo fructus refers è tam difficili peregrinatione? CO. Multum. AR. Quid tandem? CO. Quia poſthac uiuam ſanius. AR. An quia iucundum eſt meminiſſe laborum actorum? CO R. Eſt iſthuc quidem nonnihil, ſed non in hoc ſunt omnia. AR. Eſt ne aliud præmium? COR. Eſt ſanè AR. Quod? effare. CO. Magna noluptate, quoties libebit, & ipſe me afficiam & alios mentiendo, quoties itinerarium meum recitabo in conciliabulis aut

Profundis 'manibus. Alluſit ad primum Euripidis tragœdiæ, cui titulus Hecuba; ubi ſic loquitur Polydorus. Adſum profectus e profundis manibus, id eſt, ab inferis.

Nudior Leberide. Vide Chiliades.

Meminiſſe laborum. Vide prouerb. Acti labores.

Digitized by Google

aut in conuiuijs. AR. Profecto non tu procul aberras à scopo. COR. Deinde non munus capiam uoluptatis, quum alios audiam mentientes de rebus, quas nec audierunt unquam nec uiderunt. Idq; faciunt tanta confidentia, ut quum narrent Siculis gerris uaniora, tamen sibi etiam persuadeant, se uera loqui. AR. Mira uoluptas. Non omnino tibi periit oleum & opera, quod aiunt. COR. Imò hoc arbitror aliquanto consultius, quàm quod faciunt isti, qui paulò pecuniæ conducti proficiscuntur in militiam, omnium scelerum scholam. AR. Sed illiberalis est uoluptas, ex mendacijs uoluptatem capere. CORN. Verum hoc aliquanto ~~liberius~~ quàm obtrectatione uel delectare, uel delectari, aut alea tempus & rem perdere. AR. Cogor equidem pedibus in tuam ire sententiam. COR. Verum est & alius fructus. AR. Quis? COR. Si quis erit amicus egregie charus, affinis huic insaniæ, eum admonebo domi maneat: Vt nautæ solent electi naufragio, monere nauigaturos, quid periculi sit uitãdum. AR. Vtinam mihi monitor adfuisses in tempore. COR. Quid? num similis morbus te quoque corripuit? ~~Num afflauit & te huius mali contagium?~~ AR. Visi Romam & Cõpostellam. COR. Deum immortalem quanto mihi solatio est, te contigisse stultitiæ meæ socium. ~~Quæ Pallas isthuc tibi misit in mẽtem?~~ AR. Non Pallas, sed ipsa Moria, præsertim cum domi haberem uxorem integra adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam, quæ pendebat ex me, & opera mea quotidiana alitur. CORNEL. Oportuit fuisse seriæ rei quippiam, quod te à charissimis tuis distraxerit.

Siculis gerris. Vide Chiliad.

Oleum & ope. Vide Chil. 1. centur. 4. proverb. 62.

Quæ Pal. Alludit ad Homerũ, qui sæpe Palladem facit huic aut illi suggerentem quid facto sit opus.

Digitized by Google

distraxerit. Narra obsecro. AR. Pudet dicere. COR. Non apud me, qui, ut scis, eodē tenear malo. AR. Cō-potabamus aliquot uicini. Vbi uino incaluerat animus, erat qui prædicabat, sibi esse in animo salutare diuū Iacobum: erat alter qui diuum Petrum. Illico non defuit unus aut alter, qui spōderent se comites fore. Tandē uisum est, ut omnes irent simul. Ego, ne uiderer parum commodus cōpotor, pollicitus sum & ipse. Mox agitari cœptum, utrò potius iremus, Romam an Compostellam. Factum est senatusconsultum, ut bonis auspicijs utroque postridie proficisceremur omnes. COR. O graue decretum, dignius quod uino inscriberetur quàm æri. AR. Ac mox ingens ~~obambulat patera~~, quam ubi suo quisque ordine ebibisset, uotum factum est inuiolabile. COR. Noua religio, sed num omnibus cōtigit reditus incolumis? AR. Omnibus præterquàm tribus, quorum unus in profectione moriens, mādauit nobis, ut suis uerbis salutē diceremus Petro & Iacobo. Alter perijt Romæ, iußitq; ut suo nomine salutaremus uxorē ac liberos. Tertium reliquimus Florentiæ, ualetudinis planè deploratæ. Opinor iam esse apud superos. COR. Adeone pius erat? AR. Imò nugator maximus. COR. Vnde igitur istuc suspicare? AR. Quia peram habebat indul-
gentijs largißimis ~~distentam~~. COR. Audio, sed iter est longum in cœlum, nec satis, ut audio, tutum, ob latrunculos, qui obsident regionem aëris mediam. AR. Verum, sed ille sat erat munitus ~~diplomatibus~~. COR. N. Qua lingua descriptis? AR. Romana. COR. In tuto est igitur? AR. Est, nisi forte incidat in genium aliquem,

quem, qui Latine nesciat. Tum esset illi redeundum Romam, & nouum diploma impetrandum. CO. Bullæ uenduntur illic & mortuis? AR. Maxime. CO. Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantius. Iã enim Corycæis plena sunt omnia. AR. Ego uero nihil eleuo indulgentias, sed combibonis mei stulticiam rideo, qui quum esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ prorsum, ut aiunt, ac puppim in membrana collocarit potius, quàm in correctis affectibus. Sed qñ fruemur illa uoluptate, quam modo prædicabas? CO. Quũ erit cõmodũ. Adornabimus cõpotationunculã aliquã, uocabimus nostri ordinis homines. Ibi certabimus mentiendo, nosq; affatim mutuis mendacijs oblectabimus. AR. Age fiat.

Coricæis, id est, obseruatoribus Vide prouerb.

ALIA. PAMPHAGVS. COCLES.

PA. Aut parũ prospiciũt oculi, aut Coclitẽ ueterem cõpotorem meũ uideo. CO. Imò nihil te fallunt oculi tui, uides sodalẽ ex animo tuũ. PA. Nulla cuiquã erat spes reditus tui, qui tot annos abfueris, ignotus oĩbus, quæ te terrarũ haberet regio. Sed unde dic quæso? CO. Ab antipodibus. PA. Imò ab insulis, opinor, fortunatis. CO. Gaudeo quod agnoueris sodalẽ tuum: nã uerebar, ne sic domũ redirẽ, quemadmodũ redijt Vlysses. PA. Quo nam pacto redijt ille? CO. Nec ab uxore est agnitus. Solus canis iã uetulus mota cauda dñm agnouit. PA. Quot annos ille domo abfuerat? CO. Viginti. PA. Tu plures abfuisti, nec tamen fefellit me tua facies. Sed quis isthuc narrat de Vlysse? CO. Homerus. P. Oh: ille, ut aiunt, pater est omnium fabularum. Fortassis uxor interim asciuerat

taurum

taurum alium, & idcirco non agnouit Vlyſſem ſuum. C O. *Imò nihil illa caſtius, ſed Pallas addiderat illi ſenium, ne poſſet agnoſci.* P A. *Qui tandem agnitus eſt?* C O. *E tuberculo, quod habebat in digito pedis. Id ani maduertit nutrix iam admodum anus, dum illi pedes lauat.* P A. *O curioſam lamiam. Et tu miraris, ſi ego te agnoui ex iſto tam inſigni naſo?* C O. *Nihil me pœnitet huius naſi.* P. *Nec eſt cur pœniteat, cum organum tibi ſit, ad res tam multas utile.* C O. *Ad quas?* P. *Primum ad extinguendas lucernas erit cornu uice.* C O. *Perge.* P. *Deinde ſi quid hauriendum è cauo profundiore, fuerit loco promuſcidis.* C. *Papæ.* P. *Si manus erunt occupatæ, licebit uti uice paxilli.* C. *Etiámne amplius?* P. *Conducet excitando fóculo, ſi defuerit ſóllis.* C. *Belle narras. Quid præterea?* P A. *Si lumen officiat ſcribenti, præbebit umbraculum.* C O. *Ha ha he, eſt præterea quod dicas?* P A M. *In bello nauali præbebit uſum harpagonis.* C O. *Quid in bello terreſtri?* P A M. *Erit loco clypei.* C O. *Quid deinde.* P A M. *Findendis lignis erit cuneus.* C O. *Probe.* P A. *Si præconem agas, erit tuba: ſi claſsicum canas, cornu: ſi fódias, ligo: ſi metas, falx: ſi nauiges, ancora: In popina fuerit fuſcina: in piſcando hamus.* C O. *O me felicem, neſciebam me circumferre tam ad multa conducibilem ſupellectilem. Sed quis interim terrarum angulus te habuit?* P A M P. *Roma.* C O. *Atqui fieri potuit, ut in tanta luce nemo te ſciret uiuum?* P A. *Imò nuſquam magis latent boni uiri, adeo ut ſæpe clariſſima luce nemi-nem uideas in frequenti fóro.* C O. *Redis igitur nobis*

Taurum aliũ. Id eſt, adulterũ. Hora. Quæreti taurum mõſtra uit inertem.

Vlyſſem ſic appellat maritũ, q nimiũ diu abfuit. Nam Vlyſſem reducẽ nullus agnouit p̃ter canem.

Lamiæ maleficæ mulieres, quæ oculos habent quum foris ſunt, quibus perſpiciũt oĩa, domi cæcutiũt.

Harpagones inſtrumenta quibus iniectis attrahunt nauem commiſſuri bellum.

Digitized by Google

onustus sacerdotijs. P A. Venatus equidē sum sedulo, at parum fauit Delia. Nam cōplures illic piscantur hamo, quod dici solet, aureo. C O. Stultum piscādi genus. P A. Et tamē pulchre succedit nōnullis. Sed nō omnibus feliciter cadit hæc alea. C O. An nō insigniter stulti sunt, qui plumbū cōmutant auro? P A. Sed tu nō intelligis in plumbo sacro uenas auri subesse. C O. Quid igitur? rediisti nobis, nihil aliud quàm Pamphagus? P. Non. C O. Quid igitur? P A. Lupus hians. C O. Felicius redeunt, qui asini redeunt sacerdotiorum sarcina graues. Cur mauis sacerdotiū quàm uxorem? P A. Quia mihi placet ocium. Arridet Epicurea uita. C O. At mea sentētia suauius uiuunt, quibus est lepida puella domi, quam cōplectantur, quoties libet. P A. Sed adde, nōnunquam cum nō libet. Amo uoluptatē perpetuam. Qui ducit uxorē, uno mense felix est, cui cōtingit opimum sacerdotiū, in omnem usq; uitam fruitur gaudio. C O. Sed tristis est solitudo, adeo ut nec Adam suauiter uicturus fuerit in paradiso, nisi deus illi adiunxisset Euam. P A. Non deerit Eua cui sit opulentum sacerdotium. C O. Sed uoluptas non est uoluptas, quæ cum mala fama, malaq; conscientia coniuncta est. P A. Verum dicis, & idcirco mihi in animo est, confabulatione librorum solitudinis tædium fallere. C O. Istis quidē sodalibus nihil iucundius. Sed redis ne ad tuam piscationem? P A. Redeo, si liceat parare nouam escam. C O. Aureám ne aut argēteam? P A. Vtrāli-bet. C O. Bono animo es, pater suppeditabit. P A. Nihil illo tenacius. Nec crediturus est denuo, cum intellexerit mihi sortem etiam perijsse. C O. Verum ista lex est aleæ.

Delia uenandi dea.

Lupus hiās. Vide Chiliades. Est allusum est ad nomē Pamphagus, qd Græcis sonat omnia comedentem.

Digitized by Google

est aleæ. P. Sed ille nõ delectatur hac alea. C O. Si pernegabit ille, cõmonstrabo tibi, unde possis, quantũ uoles, pecuniæ sumere. P A. Tu uero mihi uoluptatẽ narras. Age mõstra, iam cor mihi salit. C O. In promptu est. P. Nactus es thesaurũ aliquem? C O. Si nactus essem, mihi nactus essem, nõ tibi. P. Si queam corradere centũ ducatos, reuixerit spes. C O. At ego tibi commonstro, unde possis haurire centũ milia. PA. Quin tu igitur me beas? Ne diutius eneca. Dic unde. C O. Ex asse Budæi. Illic reperies innumeras myriades, siue aureã malis monetã, siue argenteam. P A. Abi quò dignus es cum tuo ioco. Illinc tibi resoluã, quod debuero pecuniæ. C. Resolues, sed quod illinc tibi numeraro. P. Age noui nasum tuũ. C O. At mihi præ te nasus est nullus. P A. Imò nihil te nasutius. Nihil es nisi nasus. C O. Ludis in re seria. Hac in re ringi possim citius quàm ridere. Res grauior est, quàm ut ridere libeat. Tu si hic esses, non luderes. P A. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis mæ. Ioco me tractas, in re neutiquam iocosa. C O. Minime rideo, id quod res est dico. Non rideo quidem, imò rem ipsam dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. P A. Ita tibi semper stet in capite pileũ, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cogniturus quo in statu sint illic omnia? C O. Offendes noua permulta. P A. Credo, sed utinam omnia ex animi sententia. C O C. Isthuc optare licet omnibus, sed hactenus obtigit nemini. P A. Hoc quoq; commoditatis adferet utriq; nostrum sua peregrinatio, quod dulcior erit posthac domus. C O. Nescio, nam uideo quosdam

Ringit iratus nõ ridet. Risus igitur est diductio labiorum, sed præ dolore, cum risus fit ex gaudio.

Stet in capite, prouerbium est in eos, qui diuersum sentiũt ab ijs quæ dicũt, id est, præpostere stet pileum.

Digitized by Google

scpties illò recurrere. Adeo scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuaserit.

ALIA MILITARIA, HANNO THRASYMACHVS.

Thrasymachus id est, audax in pugna, nomen aptum militi.

Vulcanus fingitur claudus.

Mercurius alatus.

Manubiæ, pecunia e spoliis hostium.

Zonam inanē, uide prouerbiū Zonam perdidit.

HAN. Vnde nobis redis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras? TH. Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras? HAN. Quia alatus uidebare quum abires, nunc claudicas. TH. Sic à bello rediri solet. HA. Quid tibi cum bello, homo quouis dama fugacior? TH. Spes prædæ reddiderat fortem. HAN. Multum igitur refers manubiarum? TH. Imò zonam inanem. HAN. Tanto minus grauare sarcina. TH. Atqui sceleribus onustus redeo. HAN. Grauis profecto sarcina, si uerum dicit Propheta, qui peccatum appellat plumbum. TH. Plus illic scelerum & uidi & patrauī, quàm unquam antehac in omni uita. HAN. Ecquid igitur arridet uita militaris? TH. Nihil neq; scelestius, neq; calamitosius. HAN. Quid igitur in mentem uenit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis currunt ad bellum, nō aliter quàm ad conuiuium? TH. Ego nihil aliud coniectare possim, quàm illos agi malis furijs, seseq; totos malo dæmoni, ac miseriæ deuouisse, nec aliud quàm hic manes suos anticipare. HAN. Ita quidem uidetur. Nam ad res honestas uix ullo precio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utrò sese inclinarit uictoria. TH. Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi, cornuum tonitrua, hinnitus equorum, clamor uirorum, ut neq; uidere potuerim quid gereretur, adeo ut uix scirem ubi essem ipse. HAN. Vnde igitur

igitur cæteri, qui ex bello ueniunt, sic depingunt singula, quid quisq; dixerit aut gesserit, quasi nusquam non adfuissent ocioſi ſpectatores? T H. Ego credo istos mẽtiri ſplendide. In tẽtorio meo quid gestum sit, scio: quid in prælio, prorsus ignoro. H A N. An ne hoc quidem scis, unde tibi uenerit claudicatio? TH. Vix: Ita me Maiores uors posthac male amet. Suspicor aut saxo, aut equi calce læsum genu. H A. At ego scio. T H. Scis? an tibi narrauit aliquis? H A. Non, sed diuino. T H. Dic igitur. H A N. Quum fugeres pauidus, collapsus humi, offendisti in silicem. T H. Dispeream, nisi rem acu tetigisti. Adeo uerisimile est, quod diuinasti. HAN. Abi domum & uxori narra tuas uictorias. T H. Illa mihi occcinet haud suaue encomium, qui nudus redeam. H A N. Sed unde restitues quod rapuisti? T H R A. Iam pridem restitui. H A N. Cui? T H R A. Scortis, cenopolis, & ijs qui me uicerunt alea. H A. Satis militariter, paret, ut quod male partum est, peius dispereat. Verum à sacrilegijs, opinor, temperatum est. T H. Imò nobis illic erat sacrum nihil. Nec profanis parcitum est, nec sanis. H A N. Quo pacto sarcies? T H. Negant oportere sarciri, quod in bello commissum sit: iure fit, quod illic fit. H A N. Iure belli fortasis. T H. Tenes. H A. At istud ius summa est iniuria. Te non patriæ pietas, sed prædæ spes pertraxit in bellum. T H. Fateor, & arbitror paucos illuc ire sanctiore proposito. H A N. Est aliquid insanire cum multis. TH. Concionator è suggestu pronunciauit, bellum esse iustum. H A N. Suggestus ille non solet mentiri. Sed ut iustum sit principi,

Solẽt encomiõ laudari, qui fortiter se gessisset in bello.

Nihil sacrũ. Alusum est ad prouerbium, οὐδὲν ἱερὸν, tametsi illic flexit in aliũ sensum.

Suggestus ille, opinor utrũq; dici, sed suggestũ reperi apud Cicer. & suggesto.

non cõtinuo iustum est tibi. TH. Audiui ex Rabbinis, quod licet sua cuiq; arte uiuere. HAN. Præclara ars, incendere domos, diripere templa, uiolare sacras uirgines, spoliare miseros, occidere innoxios. TH. Lanij conducuntur ad mactãdum bouem, quur nostra ars reprehenditur, quod conducimur ad mactandos homines? HAN. Non eras solicitus, quonã esset migratura anima tua, si contigisset in bello cadere? TH. Non admodum. Bona spes habebat animum meum. Nam diuæ Barbaræ me semel comendaram. HAN. Receperat illa tutelam tui? TH. Sic mihi uisa est annuere capite aliquantulum. HAN. Quando isthuc tibi uisum est, mane? TH. Non, sed à cœna. HAN. Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi uisæ sunt ambulare. TH. Vt hic diuinat omnia. Sed præcipua spes erat in diuo Christophoro, cuius imaginem quotidie cõtemplabar. HAN. In tẽtorijs? Vnde illic diui? TH. Carbone pinxeramus illum in tẽtorijs. HAN. Nimirum haud quaquã ficulnum, ut aiunt, præsidium erat carbonarius ille Christophorus. Sed extra iocum, nõ uideo qui possis expiari à tantis flagitijs nisi te conferas Romam. TH. Imò noui uiam breuiorẽ. HAN. Quam? TH. Ibo ad Dominicales, illic paulò transfigã cum cõmissarijs. HAN. Etiã de sacrilegijs? TH. Etiam si Christũ ipsum spoliassem, ac decollassem etiam, tam largas habent indulgẽtias & autoritatem cõponendi. HAN. Bene habet, si uestram compositionem deus ratam habuerit. TH. Imò magis metuo, ne diabolus non habeat ratum. Nam deus natura placabilis est. HAN. Quem tibi sacerdotem deliges?

TH.

Digitized by Google

T H. Cui cognouero quàm minimum cſſe frontis ac bo
næ mẽtis. H A N. Ne non habeãt ſimules labra lactucas.
Ab illo purus abibis ad corpus dominicũ? T H. Quid
ni? Poſtea quàm ſemel effudero ſentinã in illius cucullã,
ego me exoneraui ſarcina. Ipſe uiderit, qui abſoluit. H.
Qui ſcis, an abſoluat? T H. Scio. H A. Quonã indicio?
T H. Quia manum imponit capiti admurmurãs, neſcio
quid. H A. Quid ſi reddat tibi omnia peccata tua cum
manũ imponit, hæc admurmurans: Abſoluo te ab omni=
bus benefactis, quæ nulla in te comperio, & reſtituo te
tuis moribus, talemq; dimitto, qualẽ accepi? T H. Vide=
rit ille, quid dicat, mihi ſatis eſt, quod me credo abſolu=
tum. H A N. Sed iſthuc tuo periculo credis. Fortaſſe nõ
fuerit ſatis deo, cui debes. T H. Vnde tu mihi obuius,
qui mihi cõſcientiã è ſerena nubilã redderes? H A. Felix
occurſus. Bona auis eſt obuius amicus, qui bene moneat.
T H. Neſcio quàm bona, certe parum ſuauis.

HERILIA. RABINVS, SYRVS.

R A. Heus heus furcifer, iamdudũ rauceſco clamore, nec
tu tamẽ expergiſceris. Vidêre mihi uel cum gliribus cer
tare poſſe. Aut ocyus ſurge, aut ego tibi fuſte ſomnũ iſtũ
excutiam. Quãdo crapulam heſternã edormieris? Nõ te
pudet ſomniũ hominis in multam lucẽ ſtertere? Qui fru=
gi ſunt famuli, ſolent exortũ ſolis anteuertere, curareq;
ut herus ſurgẽs reperiat omnia parata. Vt ægre diuelli=
tur à nido tepefacto cuculus. Dum ſcalpit caput, dum di
ſtendit neruos, dum oſcitat, tota abit hora. S Y. Vixdum
diluxit. R A. Credo, tibi: Nam tuis oculis adhuc multa
nox eſt. Tibi nox adhuc eſt cõcubia. S Y. Quid me iubes

Digitized by Google

facere? R A. *Fac ut luceat foculus, uerre pileum ac pallium, exterge calceos & crepidas. Inuersas caligas primum intus purga scopis, mox foris. Deinde suffitum aliquem facito purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum induſium, ac ſicca lotum.* S Y. *Fiet.* R A. *Atqui moue te ocyus. Iam hæc feciſſe oportuit.* S Y. *Moueo.* R A. *Video, ſed nihil promoues. Vt incedit teſtudo.* S Y. *Nõ poſſum ſimul ſorbere & flare.* R A. *Etiam ſententias loqueris carnifex? Tolle matulam. Compone lecti ſtragulas, reuolue cortinas. Verre pauimentum. Verre ſolum cubiculi. Adfer aquam lauandis manibus. Quid ceſſas aſine? Annus eſt prius quàm accendas candelam.* S Y. *Vix reperio ſcintillam ignis.* R A. *Sic heri condidiſti.* S Y. *Nec fõllem habeo.* R A. *Vt reſponſat nebulo, quaſi qui te habeat, careat fõlle.* S Y. *Quàm imperioſum habeo dominũ, uix huius iuſſis decẽ expediti famuli fecerint ſatis.* R A. *Quid ais ceſſator?* S Y. *Nihil, omnia recte.* R A. *Non ego te audio murmurantem?* S Y. *Equidẽ precor.* R A. *Credo, pater noſter inuerſum: Precationẽ, opinor, Dominicam præpoſtere. Quid gannis de imperio?* S Y. *Precor tibi, ut fias imperator.* R A. *Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templũ uſq;. Mox domum ~~recurrito~~, lectos cõcinnato. Hæc cõfuſa, ſuo quæq; loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc ſordida ſubmoueto ab oculis, ſortaſsis inuiſent me quidam aulici. Si quid ſenſero prætermiſſum, uapulabis largiter.* S Y. *Hic ſanè noui benignitatem tuam.* R A. *Proinde caue ſi ſapis.* S Y. *At interim de prãdio nulla mẽtio.* R A. *Vah, ut hic*

Sorbere & flare. Vide Chil. 2. centur. 2. prouerb. 80.

ut hic mentem habet farciſer. Non prandeo domi. Itaq; ſub horam decimã ad me trãſeruito, deducturus me eò, ubi ſum prãſurus. S. *Tibi quidẽ proſpectũ, ſed hic interim nihil eſt quod edam.* R A. *Si nõ eſt quod edas, eſt quod eſurias.* S. *Nemo ſit eſuriẽdo ſatur.* R. *Eſt panis.* S. *Eſt, ſed ater & farſuraceus.* R. *Delicias hominis. Te quidẽ fœnũ eſſe oportuit, ſi pabulũ detur te dignũ. An poſtulas, ut te aſinũ tantum placẽtis ſaginem? Si faſtidis panem citra obſoniũ, adde porrum, aut ſi mauis, cepe.*

ALIA.

R A. *Eſt tibi abeundum in forum.* S Y. *Tam procul?* R A. *Non ſunt niſi ſex paſſus. Tibi pigro ſunt bis mille. Conſulam autẽ tuæ pigritiæ. Eadem legatione multa conficies negocia. Tu ſupputa in digitos, ut memineris. Primum deflectes ad ueſtiarium, ac thoracẽ undulatum, ſi iam perfectus eſt, ab eo recipies. Hinc quæres Cornelium ueredarium: Is plerunq; eſt in ceruo, ibi potitat. Rogabis ſi quid habet literarum ad me, & ad quem ea poſt diem ſit profecturus. Deinde conuenies mercatorem pannarium, rogabis meis uerbis ne quid ſolicitus ſit, quod pecuniam non miſerim ad diem præſcriptum: numerabitur propediem.* S Y. *Quando, ad Calendas Græcas?* R A. *Rides ganeo. Imò ante Calendas Martias. In reditu deflectes ad lœuam, & ex bibliopolis diſces, ſi quid aduectum ſit nouorum libellorum è Germania. Cognoſce, qui ſint, & quanti uenales. Poſthæc rogabis Glycerium, ut mihi dignetur eſſe conuiua, alioqui cœnaturo ſoli.* S Y. *Etiam conuiuas uocas? non habes domi, unde uel murem paſcas.* R A. *Proinde tu confectis cæ-*

Digitized by Google

teris abi ad macellum, & eme nobis armum ouillum. Eũ curabis eleganter aßum. Audin' hæc? SY. Plura quàm uellem. RA. At uide, ut memineris. SY. Vix potero dimidium. RA. Etiam hic ſtas ceſſator? Iam rediße oportuit. SY. Quis poßit unus tot rebus obeundis ſufficere? Deduco ac reduco. Sum illi à ſcopis, à matula, à pedibus, à manibus, à poculis, à libellis, à rationibus, à iurgijs, à legationibus. Poſtremo non uideor illi ſat occupatus, niſi ſim & coquus.

A iurgijs, ridiculi gratia.

ALIA.

RA. Proſer ocreas, nam equitandum eſt. SY. En adſunt. RA. Probe quidẽ abs te curatæ, totæ albent ſitu. Opinor nec exterſus, nec unctas hoc anno, adeo rigẽt præ ſiccitate. Exterge ~~ſubmuido panno~~. Mox unge ad ignem diligẽter, ac macera, donec molleſcãt. SY. Curabitur. RA. Vbi calcaria? SY. Adſunt. RA. Verum, ſed obducta rubigine. Vbi frenum & ephippia? SY. Sunt in promptu. RA. Vide, ne quid deſit, aut ne quid ruptũ, aut mox rumpendũ, ne quid nobis ſit in mora cum erimus in curſu. Propera ~~ad ſellariũ, & hoc lorũ cura farciendũ~~. Reuerſus inſpice ~~ſoleas, ſiue calceos equorũ, num qui~~ claui deſint, aut uacillent. Quàm macilenti ſunt equi, ~~quamq; ſtrigoſi~~. Quoties abſterges, aut pectis illos in anno? SY. Imò quotidie. RA. Nimirũ res ipſa loquitur. Iciunãt, opinor nõnunquam totum triduũ. SY. Minime. RA. Negas tu quidẽ, ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat. Quanquã ſatis loquũtur ipſa macie. SY. Curo ſedulo. RA. Cur igitur ~~tu habitior eqs~~? SY. Quia nõ paſcor fœno. RA. Hoc igitur reſtat. Adorna manticã celeriter. SY. Fiet.

pinguior

Moni

MONITORIA.

PAEDAGOGVS, PVER.

PAED. *Tu mihi uidere non in aula natus, sed in caula, adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum, aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus, oculi uerecundi, semper intenti in eum cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus. Nec uacilles alternis tibijs, nec sint gesticulosæ manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, ut totus cultus, uultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam & uerecundã indolem præ se ferat.* PV. *Quid si mediter?* PAED. *Fac.* PV. *Siccine satis?* PAED. *Nondum.* PV. *Quid si sic?* PAE. *Propemodum.* PV. *Quid si sic?* PAE. *Hem satis est. Istud tene: Ne sis inepte loquax, aut præceps. Nec uagetur animus interim, sed sis attentus, quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, ac pudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento honoris gratia. Atq; identidem modice flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absolueris. Nec abeas, nisi præfatus ueniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti à maternis ædibus?* PV. *Iam sex fermè menses.* PAED. *Addendum erat, domine.* PV. *Iam sex fermè menses domine.* PAE. *Non tangeris desiderio matris?* PV. *Nonnunquam sanè.* PAE. *Cupis eam*

Digitized by Google

pis eam reuisere? PV. Cupio domine, sed id pace liceat tua. PAE. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cum loqueris, caue ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distincte, clare, articulate, consuescito proferre uerba tua. Si quem præter bis natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui uirum grauem, memẽto aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, quũ præteribis ædem sacram, aut imaginem crucis. In conuiuio sic te præbebis hilarẽ, ut semper memineris quid deceat ætatẽ tuã. Postremus omniũ admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modeste, si instabitur, accipe, & age gratias: mox decerpta portiuncula, quod reliquũ est, illi reddito, aut alicui proxime accũbenti. Si quis præbibet, hilariter illi bene precare. Sed ipse bibito modice. Si non sitis, tamen admoueto cyathũ labijs. Arride loquentibus, ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone uultum, quasi non intelligas. Ne cui obtrectato: ne cui temet anteponito. Ne tua iactato, ne aliena despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales. Neminẽ deserto. Ne sis lingua futili. Ita fiet, ut sine inuidia laudem inuenias & amicos pares. Si uideris cõuiuium esse prolixius, precatus ueniam, ac salutatis conuiuis, subducito te à mensa. Vide ut horum memineris. P. Dabitur opera mi præceptor. Nunquid aliud uis? PAE. Adito nunc libros tuos. PVER. Fiet.

DE LVSV, NICOLAVS, HIEronymus, Cocles, Pædagogus.

Nic.

Digitized by Google

NIC. Iamdudum & animus & cœlum & dies inuitat ad ludendum. HIER. Inuitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor nõ inuitat. NI. Subornandus orator quispiam, qui ueniam extorqueat. HIE. Apte quidem dictum extorqueat. Nam citius clauam extorseris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi ueniam. At olim illo nemo fuit ludendi auidior. NI. Verum, sed iam olim ille oblitus est, se fuisse puerũ. Ad uerbera facillimus est & liberalis, hic parcissimus, idemq; difficillimus. HIE. At tamen protrudendus est aliquis legatus, non admodum uerecundæ frontis, quem non ilico protelet suis sæuis, dictis. NI. Eat qui uolet, egõ carere malo, quàm rogare. HIE. Nemo magis accommodus ad hanc legationem, quàm Cocles. NI. Nemo profecto. Nam perfrictæ frontis est, ac bene linguax. Deinde sensum hominis pulchre callet. HIE. I Cocles, ab omnibus nobis magnã initurus gratiam. CO. Equidem experiar sedulo. Verum si non successerit, ne conferte culpam in oratorem uestrũ. HIE. Bene ominare, si te satis nouimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator. CO. Eo. Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salue præceptor. PAEDAGO. Quid sibi uult nugamentũ hominis? COC. Salue præceptor obseruande. PAED. Insidiosa ciuilitas. Satis iam salueo. Dic quid tibi uelis. COC. Totus discipulorum tuorum grex orat ludendi ueniã. PAED. Nihil aliud quàm luditis, etiam absque uenia. CO. Scit tua prudentia uigorem ingeniorum excitari moderato lusu, quemadmodũ nos docuisti ex Quintiliano. PAE. Sanè ut isthuc tenes, quod pro te facit. Laxamẽto opus est

Protelet, perturbet.

Perfrictæ front. Vide Chil. 1. cẽtu. 8. prou. 47.

est ijs, qui uehementer laborant: uobis qui segniter studetis, & acriter luditis, freno magis opus est, quàm laxatis habenis. C O. Adnitimur pro uiribus. Et si quid hactenus cessatum est, post diligentia sartietur. PAED. Oh sartores. Quis erit fideiussor isthuc futurũ? COC. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor. PAE. Imò culi periculo potius. Scio quàm non sit tutum tibi credere. Tamen hic periculum faciam, quàm sis bonæ fidei. Si dederis uerba, posthac ne quicquã mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Ne diuertant ad compotationes, aut alia nequiora. Mature se recipiant domum ante solis occubitum. COC. Fiet. Exoraui, quanquam ægre. HIE. O lepidum caput, omnes amamus te plurimum. CO. Sed interim cauendum ne quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendum foret, fideiussi uestro omnium nomine. Quod si quid accidat, non est quod me posthac utamini legato. HIE. Cauebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet. COC. De hoc in campo consultabimus.

PILA.

NI. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quàm pila palmaria. Sed aptior hyemi, quàm æstati. HIE. Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendum. NI. Minus sudabitur, si ludamus reticulo. HIE. Imò reticulum piscatoribus relinquamus. Elegantius est palma uti. NI. Age nihil moror, sed quanti certabimus? HIE. Talitro, sic parcetur pecuniæ. NI. At ego malo fronti parci, quàm pecuniæ. HIER. Et mihi frons carior est pecunia. Aliquo periculo certandũ est, alioqui

alioqui friget ludus. NI. Sic res habet, ut dicis. HIE. Vtra pars prior euicerit tres lusus, ei uicta pendet sextam drachmæ partem. Sed hac lege, ut quicquid è victoriis collectum fuerit, infumatur in conuiuium, ad quod pariter uocentur omnes. NI. Placet lex, & rata esto. Superest igitur, ut sortianur partes. Nam sumus fermè pares omnes, ut non admodum referat quis cui coniungatur. HIE. Tu tamen me longe peritior es. NI. Vt sim, sed tu felicior. HIE. Etiam hic ualet fortuna? NI. Illa nusquã non regnat. HIE. Age fiat sortitio. Euge bene cecidit. Contigere quos uolebam. NI. Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. HIE. Age simus uiri. Amat uictoria curam. Suum quisq; locum gnauiter tueatur. Tu mihi consiste à tergo, excepturus pilam, si me transuolet. Tu isthic obserua, repulsurus huc ab aduersarijs reuolantem. NI. Ne musca quidem hac præteruolarit impune. HIE. Agite bonis auibus, mittite pilam in tectum. Qui miserit, nihil præfatus, frustra miserit. NI. Hem, accipe igitur. HIE. Mittito. Si miseris extra lineas, aut in fra supráue tectum, uestro damno fuerit, aut certe nobis fraudi esse nolim. Tu sanè parum cõmode mittis. NIC. Tibi quidem, at nobis commode. HIE. Vt miseris, ita re mittam. Par pari referam. Sed præstat ingenue legitimeq; ludere. NIC. In ludo pulchrum est arte uincere. HIE. Fateor, atq; etiam in bello. Sed habet utraq; pars suas leges. Et sunt artes illiberales. NIC. Credo plures septem. Signa terminũ testula, aut rudere, aut si mauis, pileo tuo. HIE. Tuo malim. NI. Rursus excipe pilam. HIE. Mitte. Pone notam. NI. Habemus duos terminos

satis

satis longinquos. HIE. *Vtcunq; ,sed tamen uincibiles.* NI. *Planè uincibiles,si nemo repugnet.* HIE. *Euge priorem metam prætercurrimus. Vicimus quindecim. Heus præbete uos uiros:uiceramus & hic,si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares.* NI. *Nõ diu futuri. Vicimus triginta, uicimus quadraginta quinq; .* HIE. *Sestertia?* NI. *Non.* HIE. *Quid igitur?* NI. *Numeros.* HIE. *Quò pertinẽt numeri,si nihil est quod numeres?* NI. *Noster hic ludus est.* HIE. *Præpropere tu quidem. Ante uictoriã canis triumphum. Vidi qui uincerent ab hoc numero, qui nihil habebãt. Varia est ut Martis , ita lusus alea. Habemus triginta. Iam rursum pares sumus.* NIC. *Nunc serio res agitur. Euge successit,habemus potiores.* HIER. *Non diu habituri. Dixin? Rursum æquali fortuna sumus.* NICO. *Diu nutat fortuna , uelut anceps , utris uelit addicere victoriam. O fors fortuna,si nobis faueris, dabimus tibi maritum,Euge audiuit uotum. Penes nos est huius certaminis uictoria. Pone notam cretaceam,ne excidat.* HIE. *Iam appetit uespera,& sudatum est satis,præstat à ludendo desistere , ne quid nimis . Supputemus lucrum.* NIC. *Nos euicimus tres drachmas, uos duas. Restat igitur una ad compotationculam . Sed interim quis soluet precium pilarum ?* HIER. *Omnes ex æquo pro sua quisque portione. Nam lucrum exilius est,quàm ut inde possit aliquid decidi.*

Appetit uespera, pro instat, quoties est uerbum neutrale.

LVDVS GLOBORVM MISSIlium. Adolphus, Bernardus.

ADOL. *Tu toties apud me gloriatus es,te mirũ quendam*

dam esse artificem in certamine mittendorũ globorum. Age libet experiri, qui uir sies. BER. Nihil detrecto, huc, si quid libet. Nunc tu planè, quod dici solet, in planiciẽ prouocas equũ. ADOL. Et tu senties me nõ esse asinũ. BER. ~~Placet ne monomachia, ut unus eũ uno~~ congrediatur: an mauis adiungi socios periculi? ADO. Malo μονομαχίν, ne qua pars victoriæ decidatur alteri. BER. Isthuc & ipse malo, ut laus in solidũ sit mea. ADO. Hi spectatores erunt & arbitri. BER. Recipio. Sed quod erit uictori brauiũ, aut quæ uicto pœna? ADO. Quid si uicto amputetur auricula? BER. Imò ~~testiũ alter execetur potius~~. Nõ est magnificum, certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus. Decertemus pro suæ uterq; ~~gentis~~ gloria. Si uicero, tu ter exclamabis: Floreat Gallia. Si uictus, quod absit, fuero, totidem uerbis ~~celebrabo tuam~~ Germaniã. ADOL. Age placet conditio. BER. Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. ADO. Nosti saxũ illud ~~prominens~~ haud procul à porta? BER. Noui. ADOL. Ea erit meta, & hæc linea. BER. Esto, sed sint, inquam, pares globi. ADO. Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum à ficu. Sed mea non refert, utrum malis elige. BER. Mitte. ADO. Heus, tu mihi non brachium, sed balistam habere uideris, ita torques globum. BER. Satis momordisti labrũ, satis rotasti brachium, tandem mitte. O uires Herculeas, sed tamen uinco. ADOL. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præuerteram te. BER. Consiste in sphæræ tuæ uestigio. ADO. Non utar dolo malo.

Monomachia

Singulare certamen.

Cupio uirtute, non fraude uincere, quandoquidem de gloria certamen est. Bene uertat. BER. *Ingens profecto iactus.* ADO. *Ne ride, prius quàm uiceris. Adhuc penè sumus pares.* BER. *Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is uicerit.* ADO. *Vici. Canta.* BER. *Sed definiendum erat, quoto ludo constaret uictoria. Nam primo nondum incaluerunt uires.* ADO. *Definiant arbitri.* ARB. *Tertio.* BER. *Placet.* AD. *Quid ais? agnoscis ne uictorẽ?* BER. *Tibi fortuna magis affirauit, uiribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciauerint, id sequar.* AR. *Germanus uicit, & hoc glorioſior est uictoria, quod talem artificem uicerit.* ADO. *Nunc canta Galle.* BER. *Sum raucus.* ADO. *Hoc Gallis nouum non est, sed tamen coccyssa.* BER. *Floreat Germania ter.* ADO. *Imò ter hoc erat canendum.* BER. *Contraximus ſiticulam, eamus ad cõpotatiunculam, ibi perficietur cantio.* AD. *Non recuſo ſi ita uidetur arbitris.* BER. *Ita commodius est. Melius canet Gallus ~~collutus~~ gutture.* ~~Canato~~

Sum raucus. Alluſit ad Gallos gallinaceos, quibus natura adest uox rauca, q̃ propriè dicunt coccyſſare. Vnde & Galli uulgo uocant gallum coccum.

Colluto. Ita Perſius Guttur mobile colluerit, Solet enim medicamentis uox fieri mollior, quod hic fit uino.

LVDVS SPHAERAE PER anulum ferreum. Gaſpar. Eraſmius.

GAS. Age nos auſpicabimur. Victo ſuccedet Marcolphus. ERAS. *Sed quod erit uictori præmium?* GAS. *Victus ex tempore faciet & recitabit diſtichon in laudem uictoris.* ERA. *Accipio legem.* GAS. *Vis ne ſortiamur, uter prior incipiat?* ERA. *Eſto tu prior, ſi libet, ego malim eſſe Abbas.* GAS. *Hoc tua conditio potior est, quod tibi nota eſt area.* ERAS. *Verſaris in tua harena.* GAS. *In hac exercitatior ſum, quàm in libris*

Digitized by Google

libris. Tamen istud per quàm exigui momenti est. E R. Aequum est, ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil. G A S. Imò istuc abs te peterem iustius, sed parum est honesta precaria victoria. Is demum uincit, qui suo Marte uincit. Ita sumus pares, ut non melius commissus fuerit olim cum Bitho Bathyllus. E R A S. Tua sphæra commodior est mea. G A. Et tua uola uincit meam. E R A. Ludito legitime absq; technis, ac dolo malo. G A S. Dices tibi rem esse cum homine probo. E R A S. Sed prius audire cupio huius sphæristerij plebiscita. G A S. Quaternio ludum absoluit. Qui hanc lineam præterierit, in damno est. Reliquos limites si transilias, sine fraude fiet. Qui globum suo loco mouerit, perdit ius feriendi. E R A. Intelligo. G A. En occlusi tibi portam. E R A. Sed isthinc te executiam. G A S. Id si feceris cedam tibi huius certaminis palmam. E R. Bona fide? G A. Optima. Non enim potes alia uia, nisi sic mittas sphæram tuã in parietem, ut resiliat in meam. E R A. Id experiar. Quid ais bone uir? Nonne depulsus es? G A'S. Fateor: utinam tam sapiens esses, quàm es felix. Sed isthuc centies tẽtanti, uix semel successerit. E R A. Imò si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoq; experimento successerit, uinces. Sed interim redde pactum præmium. G A S. Quod nã? E R A S. Distichon. G A S. Reddam. E R A S. Et quidem ex tempore. Quid arrodis unguem? G A. Habeo. E R A. Recita clare. G A S. Clarissime.

Plaudite uictori iuuenes hic quotquot adestis:
Nam me qui uicit doctior est nebulo.

Sphæristerium locus in quo sphæris luditur Habent autem quæq; peculiares suas leges.

Doctior est nebulo, philosophus qdã apud Laertiũ uidens quendã lasciua saltatiõe gestiẽtẽ, quo melius, inquit, feceris, hoc deterius facies. In re mala, quo melior es artifex, hoc uir es peior.

Digitized by Google

Nonne distichon habes? E R. Habeo, sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur.

SALTVS. PERSONAE,
Vincentius, Laurentius.

V I N C. Libet ne decertare saltu? L A V. Ludus iste non conuenit pransis. V I N C. Quam ob rem? L A V. Quia uentris saburra grauat corpus. V I N C. Non admodum sanè qui pransi sint in pædagogio. Nam hi plerunq; cœnaturiunt, prius quàm absoluerint prandium. L A V R. Quod igitur saliendi genus placet? V I N C. Auspicemur ab eo quod est simplicißimum. A saltu locustarum, siue mauis ranarum, utraq; tibia sed iunctis pedibus. Qui longißime promouerit cingulum, coronam feret. Huius ubi erit satictas, aliud atq; aliud genus experiemur. L A V R. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum. Nolim mihi rem esse cum chirurgis. V I N C. Quid si certemus unica tibia? L A V R. Iste ludus est Empusæ, ualeat. V I N C. Haste innixum salire, cum primis est elegans. L A V R. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Vergilium proposuit & Aeneas. V I N C. Verum, sed idem proposuit & cæstuum certamen, quo non delector. L A V. Designa stadium. Hoc loco sit carcer. Quercus ista sit meta. V I N. Sed utinam adesset Aeneas, qui proponat & præmia victori. L A V R. Victori abunde magnum præmium est gloria. V I N. Victo potius dandum erat præmium, solatij gratia. L A V R. Sit igitur victo præmium, ut lappa coronatus redeat in urbem.

Ventris saburra. Saburra onus nauis, quo libratur aduersus fluctus. Et Plautus Saburratas appellat saturas.

Empusæ. Spectrum est apud Aristophanem, quod apparet unica tibia, unde & Græci uocant dedere.

Stadium, aliàs certa magnitudo est, aliàs locus in quo curritur.

VIN.

Digitized by Google

VIN. Equidem non recusarim, si tu præcedas tibia canens. LAV. ~~Est ingens æstus.~~ VINC. Nec mirum, cum sit solstitium æstiuum. LAV. Præstiterat natare. VINC. Mihi non placet ranarum uita. Animal sum terrestre, ~~non amphibion.~~ LAV. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale. VINC. Imò etiam utile. LAVR. Ad quid? VIN. Si fugiendum sit in bello, ibi potissimum ualent, qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. LAVR. Artem narras haud quaquã aspernandam. Neq; enim minus laudis est aliquando bene fugere, quàm fortiter pugnare. VINC. Sum planè rudis & imperitus natandi. Nec sine periculo uersamur in alieno elemento. LAV. Sed assuescere oportet. ~~Nemo nascitur artifex.~~ VIN. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse. LAVR. Experieris primum innixus ~~suberi~~. VINC. Nec suberi fido magis quàm pedibus. Si uobis cordi est natatio, spectator esse malo, quàm certator.

Amphibion. Amphibia dicũtur, quæ simul & in aqua uiuunt & in terra, ut Crocodilus, anates & similia.

Suberi. Græce φελλὸς corticis genus semper fluitãs, unde qui difficũt natare, subijciunt pectori. Horatius. Nabis sine cortice.

CONFABVLATIO PIA.

Erasmus, Gaspar.

ERASMIVS. Vnde nobis prodis? E popina quapiam? GAS. Bona uerba. ERAS. E sphæristerio? GAS. Ne hoc quidem. ERAS. Ex œnopolio? GA. Nequaquam. ERAS. Quando non assequor diuinando, dic ipse. GAS. Ex æde uirgini matri sacra. ERA. Quid illic tibi negotij est? GAS. Salutem dixi nõnullis. ERAS. Quibus? GAS. Christo, ac diuis aliquot. ERA. Religiosior tu quidẽ es, quàm pro ætate. GA.

Digitized by Google

Imò nullam ætatem non decet religio. ERAS. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi inijci cuculla. GAS. Atque ego idem facerem, si quàtum caloris adfert, tantundem pietatis adferret cuculla. ERAS. Aiunt uulgo pueros angelicos in satanam uerti, ubi consenuerint. GAS. Sed ego prouerbium isthuc ab autore satana natum arbitror. Imò uix existimo senem esse uere pium nisi qui à teneris annis assuerit. Nihil felicius discitur quàm quod ab ipsa statim pueritia discitur. ERAS. Religio qd. Quid igitur est religio? GAS. Est purus cultus numinis, & obseruatio præceptorum illius. ERAS. Quæ sunt illa? GAS. Longum est, sed ut in summa dicam, in rebus quatuor est sita. ERAS. In quibus? GAS. Primum ut recte pieq; sentiamus de deo, de scripturis diuinis: atq; ut illum non uereamur modo, ut dominum, uerumetiam amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentißimum. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiam. Ea est, ne quem lædamus. Tertium, ut teneamus charitatem, hoc est, ut de omnibus, quantum datur, bene mereamur. Quartum, ut seruemus patientiam. Ea præstat, ut mala nobis illata si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes. ERAS. Næ tu probus es concionator. Sed præstas ista, quæ doces? GAS. Equidem adnitor pro mea uirili. ERAS. Qui potes pro uirili, quum sis puer? GAS. Meditor pro uiribus. Et quotidie mecum inco rationem, si quid cessatum fuerit, corrigo: illud præter decorum: hoc dictum petulantius: hoc factum incircũspectius: hoc taceri præstiterat: illud omissum.

ſum. E R A S. Quãdo ſubducitur iſta ratio? G A S. Fer mè ſub noctem, aut ſi quando magis uacat. E R A S. Sed age dic mihi, quibus ſtudijs totum tranſigis diem? G A. Nihil cælabo tam fidum ſodalem. Mane ſimul atq; ſum expergefactus, id ferè fit ad ſextam, aut quintam, pollice ſignum crucis pingo in fronte & in pectore. E R A S. Quid deinde? G A S. Auſpicor initium diei in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti. E R A S. Pie ſanè. G A. Mox paucis ſaluto Chriſtum. E R A S. Quid illi narras? G A S. Ago gratias, quod eam noctem mihi uoluerit eſſe proſperam, precorq; ut diem itidẽ illum totum mihi bene fortunet, ad ipſius gloriã & animæ meæ ſalutẽ. Vtq; is, qui eſt uera lux, occaſum neſciens, Sol æternus, omnia uiuificans, alens, exhilarans, dignetur illucſcere menti meæ, ne uſquam impingam in ullum peccatum, ſed ipſius ductu perueniam ad uitam æternã. E R. Haud inauſpicatum diei exordium. G A. Deinde ſalutatis parentibus, quibus ſecundum deum primã debeo pietatem, cum tempus eſt, cõfero me ad ludum literarium, ſed ut per templum, ſi cõmodum eſt, ſit mihi tranſitus. E R A S. Quid illic? G A S. Rurſus tribus uerbis ſaluto Ieſum, ac diuos diuasq; omnes, ſed nominatim uirginem matrẽ, tum eos, quos habeo mihi peculiares. E R. Nætu mihi probe legiſſe uideris illud Catonis: Saluta libenter. Non ſat erat mane ſalutaſſe, niſi mox denuo ſalutares? An non uereris ne moleſtus ſis immodico officio? G A S. Amat ille ſubinde appellari. E R A S. Sed ineptũ uidetur alloqui, quem non uides. G A S. Nec eam mei partem uideo, qua illi loquor. E R A S. Quã? G A. Ani-

mo. E R. Sed ocioſum eſt ſalutare non reſultantẽ. G A. Reſalutat frequenter arcano afflatu. Denique abunde re ſalutat, qui dat quod petitur. E R. Quid hic ab illo fla gitas? Nam uideo tuas ſalutationes eſſe petaces, cuiuſmo di ferè ſunt mendicorum. G A. Sanè non procul aberras à ſcopo. Precor enim, ut qui puer duodecim annos na tus, ſedens in templo docuit ipſos doctores, cuiq; pater cœlitus emiſſa uoce dedit autoritatem docendi mortaliũ genus, cum diceret: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitũ eſt, ipſum audite, quiq; eſt æterna ſa pientia ſummi patris, illuſtrare dignetur ingeniũ meum ad perdiſcendas honeſtas literas, quibus utar ad ipſius gloriam. E R. Quos autem habes diuos tibi peculia res? G A. Ex Apoſtolis Paulum, ex Martyribus Cy prianum, ex doctoribus Hieronymum, è uirginibus Agnetem. E R. Quæ res iſtos tibi conciliauit? electio, an caſus? G A. Sortito obuenerunt. E R. Atque iſtos ni hil aliud, quàm ſalutas? An ab eis quoq; mendicas ali quid? G A. Precor ut me ſuis ſuffragijs Chriſto cõmen dent, efficiantq; ut aliquando contingat in illorũ uenire contubernium. E R. Sanè rem nõ uulgarem petis. Quid tum poſtea? G A S. Ad ludum propero, & quod is lo cus poſtulat, toto ago pectore. Sic enim imploro Chriſti præſidium, quaſi citra illius opem nihil efficiat noſtrum ſtudium: ſic ſtudeo, quaſi ille nihil auxilij ſit laturus, niſi gnauiter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne merito uapulẽ, ne quid dicto factóue uel præceptorẽ of fendã, uel ſodales meos. E R. Probus es cũ iſta cogitas. G A. Cũ dimiſſus à ludo domũ propero, rurſus, ſi licet,

per

Digitized by Google

per ædem ſacram iter facio. Rurſuſq; tribus uerbis ſaluto Ieſum. Si quid eſt obſequij præſtandum parentibus, obeo. Quod ſi quid etiam ſupereſt temporis, mecum aut cum ſodali repeto, quod prælectum eſt in ſchola. E R. Næ tu perparcus es temporis. G A. Nec mirũ, ſi parcus ſum rei, ut multo precioſißimæ, ita irrecuperabilis. E R. At Heſiodus docet, in medio parcendũ eſſe, in principio præproperam, in fine ſeram eſſe parſimoniam. G A. Recte Heſiodus de uino, ſed ætatis nulla eſt intempeſtiua parſimonia. Dolium ſi ſinas, non exhauritur. At ætas nunquàm non defluit, ſiue dormias, ſiue uigiles. E R. Fateor, ſed quid deinde rei geritur? G A. Adornata parentibus menſa, recito conſecrationem, deinde prandentibus miniſtro, donec iubeor & ipſe prandium ſumere. Actis gratijs, ſi quid uacat, luſuquopiam honeſto laxo animum cum ſodalibus, donec hora reuocat in ludum à luſu. E R. Ac rurſum ſalutatur Ieſus? G A. Salutatur, ſi commodum eſt. Sin eſt, cur aut non uacet, aut non ſit tempeſtiuum, tamen præteriens templum, cogitatiuncula ſaluto. Rurſus in ludo totis uiribus hoc agitur, quod locus poſtulat. Domum reuerſus, idem ago quod ante prandium. A cœna ſuauibus fabulis memet oblectc: mox proſperam noctem precatus parentibus ac familiæ, mature me confero ad nidum. Illic flexis ante lectum genubis, mecum, ut dixi, reputo, quibus ſtudijs is dies peractus ſit. Si quid eſt grauioris admiſi, Chriſti clementiam imploro, ut ignoſcat, polliceorq; meliora. Si nihil eſt, ago gratias illius beneficentiæ, quod me ſeruarit ab omni uitio. Deinde me totum illi toto pectore commen-

Digitized by Google

do, cæterisq; diuis, ut me protegant ab insidijs mali geni, & ab obscœnis somnijs. His factis, lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis imagine, ac me cõpono ad somnum. E R. Quo pacto te componis? G A. Nec pronus cubo, nec supinus, sed primum lateri dextro innitens, brachijs ita tranuersim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, læua dextro. Ita dormio suauiter, donec aut expergiscar ipse, aut exciter. E R. Sanctulus es, qui ista poßis. G A. Imò stultulus es, qui ista dicas. E R. Laudo institutum, si queam assequi. G A. Velis tantummodo. Nam ubi assueueris pauculos menses, erunt hæc etiam suauia, adeo uertentur in naturam. E R. Sed nihil audio de sacris. G A. Nec hac parte mihi desum diebus festis. E R. In his quomodo te geris? G A. Primum omnium excutio meipsum, num qua labe peccati sit animus contaminatus. E R. Id si comperias, quid tum? subducis te ab altari? G A. Nequaquam corpore, sed animo me submoueo, ac ueluti procul stans, nec audens attollere oculos ad patrem deum, quem offendi, tundo pectus meum, dicens illud ex Euangelio cum publicano: Domine, propitius esto mihi peccatori. Deinde si sensero quempiam offensum à me, eum curo placandum euestigio, si licet: sin minus, statuo in animo mihi, quum primum licebit, reconciliare proximum. Si quis offendit me, remitto uindictam, doq; operam, ut qui læsit, agnoscat errorẽ suũ, & resipiscat. Sin eius rei nulla spes est, undictam omnẽ deo relinquo. E R. Isthuc durum est. G A. An hoc durum, condonare leuem noxiam fratri tuo, cuius ignoscẽtia

Digitized by Google

tia tibi mutua sit frequenter opus, cum Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, & quotidie condonet? Imò mihi uidetur hæc non esse liberalitas in proximum, sed fœneratio apud deum, perinde quasi cõ seruus ex pacto remittat conseruo tres drachmas, ut ipsi dominus condonet talenta decem. E R. Pulchre tu quidẽ philosopharis, si modo certum sit, quod ais. G A. An postulas aliquid certius Euangelica cautione. E R. Nõ est æquum. Sed sunt, qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie missam, ut appellant, audierint. G A S. Horum institutum equidem non dãno, præsertim in his, qui abundant ocio, qui ue totos dies occupantur profanis negocijs. Tantum illos non approbo, qui superstitiose sibi persuaserunt, diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati à missa. Et statim à sacro se conferũt uel ad negotiationẽ, uel ad predã, uel ad aulã: ubi si qd' p fas nefasq; gerũt successerit, missæ imputãt. E R. Sunt ne, qui sic desipiant? G A. Magna pars hominum. E R. Sed redi ad sacrum. G A. Si licet, adsto uicinus altari sacro, quo percipere queam ea, quæ sacrificus recitat præsertim epistolam & Euangelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo. Id mecum aliquandiu rumino. E R. Nihil interim oras? G A. Oro, sed cogitatione magis quam strepitu labiorum. Ex his quæ recitat sacerdos, arripio precandi occasionem. E R A S. Dic isthuc explanatius, nam non satis assequor, quid uelis. G A S P. Dicam: Finge recitari epistolam. Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis azimi. Ad

Missa.

Ad hæc uerba ſic mecum loquor Chriſto: Vtinam uere ſim azymus purus ab omni fermento maliciæ. Sed tu domine Ieſu, qui ſolus es ab omni malicia purus ac ſyncerus, largire ut indies & ipſe magis ac magis expurgem uetus fermentum. Rurſum ſi forte legatur Euangelium de ſeminante ſemen ſuum, ſic oro mecum: Felix ille, qui meretur eſſe terra bona, precorq;, ut me ex terra parum frugiferat ſua benignitate faciat terram bonam, ſine cuius beneficio nihil omnino bonum eſt. Sint hæc exẽpli cauſa dicta. Nam ſingula perſequi prolixum ſit. Sed ſi contingat ſacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adeſſe propius altari, ferè libellum paro, in quo deſcriptum ſit eius diei Euangelium & epiſtola, inde ipſe aut pronuncio, aut oculis lego. ER. Intelligo, ſed quibus cogitationibus potiſſimum tranſmittis hoc tempus. GAS. Ago gratias Ieſu Chriſto pro ineffabili charitate, quod genus humanum ſua morte redimere dignatus eſt, & oro ne patiatur ſuum ſacroſanctum ſanguinem pro me fruſtra fuſum eſſe, ſed ſuo corpore ſemper paſcat animum meum, ſuo ſanguine uiuificet ſpiritum meum, ut paulatim adoloſcens uirtutum auctibus, efficiar idoneum membrum corporis illius myſtici, quod eſt eccleſia: nec unquam deficiam ab illo ſanctiſſimo fœdere, quod in extrema cœna diſtributo pane, & porrecto poculo pepigit cũ diſcipulis ſuis electis, & per hos cum omnibus qui per baptiſmum in ſocietatem illius inſiti ſunt. Quod ſi ſenſero uagari cogitationem, lego Pſalmos aliquot aut aliud quippiam pium, quod animum ab euagando cohibeat. ER. Habes in

hoc

Digitized by Google

hoc Psalmos certos? G A. Habeo, sed quos non ita mihi ipsi indixi, quin omittam, si cogitatio quæpiam incidat, quæ magis reficiat animum meum, quàm illa Psalmorum recitatio. E R. Quid de ieiunando? GA. Cum ieiunio mihi nihil est negocij. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse ualetudinem atterendam ieiunijs, do nec corpus ætate robur iustum collegerit. Nondum autem egressus sum annum decimum septimum. Sed tamen si sensero opus, prandeo cœnoq;, parcius, quo me præbeam alacriorem studijs pietatis per diem festum. E R. Posteaquàm cœpi semel, expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones? G A. Optime. Ad has non minus religiose accedo, quàm ad sacram synaxim. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim, quos præstat nõ audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacra lectione: lego Euangelium & epistolam cum interpretatione Chrysostomi, aut Hieronomi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpres. E R. Sed magis afficit uiua uox. G A. Fateor, & audire malo, si detur concionator tolerabilis: sed non uideor omnino caruisse concione, si Chrysostomũ aut Hieronymum scripto loquentem audiero. E R. Non opinor. Sed quid te delectat confessio? G A. Magnopere. Nam cõfiteor quotidie. E R. Quotidie? G A. Sic est, E R. Alendus est igitur tibi proprie sacerdos. G A. Sed illi confiteor, qui solus remittit peccata, cui est potestas uniuersa. E R. Cui nam? G A. Christo. E R. An istud sat esse putas? G A. Mihi sat esset, si sat esset proceribus ecclesiæ & consuetudini receptæ. ER. Sed

Ieiunium.

Conciones.

Confessio.

quos

quos tandem appellas eccleſiæ proceres? G A. Pontifices, epiſcopos, apoſtolos. E R. Et inter hos annumeras Chriſtum? G A. Is eſt omnium ſine controuerſia colophon. E R. Et huius receptæ confeßionis autor? G A. Is quidem autor eſt omnis boni: ſed an ipſe inſtituerit hanc confeßionem, theologis excutiẽdum relinquo. Mihi puero & idiotæ ſufficit maiorum autoritas. Hæc eſt certe præcipua cõfeßio. Nec eſt facile cõfiteri Chriſto. Nõ cõfitetur illi, niſi qui ex animo iraſcitur ſuo peccato Apud illũ expono deploroq; ſi quid admiſi grauius, clamo, lachrymo, ploro, meipſum execror, illius iploro miſericordiã: nec finẽ facio, donec ſenſero peccãdi affectũ penitus expurgatum è medullis animi, & ſuccedere trã quillitatẽ aliquã & alacritatẽ, cõdonati criminis argumẽtum. Atq; ubi tempus inuitat, ut adeam ſacroſanctam mẽſam corporis & ſanguinis dominici, confiteor & ſacerdoti, ſed paucis, & non niſi ea, quæ certò uidentur crimina, aut eiuſmodi, ut uehemens ſuſpicio ſit crimẽ eſſe. Neq; uero protinus arbitror eſſe piaculum, quod admittitur aduerſus conſtitutiones humanas, niſi cõtemptus acceſſerit malicioſius. Imò uix arbitror crimen capitale, cui non ſit adiuncta malicia, hoc eſt, peruerſa uoluntas. E R. Laudo quod ſic es religioſus, ut tamen ſuperſtitioſus non ſis. Hic quoq; puto locum eſſe prouerbio: Nec omnia, nec paſſim, nec quibuslibet. G A. Deligo mihi ſacerdotem, cui credam arcana pectoris. E R. Iſthuc eſt ſapere. Sunt enim permulti, quod compertum eſt, qui quod accipiunt in confeßionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & imprudentes, qui percontantur à confitente,

Nec omnia. Chil. 2. cent. 4. prouerb. 16.

Digitized by Google

tente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidum quæstum præbent aurem uerius quàm animum, quum nec dijudicent inter noxiam & recte factum, nec docere possint, nec consolari, nec consulere. Hæc sic habere frequenter audiui ex multis, & ipse partim expertus sum. G A. Et ego nimium. Proinde deligo mihi utrum non indoctum, graue, spectatæ integritatis, linguæ continentis. ER. Profecto felix es, qui ista mature sapere cœperis. G A. Deniq; illa prima mihi curarũ est, ne quid cõmittam, quod cum periculo credam sacerdoti. E R. Nihil melius, si quidem possis cauere. G A S. Nobis quidem difficillimum est, sed auxiliante Christo, facile est. Primum est, ut adsit bona uoluntas. Eam mihi subinde renouo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco meipsum pro uiribus ab improborum consortio, et sodalibus integerrimis me adiũgo, quorum conuictu fiam melior. E R. Recte tibi consulis. Corrumpunt enim mores bonos colloquia prauq. G A. Ocium ceu pestem quandam fugio. G R. Nec mirum: nam nihil malorum non docet ocium. Sed ut nunc sunt hominum mores, solus uiuat oportet, qui uelit abesse à malorum consortio. G A. Non omnino uanum est, quod dicis. Plures enim mali, ut Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquàm sodalem reddit meliorem. Vito lusus, qui prouocant ad nequitiam, utor innoxijs. Comem me præbeo omnibus. Sed familiarem non nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blãde monẽdo, aut dissimulo toleroq;, si uideor nõ profecturus, certe cũ primũ licet memet ab illis sufferor.

Corrumpunt. Chil. 1. cẽt. 10. prouerb. 74.

ror. ER. Nunquam ne titilauit animum tuum libido ca piundæ cuculle? GA. Nunquam, sed crebro solicitatus sum à quibusdam, ab hoc seculo, uelut à naufragio, ad portum monasteriorum uocantibus. ER. Quid ego au dio? Captabant prædam? GA. Miris technis adorti sunt & me & parentes. Sed mihi stat sententia, non addice re me uel matrimonio, uel sacerdotio, uel istituto mona chorum, aut ulli uitæ generi, unde post me non queam extricare, prius quàm mihi fuero pulchre notus. ER. Quando isthuc erit? GA. Fortasse nunquam. Sed ante annum uigesimum octauum nihil statuetur. ER. Quor ita? GA. Quia audio passim tam multos sacerdotes, mo nachos, & maritos deplorantes, quod sese temere præ cipitarint in seruitutem. ER. Cautus es, qui capi nolis. GA. Interim tria mihi curæ sunt. ER. Quænam ista? GA. Vt proficiam in probitate morum. Dein si id ne queam, certe tuear illibatam innocentiam ac famam. Po stremo paro mihi bonas literas, ac disciplinas, in quouis uitæ genere futuras usui. ER. Sed interim à Poëtis absti nes. GA. Non in totũ. Sed castissimos quosq; potissimũ lego. Quod si quid inciderit parum uerecundum, præ tercurro, quemadmodum Vlysses obturatis auribus Si renas præternauigauit. ER. Sed cui interim studiorum generi te potissimum addicis? Medicinæ, iuri Cæsareo aut Pontificio, an Theologiæ? Nam linguæ, bonæ lite ræ, philosophia, pariter conducunt ad omnem profes sionem. GA. Nondum ulli me planè addixi, sed ex om nibus gustum aliquem capio, ne cuiusquam planè sim rudis: utq; degustatis singulis, certius eligam cui sim ac cõmodus:

Digitized by Google

commodus: Medicina ubiuis terrarum certißimum uiaticũ eſt. Iuris prudẽtia uiam aperit ad dignitates. Theologia mihi cum primis placeret, niſi me mores quorundam, & moroſæ inter ipſos contentiones offenderent. E R. Nõ facile labitur, qui ſic pedetẽtim incedit. Cõplures abſtinẽt à Theologia, quod uereãtur, ne uacillent in fide catholica, cum uideãt nihil nõ uocari in quæſtionẽ. G A. Ego quod lego in ſacris literis, & in ſymbolo, quod dicitur apoſtolorũ, ſumma fiducia credo: nec ultra ſcrutor. Cætera permitto theologis diſputanda, ac deſinẽda, ſi uelint. Si quid tamẽ receptũ eſt uſu populi Chriſtiani, quod nõ planè pugnet cum ſacris literis, hactenus ſeruo, ne cuiquã ſim offendiculo. E R. Quis Thales te docuit iſtam philoſophiã? G A. Fuit mihi admodũ puero conſuetudo domeſtica cum integerrimo uiro Ioanne Coleto. Noſtin' hominem? E R. Quid ni? Tanquam te. G A. Is eam ætatem huiuſmodi præceptiunculis imbuit. E R. Nõ inuidebis, ſi me præbeã æmulum inſtituti tui? G A. Imò iſthoc nomine mihi futurus es multo charior. Scis enim ſimilitudine morũ conglutinari familiaritatem ac beneuolentiam. E R. Verum, ſed non inter competitores eiuſdem magiſtratus, quum ſimili laborẽt morbo. G A. Nec inter eiuſdem ſponſæ procos, quum pariter laborent amore. E R. Sed extra iocum, experiar imitari rationem iſtam. G A. Precor ut tibi uertat quàm optime. E R. Fortaßis aſſequar te. G A. Vtinam & præcurras. Sed interim non opcriar te. Quin ipſe quotidie meipſum ſuperare contendo. Sed tamen adnitere ſi potes, ut anteuertas.

Digitized by Google

VENATIO. PAVLVS, THOMAS, Vincentius, Laurentius, Bartholus.

PAVL. Trahit sua quenq; uoluptas. Mihi placet uenatio. TH. Placet & mihi, sed ubi canes, ubi uenabula, ubi casses? PAV. Valeant apri, ursi, cerui & uulpes, nos insidiabimur cuniculis. VIN. At ego laqueos inijciam locustis. Insidiabor ~~grillis.~~ LAVR. Ego ranas captabo. BAR. Ego papiliones uenabor. LAV. Difficile est sectari uolantia. BAR. Difficile, sed pulchrum: nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carent alis. LAV. Equidem malo insidiari piscibus, est mihi hamus elegans. BAR. Sed unde parabis escam? LAV. Lumbricorum ubique magna est copia. BAR. Est, si tibi uelint ~~prorepere~~ è terra. LAV. At ego mox efficiam, ut multæ Myriades ~~prosiliant.~~ BAR. Quo pacto? incantamentis? LAV. Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos iuglandium summos cortices uirentes confractos immittito. Hac aqua perfunde solum. Nunc obserua paulisper. Vides emergentes? BAR. Rem prodigiosam uideo. Sic olim, opinor, ~~exiliebant armati~~ ex satis serpentis dentibus. Sed pleriq; pisces delicatioris & elegantioris sunt palati, quàm ut esca tam uulgari capiantur. LAV. Noui quoddã insecti genus, quo talibus insidiari soleo. BAR. Tu uide, an possis imponere piscibus, ego ranis faceßam negocium. LAV. Quomodo, reti? BAR. Non, sed arcu. LAV. Nouum piscandi genus. BAR. At non iniucundum. Videbis & fateberis. VIN. Quid si nos duo micemus digitis? PAV. Ignauum est ac rusticum

lusus

lusus genus. Ad focum desidētibus magis cōuenit, quàm in campo uersantibus. VIN. *Quid si certemus nucibus?* PAV. *Nuces admodum pueris relinquamus. Nos grandiusculi sumus.* VIN. *Et tamen nihil aliud adhuc, quàm pueri sumus.* PAV. *Sed quibus decorum est ludere nucibus, ~~iisdem non indecorum est equitare in arundine longa.~~* VIN. *Tu igitur præscribito lusus genus. Sequar quocunq; uocaris.* PAV. *Et ~~ego futurus sum omnium horarum homo.~~*

Omnium hor. Chil. 1. centu. 2. prouerb. 86.

EVNTES IN LVDVM LITERARIVM. PERSONAE, Syluius, Ioannes.

SYL. Cur adeo curris Ioānes? IO. *Cur lepus, ut aiūt, pro carnibus?* SY. *Quid hoc prouerbij est?* IO. *Quia nisi adfuero in tēpore ante recitatum catalogum, actum est de pelle mea.* SYL. *Hac quidē ex parte nihil est periculi. Modo præterita est quinta. Inspice horologium, manus nondū attigit punctū, quod horā ab hora æquis spacijs dirimit.* IO. *At ego uix habeo fidē horologijs. Mentiuntur nōnunquam.* SY. *At mihi fide, qui ~~campanæ uocē audiui.~~* IO. *Quid loquebatur?* SY. *Horam esse quintam.* IO. *Sed est & aliud, unde magis etiam timeam. Reddenda ~~est memoriter~~ hesterna lectio, satis prolixa. Vereor, ut posim.* SYL. *Commune periculum narras. Nam & ipse uix satis teneo.* IO. *Et nosti præceptoris sæuitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcit nostris natibus, quàm si corium esset bubulum.* SYL. *Verum is non aderit in ludo.* IOAN. *Quem igitur uicarium constituit?* SYL. *Cornelium.*

Lepus pro car. Chil. 2. cent. 1. prouerb. 80.

Digitized by Google

Orbilium literatorem Horatius plagosum appellat.

IO. *Strabum illum? Væ noſtris natibus. Is uel Orbilio plagoſior eſt.* SYL. *Verum dicis, & ideo non raro ſum illius brachio precatus paralyſim.* IO. *Non eſt pium imprecari præceptori. Nobis potius cauẽdum, ne incidamus in illius tyranni manus.* SY. *Reddamus inter nos uiciſsim: altero recitante, altero codicẽ inſpiciente.* IO. *Pulchre mones.* SY. *Fac præſenti ſis animo. Nam metus officit memoriæ.* IO. *Facile deponerẽ pauorem, ſi non adeſſet periculũ. At in tanto diſcrimine quis poſſet eſſe ſecurus animo?* SY. *Fateor, attamen non agitur de capite, ſed de parte diuerſa.*

ALIA. CORNELIVS, ANDREAS.

COR. *Scite tu quidem pingis, ſed charta tua perfluit. Charta ſubhumida eſt, ~~ac tranſmittit atramentum~~.* AN. *Quæſo, ut appares mihi pennam hanc.* COR. *Deeſt mihi gladiolus ſcriptorius.* AN. *En tibi.* COR. *Hui quàm obtuſus.* AN. *Accipe coticulam.* COR. *Vtrum amas ſcribere cuſpide duriuſcula, an molliore?* AN. *Attempera ad manum tuam.* COR. *Ego molliore ſoleo.* AN. *Quæſo ut mihi deſcribas ordine figuras elemẽtorum.* CO. *Græcas an Latinas?* AN. *Latinas primum. Conabor imitari.* CO. *Suppedita chartam.* AN. *Accipe.* CO. *Sed meum atramẽtum dilutius eſt, ſubinde infuſa aqua.* AN. *At meũ linteolũ prorſus exaruit.* CO. *Immunge, niſi mauis immeiere.* AN. *Imò potius rogabo alicunde.* CO. *Præſtat habere domi, quàm rogare cõmodato.* AN. *Quid eſt ſcholaſticus abſq; calamo & atramento?* COR. *Quod miles abſq; clypeo & gladio.* AND. *Vtinam mihi eſſent articuli tam celeres,*

Equidem

Digitized by Google

Equidem non possum dictatis uocem scribendo assequi.
COR. *Prima cura sit, ut bene scribas: proxima ut celeriter. Sat cito, si sat bene.* AN. *Belle, sed istam cantionem cane præceptori, quum dictat: Sat cito, si bene.*

AGENDI GRATIAS, FOR.

PETRVS. *Gratum mihi feciſti, quod aliquoties ad me ſcripſeris. Habeo gratiam, quod ad me crebrius ſcripſiſti. Amo te, quod interdum ad me literas dare non dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris literis me uiſeris. Ago tibi gratias, qui literarũ faſciculis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur gratia, qui nos aliquando literis laceßiueris. Per gratum mihi feciſti, quod nos dignatus ſis tuis literis. Debeo tibi pro tuis humaniſſimis ad me literis. Magni beneficij loco duco, quod non es grauatus ad me ſcribere.*

RESPONSIO.

CHRISTIANVS. *Imò meum eſt deprecari cuſpam impudentiæ, qui non ueritus ſim tibi homini, tum occupatiſſimo, tum doctiſſimo, meis illiteratis literis obſtrepere. Agnoſco ſolitam tuam humanitatem, qui meam audaciam boni cõſulueris. Verebar, ne quid offendiſſent te meæ literæ, quod nihil omnino reſponderes. Non eſt quod agas gratias: mihi plus ſatis eſt, ſi ~~ſedulitatẽ~~ meam accepiſti in bonam partem.*

NOVA ROGANDI, FOR.

PE. *Nihil ne nouarum rerum adfertur è patria? Num quid noui de noſtratibus accepiſti? Quid noui? Ecquid nouarum rerum apportas? Num quid noui fertur? Num quæ res nouæ è patria nunciantur?*

Digitized by Google

RESPONSIO.

CH. Noui quidē permultū, at nihil ueri. Nouarū quidē rerū satis, at nihil cōperti. Noua permulta, at explorati nihil. Nō parū noui, at ueri nō multū. Nihil adfertur noui. Nouarū rerū nihil prorsus accepi. Certi nihil, noui nōnihil. Rumores adferūtur permulti, sed dubij. Plurima est fama, at rerum nihil, firmi nihil. Si uana te capiunt, adfero totis plaustra mendaciorum. Fabularum totos modios apporto. Tantum mendaciorū adfero, quantū uix una nauis uehat. PE. Exonera te quàm primum, ne succumbas tanto oneri. CH. Nihil habeo præter ea quæ iactantur in tonstrinis, in uehiculis & in nauibus.

AN ACCEPISTI LITERAS? FOR.

PE. Nihil ne literarum accepisti? Num aliquas è patria recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ literæ? Num quid scriptorum accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum aduolauit è Gallia?

RESPONSIO.

CH. Literarum nihil accepi. Ne pilum quidē literarum accepi. Ne tantulum quidē adfertur literarū. Nemo literam ad me. Ne uerbū quidem à quoquam redditur. Tantum literarum accepi iam diu, quantum uides in oculo meo. Equidem pecunias quàm literas malim. Argentum accipere malim quàm epistolas. Nummos recipere malim quàm epistolia. Nihil moror literas, modo ueniat argentum. Equidem numerari malo mihi quàm scribi.

CREDO, FOR.

PE. Facile credo. Haud difficile creditu est. Credibile istud perfacile

Digitized by Google

perfacile poteſt. Iſtud tibi quis nõ credat? Admodũ incredulus fuerit, qui hoc tibi non credat. Profecto habeo tibi fidẽ. Iſtius rei mihi facile fidem facis. Credo tibi uel iniurato. Veriſimile dicis. Adferunt tamen nonnihil ſolatij literæ. At ego altcrutrum malim quàm neutrum.

VTILITATIS, FOR.

CH. Quorſum ſpectãt literæ ſine pecunia? Ad quid tandem inanes cõducũt literæ? Quorſum ualẽt, ad quid conferunt, faciũt, proſunt, proficiũt literæ uacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ ſine nummis? Quid emolumenti adferunt literæ inanes? Cui bono ſunt ocioſæ literæ? Quid iuuant? cui ſunt uſui? Ad quid cõducibiles ſunt? Quid ſecũ adferunt momenti? Cui rei ſunt utiles inanes epiſtolæ?

RESPONSIO.

PE. Podici tergendo utiles, idoneæ, accõmodæ. Conducunt natibus tergendis. Si uſum neſcis earũ, ad anum expurgandũ ualent. Ad nates tergẽdas. Ad poſticum purgandum. Cõferunt ad eam corporis partem mundandã, quæ ſemet identidẽ inquinat. Valent cõueſtiendis ſcombris. Inuoluẽdo thuri ſunt accommodatæ. Quid, ualẽt ne amiculi? Quid uxor agit tua? CH. Recte, eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.

Idẽtidem, id eſt, ſubinde, alluſit ad prouerbiũ, τὸ πρῶτον περιγινόμενον. Horatius. Nec ſcõbros metuentia carmina, nec thus.

BENE PRECANDI.

PE. Bene & tibi & illi uertat: tibi quod pater, illi quod mater futura ſit. Adſit deus. Vt utriq; ueſtrum fauſtum felixq; ſit, precor, optoq;. Quæſo, oro ſuperos omnes, ut incolumis prolem uobis dignam pariat, & pulchra faciat te prole parentem. Laudo te, quod uirum te præſtiteris. Gaudeo te uirum præſtitiſſe. Gallum te eſſe

Digitized by Google

declaraſti, at nõ Cybeles. Abi, uirum te iudico. C H. Lu dis, idq; facis tuo more. Age age, eſt tibi ius apud me lo quẽdi, quælibet. Audio te patriã nuper reuiſiſſe. P E. Sic eſt factum. Nam diutiuſcule iam abfuerã, non ferebã tam diuturnum patriæ deſiderium. Non poterã à parentum cõſpectu abeſſe diutius. Torquebat me diutinum amicorũ deſideriũ. C H. Pie feciſti, humanus es, qui iſta cogites. Ducimur enim omnes admirabili quodã amore eius re= gionis quæ nos aluit atq; ædidit. Et neſcio qua natale ſo lum dulcedine cunctos ducit, & immemores nõ ſinit eſſe ſui. Dic quæſo quonam in loco illic offendiſti omnia.

NOVA OMNIA, FOR.

P E. Nihil non nouum. Mutata omnia. Nouata ſingula. Vniuerſa noua. Vide quàm repente tẽpus res mutet hu manas. Videbar mihi in alium uenire mundum. Vixdum decennium abfueram, & non ſecus omnia admirabar, quàm Epimenides ſomniatorũ princeps uix tandem ex= pergefactus. C H. Quænam iſta eſt fabula? Quid iſthuc eſt fabulæ? P E. Dicam equidem, ſi uacat. C H R. Nihil fuerit iucundius. P E. Sellã igitur unà cum pulmino mihi poni iube. C H R. Recte admones, nam ſedens commo dius mentieris. P E. Fabulantur hiſtorici de Epimenide quodam Cretenſi, qui deambulandi gratia ſolus urbem egreſſus, cum ſubita pluuiæ ui compellente in quandam ſpeluncam ingreſſus, obdormiſſet, quadraginta ſeptem perpetuos annos ſomnum continuarit.

Epimenidis fabula.

NON CREDO, FORMVLA.

C H. Quid narras? Incredibile dictu. Non ueriſimile di cis. Somniũ mihi narras. Non fit mihi ſimile ueri. Mon ſtri

Digitized by Google

ſtri ſimile narras. Nõ pudet tam improbæ uanitatis? Di gna fabula, quæ addatur ueris narrationibus Luciani. PE. Imò rẽ narro à grauiſſimis proditã autoribus. Niſi forte tibi parum ſpectata fidei eſt Aulus Gel. CH. Mihi uero quæ ſcribit ille, folia Sibyllæ ſunt omnia. PE. Quid tandem theologum tot annis ſomniaſſe reris? Nã theologum fuiſſe, proditũ eſt. CHRI. Audire geſtio.

foelia Sibyllae

RESPONSIO.

PE. Quid aliud quàm quæ poſtea prodidit Scotus, & huius farinæ ſodales? Sed bene cum Epimenide actũ eſt, qui uel tandem ad ſe redierit. Multi theologi nunquam expergiſcuntur à ſuis ſomnijs. CH. Age facis ut poëta dignum eſt. Sed perge mentiri. PE. Epimenides igitur ſomno ſolutus, è ſpelunca prodit, circumſpicit, mutata uidet omnia, ſyluas, ripas, flumina, arbores, agros, breuiter nihil non nouum. Accedit ad urbem, percontatur, manet illic aliquandiu, neque nouit quenquam neque à quopiam agnitus eſt. Alius hominum cultus, nec idem uultus, mutatus ſermo, diuerſi mores. Nec miror hoc Epimenidi poſt tãtum annorum euenisſe, cum mihi idẽ propemodum euenerit, qui pauculos annos abfuiſſem. CH. Quid uterq; parens, uiuunt ne? PE. Viuunt ambo, & ualent utcunq;, ſenio, morbo, deniq; bellorum calamitate confecti. CHR. Hæc eſt humanæ uitæ comœdia. Hæc eſt fatorum lex ineuitabilis. PE. Cœnabis hodie domi? CH. Foris cœnaturus ſum. Foris cœnandum eſt mihi. PE. Apud quem? CHR. Apud ſocerum meum, apud generum meum, apud nurum meam, apud affinem meũ. Affines dicuntur qui non ſanguinis, ſed matrimonij con Affines qui.

iunctione copulati sunt. PE. Quæ sunt igitur usitata uocabula affinitatum?

NOMINA AFFINITATVM.

CHRI. Maritus & uxor nota sunt nomina.

Socer — uxoris meæ pater est mihi.
Gener — filiæ meæ maritus.
Socrus — uxoris meæ mater.
Nurus — filij mei uxor.
Leuir — mariti frater. Leuir dicitur ab uxore ut Helena Hectorem leuirum uocat, quod esset nupta Paridi.
Fratria — fratris mei uxor.
Glos — mariti soror.
Vitricus — matris meæ maritus.
Nouerca — patris mei uxor.
Priuignus — uxoris aut mariti filius.
Priuigna — filia alterutrius.
Riualis — qui amat eandem.
Pellex — quæ amat eundem, ut Thraso riualis est Phædriæ, & Europe pellex est Iunoni.

CRAS PRANDEAS, FOR.

PE. Ago gratias. Laudo te: in crastinū igitur te ad cœnā uoco. Cras ergo ut mecū cœnes oro. Cras igitur mecum prandeas rogo. Cras igitur te mihi cōuiuam uolo.

TIMEO NE NON POSSIM.

CHRI. At uereor, ne non licuerit. Vt possim, metuo. Veniam, si quidem licebit. At metuo ne non queam.

QVARE?

PE. Cur non licebit? Qui sic? Quid ita? Quam ob rem?

Quo

Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit, quo minus posis?

DOMI ME ESSE OPORTET.

CHR. *Tum quidē mihi domi manendū est. Vt domi nō ēte sim necesse est. Tum certe foris esse nō licebit. Cras mihi quoquam ire fōras, liberū nō erit. A prandio abeße mihi integrū non erit. Aliquot ipse cōuiuas eo die operior. Aliquot amiculi constituere ea nocte domi nostræ cœnare. Ipsi mihi cōuiuæ sunt ea nocte tractādi, alioqui lubens uenirē. Ni id esset, haud grauatim facerē. Quod ni esset, haud me tibi difficilē præberē. Nō excusarem, si liceret. Nō paterer bis rogari, si queam. Parce rogare: uel inuocatus adessem, si quo pacto liceret. Haud grauate tibi obsequerer, si posim. Frustra rogas eū, cui nō est liberum: frustra itē rogaturus, si liberū eßet. Nūc ut maxime cupiā, non possum. Tunc superuacaneum esset rogare uolentē.* PE. *Vel perendie apud me sis oportet. Sal tem perendino die ad cœnam uenias, necesse est. Quarto ab hinc die non grauaberis mihi præbere conuiuam. Die Iouis proximo non potes effugere, quin uenias.*

NON POSSVM PROMITTERE.

CHRI. *Non posum polliceri. Affirmare istud tibi non possum. Promittere certò nequeo. Veniam ubi utriq; no strum uidebitur commodißimum.*

DIEM DICERE DEBES.

PET. *Diem igitur mihi constituas uolo, ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur aßignes oportet. Diem igitur promittas, necesse est. Diem certum mihi præfiniri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem*

Digitized by Google

diem condicito. Diem mihi dicas uelim.

NOLO TE PRAESCIRE.

CHRI. Equidem non soleo dicere diem amicis. Cũ quibus mihi parum conuenit, ijs soleo diem dicere. Præsciũ te esse nolim. Præscire te nolo. De improuiso te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppreßurus sum. Nõ expectatus adfuero. Adoriar te nec opinantem. Veniã ultroneus & insperatus conuiua.

PRAESCIRE VOLO.

PE. Bidum præscire uolo. Biduum præsciũ esse cupio. Præmoneto biduo prius, quàm uenias. Fac me biduo ante certiorem. CH. Si me urges, dico tibi diẽ Sybariticum, ne desit apparandi spaciũ. PE. Quid hoc uerbi est? CH. Sybaritæ cõuiuas inuitabant in annũ proximũ, ut utrinq; esset iustus apparatus. PE. Valeant Sybaritæ cum suis molestis cõuiuijs. Ego cõgerronem uoco nõ Satrapam.

Sybariticum. Chil. 2. cent. 2. prouerb. 65.

TVO MALO OPTAS.

CH. Equidem tuo detrimento. Tuopte quidem malo. In damnum tuum istud optas. Incõmodo istud precaris tuo. PE. Quid ita? Quam ob rem? CH. Ego instructus accedam. Ego munitus ueniã. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedam, tu uide, ut ulturẽ expleueris. Parabo uẽtrem, ac dẽtes exacuam, tu uide, quibus modis lupum ~~exatures~~. PE. Age ad hoc certamen te prouoco. Age fac pro uiribus, pro uirili, si quid potes. CH. Veniam, sed non incomitatus. PE. Tanto uenies gratior. Sed quo comite uenies? CH. Vmbra. PE. Nec secus possis, si modo luce uenias. CH. Sed umbrã adductiurus sum dentatam

Digitized by Google

dentatam unam atq; alteram, ne tu me uocaris impune. PE. *Age ut libet, modo ne laruas adducas. Sed explana si libet, quid sibi uelit umbræ uocabulum.* CH. *Apud crudi-* Vmbræ.
tos umbræ uocantur, qui ipsi non uocati, comitantur eũ qui uocatus est ad conuiuiũ. PE. *Talium umbrarum adduc, quãtũ uoles.* EA LEGE PROMITTO.
CHR. *Veniam quidem, at hac lege, ut tu postridie eius diei uicißim apud me cœnes. Faciam eo quidẽ pacto, ut tu deinde mihi quoq; sis cõuiua. Ea lege cœnã cõdico, ut tu rursum mihi sis conuiua. Spondeo futurum, sed hac exceptione, si tu postero die itidẽ apud me sis. Recipio tibi facturum me. Do fidem futurum, his quidẽ legibus, ut tu mecum postridie prandeas.* PE. *Age fiat. Esto. Sit ita, ut uis. Si iubes, faciam. Noui Gallorum magnificentiam. Non uis gratis apud me cœnare, nisi uices retuleris. At isto quidẽ pacto redire solent in orbẽ conuiuia. Sic nascitur cõuiuiorum longa ~~periodus~~. Hac uicißitudine fiunt sine fine reciproca cõuiuia.* CHR. *Nihil suauius, si minimum accedat apparatui quotidiano. Cæterum ego te detineo, aliò fortaßis iturũ.* PE. *Imò ego te, opinor. Sed cras latius & familiarius confabulabimur. Verum crastino die plura nugabimur. Interim fac ualeas. Interim cura, ut bene ualeas. Interim ualebis.*

QVO IS? FORMVLA.

CHR. *Quò tu nunc abis? Quò tu nunc properas? Quò tu tam celeri gradu tendis? Quò nam te confers? Quò nunc iter est?*

EO DOMVM, FORMVLA.

PE. *Domum me recipio. Domum reuertor. Domũ repeto. Do*

Digitized by Google

to. Domum me confero. Viso, quid domi agatur. Accerso medicum. Rus hinc concedo. Constitui ad hanc horã cum uiro quodam grauissimo colloqui. Statui hac hora uerba facere cum uiro grauissimo. CH. Quonam? PE. Cum Curione multiloquo. CH. Precor igitur tibi præsentem Mercurium. PE. Quid opus Mercurio fauente? CH. Qua res erit cum linguaci. PE. Atqui hac gratia magis cõueniebat, mihi memoriã precari propiciã. CH. Quid ita? PE. Quia patientissimis auribus opus erit potius quàm strenua lingua. At auris Memoriæ dicata est. CH. Quanam iturus es? Qua ibis? PE. Hac ad sinistrã, hac, illac, per forum. CHR. ~~Comitabor~~ igitur te. ~~Affecta~~ bor ac ~~deducam te~~ ad diuerticulum usq;. PET. Non patiar ~~te circumagi~~. Nolim te tantũ laboris mea causa capere. Isthuc officij serua cum erit usus, nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias uiæ tuæ dispendium. CH. Mihi quidem compendium est, frui tantisper amico. Nihil habeo quod agam, & non sum piger: ni tibi sum molestus comes. PE. Nemo iucundior assecla. At nõ sinam, ut mihi claudas læuum latus. Non admittam, ut mihi sinister ambules. CH. Hic te supersedeo commendo. Nolo te longius comitem. Vlterius nolo me comiteris.

Memoriã hic pro dea posuit Memoria.

COMMENDANDI, FORMVLA.

CHRI. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quàm commendatiss. facias. Me Curioni commendatum quàm diligẽtissime curato. Iube ut me sibi commendatiss. habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi ctiã atq; etiam cõmendo. Me tuæ humanitati quàm possum diligentissime commendo.

Recom

Recommendo pro commendo, barbaris relinquito. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.

PE. *Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obsequi? Vis tibi obsecundem? Te igitur imitari me iubes? Quãdoquidem ita uis, faciã libentißime. Ne sis mihi diutius in mora, imò ne uterq; alteri.* CHR. *Sed prius quàm abeas, quæso te, ne graueris me docere, quo pacto his sit utendũ, in mora, in causa, in culpa, qui soles elegãtiæ studiosus esse. Quare age, doce obsecro. Dißere anabo.*

IN CVLPA, IN CAVSA, IN MORA.

PE. *Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, nõ est culpa in te. Mora est in te, in te causa est, grammatice quidem dicitur, at multo elegantius.*

IN CVLPA.

Non sum in culpa. Culpa nõ est mea. Vaco culpa. Quod nihil proficis, tua desidia in causa fuit, nõ præceptor, nõ pater tuus. In culpa omnes estis. Vtriq; in culpa estis. Vtriq; culpandi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis. Incidisti in morbum tuo ipsius uitio, tua ipsius culpa. Itidẽ dicũtur in uitio esse, quibus culpa debet imputari: & in crimine esse, qui culpãdi sunt: & in dãno esse, qui dãno afficiũtur. Hoc genus sermonis nõ temere licet inuertere. Damnum in illo est, uitium in illo est.

In uitio, in crimine, in damno esse.

IN CAVSA.

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quod rarius ad te scripserim, mea negocia in causa fuerũt, nõ negligẽtia. Quid in causa fuit? Quid causæ fuit? Ego nõ sum in causa. Quod nullas à me literas acceperis, tabellarius

Digitized by Google

rius in causa fuit. Quod tam macillentus es, amor, non studium in causa est. Hoc est causæ.

IN MORA.

Non ero uobis in mora. Quid nam uobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semper in mora es. Quid te remoratum est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas, tuũ est memoriæ insculpere. Habes assectatiunculæ tuæ præmium. Vale mi Christiane. CHRI. *Vale in crastinum & tu mihi Petre.*

IN OCCVRSV.

CHRI. *Salue multum iucũdißime Augustine.* AV. *Salue tantũdem mi humanißime Christiane. Felix sit tibi huius diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandẽ agitur?* CHRI. *Suauiter, ut nunc res nostræ sunt. Et cupio omnia quæ uis.* AV. *Merito te amo. Amo te. Amandus es. Benigne dicis. Comis es. Habeo gratiam.*

IRASCOR TIBI, FOR.

CHR. *At ego nõnihil tibi succenseo. At ego tibi subirascor. Verum ego tibi sum subiratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui nonnihil est, uel habeo, quod tibi succenseam.*

QVA CAVSA? FOR.

AVG. *Quid nam est istud obsecro? Quid ita? Quam ob rem tandem, oro? Quid admisi sceleris? Quid cõmerui?*

Promereri. Commereri. Demereri.

Promereor bona, aut laudem: cõmereor mala, aut pœnã: illud in bonam, hoc in malam partem sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

QVIA NON CVRAS ME.

CHR. *Quod nulla mei tibi cura sit. Quod nihil nos respicis.*

Digitized by Google

ſpicis. Quod tam raro nos reuiſas. Quod nihil nos cures. Quod me planè negligis. Quod noſtri curã uideris abieciſſe. AVG. At nihil eſt cauſæ, cur ſuccẽſeas. At præter meritum meum. At immerito ſuccenſes. Neq; enim mea culpa accidit, quod te rarius uiſam. Dabis ueniã occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio te reuiſere. CH. Ita demum tibi ignoſcam, ſi hodie apud me cœnes. Ea cõditione purgatus mihi eris, ſi ueſperi ad cœnam uenias. AVG. Haud iniquas pacis leges præſcribis Chriſtiane, quare haud inuitus faciam. Equidem faciam uolens. Iſtud quidẽ fecero perlibenter. Haud grauate faciam. Hic ſanè non me præbebo difficilem. Nihil hac re fecero libentius. Animo factã lubẽti. CH. Laudo tuam facilitatem & hac in re, & in cæteris omnibus. AV. Sic ſoleo amicis obſequi, præſertim nõ inique petentibus. Ridiculum, an tu me recuſaturum putabas oblatum, quod ultro etiam erat rogandum?

NE FALLAS ME, FOR.

CHRI. Age: at caue ne me deluſeris. Caue fallas. Caue ſpem fruſtra foueam. Caue luſeris expectantem. Caue mihi uerba dederis. Vide ne me fruſtra habeas. Vide ne me uana ſpe lactes. AV. Nihil opus iure iurando. In cæteris, in alijs time perfidiam, hac in re nõ fallam. Sed heus tu, cauæ quicquã paraueris præter quotidiana, mea cauſa diem feſtum nolo. Scis me conuiuam minime edacem, bibacem multo minus. Noſti enim me conuiuam nõ multi cibi, ſed ioci plurimi. CHRI. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica cœna excipiam, aut fortaſſe frugaliore. AVGV. Imò Diogenica, ſi me delectare uoles.

Pythagorica, Diogenica cœna.

CHRI. Certe Platonica cœna te accipiam, in qua multum sit literatarum fabularum, cibi minimũ, cuius uoluptas duret etiam in posterum diem. Alioqui qui prolixe fuerit acceptus, fortassis eo die suauiter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cœnabat, unam uoluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisq; philosophicis. Alteram postridie, quod nec capitis grauedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suauiter ex condimento cœnæ pridianæ. AVG. Placet, fiat ut mones. CHRI. Tu uide, omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas, & risum nihil adferas. Et, ut inquit Iuuenalis: Protinus ante meum quicquid dolet, exue limen. AVG. Quid? literas mecum uenire non uis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. CH. Tetricas Musas unà cum negocijs domi claudas. Blandas camœnas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepôres, ridicula omnia tecum adducito. AVG. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus. Bonum uultum faciemus, & erimus boni socij, inelegantium elegantiæ sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem. CH. Quò nunc properas? AV. Ad generum meum. CHR. Quid illud, quid eò, quid illò? AV. Audio nescio quid turbæ inter eos natum: ut redigam eos in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. CH. Benigne facis, quanquam nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius

Platonica cœna.

Bonum uultum facere.

Digitized by Google

lius hoc bellum compoſuerint. AVG. Fortaſsis & inducię indictæ ſunt. Noctu de pacis legibus agetur. Sed nunquid me aliud uis? CHR. Vocabo te per puerum meum. AVG. Vbi uoles domi ero. Bene uale. CHRI. Bene ſit tibi. Fac hic ad quintam horam adſis. Heus Petre, accerſe ad cœnam Auguſtinum, qui mihi hodie, ut ſcis, cœnam condixit. PVER PE. Eo. Salue poëta. Cœna iam dudum parata eſt, te herus expectat domi, ubi uoles accedas. AVG. Venio. Saluc mi Chriſtiane. CHRI. Benefactum, quod ueniſti. Gaudeo te aduenisſe. Gratulor mihi, quod ueniſti. Nondum quinta ſonuit credo. PV. Imò iam dudum præterita eſt. Haud longe ſexta abeſt. Inſtat hora ſexta. Mox ſextam audies. AVG. Parui refert, an poſt quintam uenerim, nec ne, modo ne poſt cœnam. Nam poſt feſtum uenire, miſerum eſt. At quorſum tantus apparatus? Quorſum tot epulæ? Num me lupum exiſtimas? Num tibi lupus uideor? Num me uulturem putas? CH. Non uulturem, ſed tamen nec cicadam, ut rore uiuas. Nihil eſt luxus. Mundicies mihi ſemper placuit. Sordes deteſtor. Nec Apicius mihi placet, nec Diogenes. Præſtat aliquid ſuperesſe, quàm deeſse. Si præter cicer nihil apponeretur, & ſuligo fortè illapſa in ollam, condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia ſapiunt omnibus. Itaq; mihi placet moderata uarietas. AVG. Non tu metuis leges ſumptuarias? CHRI. Imò peccaui frequenter in diuerſum. Nihil nobis opus lege Fannia. Satis nos docet frugalitas ipſa tenuitas. AVGVST. Haud ita conuenerat. Longe aliter pollicitus es. CHRIST.

Poſt feſtū. Chil. 1. centu. 9. prouerb. 32.

Age inepte, nec ipse conuenta seruas. Conuenerat enim, ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. ~~Lauemus ac discumbamus~~. Heus tu puer, cape guttum ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam: quid ceßas? Laua Augustine. AVGV. Laua tu prior. CH. Bona uerba. Hoc anno perpetuo illotus cœnare mallem. AVG. Ridiculum, non honoratiori, sed turpiori ante alios lauandum est, laua igitur ut immundior. CH. Tu es urbanus plus satis. Es urbanior quàm sat sit, quàm par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Huiusmodi ceremoniis ineptas mulierculis relinquamus, quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. Lauetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus huiusmodi moris. Ego nulli designabo locum, sumat sibi quisque, quem uolet. Qui delectatur igni, hic commodius accumbet. Qui offenditur, luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hic sedeat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum, uel stans cœnabo si lubeat, uel obambulans. Ceßatis? At interim cœna corrumpitur. AVG. Viuamus nunc, curemusq; cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curæ. Absit omnis liuor, exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. CH. Quinam sunt isti Stoici atq; Epicurei Augustine? AVG. Stoici philosophorum quoddã genus est triste, seuerum, ieiunum, qui hominis summum bonum honesto, nescio quo, metiuntur. Epicurei his longe diuersi, felicitatem hominis uoluptate terminant. CH. Tu igitur cuiás es tandem, Stoicus, an Epicureus?

Stoici.

Epicurei.

Aug.

Digitized by Google

AVG. Zenonem laudo, at Epicurum uiuo. CH. Quod tu ioco dicis Augustine, id serio factitant hodie non pauci, pallio tantùm & barba philosophi. AVG. Imò isti uel Asotos superant luxu. CHRI. Heus Dromo, ades huc. Tuo munere fungere: consecra cœnam. PV. Quicquid appositum est, & quicquid apponetur, felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit uniuersa. Amen. CHRI. Appone epulas. Quid cunctamur capum ~~hunc decerpere~~: quid trepidamus hunc gallum ~~lacerare~~? AVG. Ego Herculem præstabo, ac beluam hãc ~~conficiam~~. Vtrum mauis de ala, an de poplitibus? CH. Vtrum uis, nihil mea refert. AVG. In hoc genere alis ~~primæ partes tribuuntur~~, in cæteris poplites lautiores putat uulgus. CHR. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ~~ministras, ipse nihil edis~~. Ego tibi hanc alam ministrabo: at ea lege, ut dimidium mihi restituas. AVG. Itáne agitur? At istud est tibi ~~ministrare~~, non mihi. ~~Tibi seruia~~, ego enim sum impudentior, quàm cui ministrari quicquam debeat. CH. Probe facis. AVG. Eho, tu lupo cibum ministras? Vulturem inuitas? CH. At ieiunas non cœnas. AVG. Imò me uno nihil edacius. CH. Imò mendacius nihil. ~~Proinde agito, ac si domi sis tuæ~~. AV. Istud iam planè mihi persuasi. Istud iam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere, CH. Quid tibi hoc uinum placet? Quid hoc uilli delectat? AVG. Mihi quidem perplacet. Me certe uehemẽter iuuat. Me satis delectat. Me non mediocriter iuuat. CH. Vtrum mauis rubrum an candidum?

Digitized by Google

NON REFERT QVO sit colore.

iuxta aduerbiũ sonat æque.

AVGV. Equidem utroq; ~~inuitu delector~~. Nihil refert quo sit colore, modo sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat uinum, modo palatum iuuet. Nihil me mouet aspectus, si sapor placeat. Parui refert, quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satis facere queat, modo palatum iuuare possit. Nihil moror colorem, modo gratus sit sapor. CHRI. Credo. Atqui sunt cœnaticæ philosophiæ cum primis periti, qui negant uinum esse probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus. Oculis colore, naribus odore, palato sapore, auribus fama & nomine. AVG. Ridiculum, quid fama conducit ad potum? CHR. Tantum, ut multi non stupidi palati, uehementer probarint uillum Louanio uernaculum, quũ crederent esse Belnense. AVG. Fortasse iam larga potatione palatum obsurduerat. CH. Imò nondum attigerant poculum. Tamen iudicium tuum audire cupio, hominis bis in rebus peritissimi. AVGV. Album nostrates rubro præferunt, quòd rubrum paulò sit acerbius, & alterum exilius quidem, sed illud mitius &, ut arbitror, salubrius. CH. Habemus & subrubrum, & flauum, & purpureum. Hoc mustum est hornum. Hoc bimum est, si quẽ capit uetustas. Habemus & quadrimũ. Sed iam uapescit ac desipiscit senio. Aetate uigor euanuit. AV. Luculli diuitias audio. CH. R. Heus puer, ubi cessas? Nos hic planè negligis, non uides quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerũ statu incendium cõtingeret, quo

Digitized by Google

quo reſtingueremus? Dato ſingulis plenos cyathos. Auguſtine quid habes, quòd parũ es hilaris? Quid accidit tibi, quòd ſedes triſtior? Quid tibi eſt, quòd minime gaudes? Aut doles aut carmina condis. Tu nunc Chryſippũ agis, Meliſſa tibi opus eſt. AV. Quam hic mihi fabulam narrat? CH. Chryſippus adeo fertur intentus fuiſſe ſuis argutijs logicis, ut ad menſam etiam fame periturus fuerit, niſi ancilla Meliſſa cibum in os ingeſſiſſet. AV. Ille uero indignus erat, qui ſeruaretur. Sed ſi te offendit taciturnitas, placetq; conuiuium uocalius, eſt quo id efficias. CH. Memini. Recte admones, liberalius bibendum, largius, copioſius, meracius oportet bibere.

Chryſippus Sophiſta.

REM ATTIGISTI.

AVG. Rem acu tetigiſti. Recte iudicas. Scopum attigiſti. Nam, Fœcundi calices, quem non fecere diſertum? CHR. Perdocte tu quidẽ Auguſtine, ut omnia: ſed quoniam in ſermonem uinarium, quando in mentionem incidimus uinorum, libet interrogare, quonam conſilio ueteres illi Bacchum, quem uini autorem uideri uolebant, poëtarum deum dixerint? Quid enim illi temulẽto deo cum poëtis, Muſarum uirginum cultoribus? AV. Quæſtio, ita me Bacchus amet, poculis digna: uerum quorſum tuæ quæſtiones ſpectent, ſatis intelligo. CH. Quorſum amabo? AVGV. Aſtute de uino diſputationem inijcis Gallica techna, quam didiciſſe Pariſijs te ſuſpicor: Nimirum quo minus interim abſumatur uini. Abi, uirum te iudico, non fruſtra in tanta ſchola uerſatus es. CH. Accipio tua dicta, referam paria ſcommata, ubi erit commodum. Sed ad rem. AVG. Diſſoluam ubi bibero.

Bacchus poëtarum deus.

Siquidem absurdum fuerit sicco palato de quæstione ui nosa disputare. Præbibo tibi Christiane. ~~Propino tibi~~ hunc scyphum dimidiatũ. CH. Accipio abs te libenter. ~~Sit saluti, profit.~~ AVG. Iam accingor, ut me missum faBacchus puer. cias. Ego meo more præpostere faciam. Quod Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet mysterij, quod uinum potũ curas & solicitudines animis nostris eximit, hilaritatemq; quandam inducit. Quare senibus quoq; ipsis iuuentam quandã reddere uidetur, dũ & hilariores facit & formosiores. Id quod Horatius cũ multis in locis, tum præcipue his uersibus aperte testatur:

Ad mare cum ueni, generosum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe diuite manet
In uenas animumq; meum, quod uerba ministret,
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.

Nam quod huic poëtas dicarunt deo, id significatũ uoluisse suspicor, quod uinũ & ingeniũ excitat, & facundiam ministrat, quæ duo poëtæ sunt aptissima. Vnde fri~~gent carmina, quæ scribũtur aquæ potoribus.~~ Est quidẽ igneus suapte natura Bacchus, sed adhibitis nymphis, redditur tẽperatior. Habes quod quærebas? CH. Nihil unquã audiui ueri similius dici ab homine poëta, dignus es qui bibas gemma. Heus puer, tolle hanc patinã, atq; appone cætera. AV. Puerum habes admodum inurbanũ. CHR. Est ueterator nequissimus. AVG. Cur non instituis alio pacto? CHRI. Difficille est canem uetulum loris assuescere. Difficillimum est, ueteratoris mutare mores. Vetulus canis non facile assuescit loro. Me quidem dignus est. Dignum patella operculum.

Dignum patel. Chil. 1. cẽt. 10. Prouerb. 72.

Si co

SI COGNOSCEREM QVID TE
oblectet, tibi seruirem, formula.

A V G. *Decerperem tibi quippiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerē tibi, si quid potissimum iuuaret, scirem. Si nossem ingenium palati tui, essem tibi structor. Equidem tantundem palato, quantum animo sapio.* C H R. *Palatum habes eruditissimum. Nihil tuo palato doctius. Nec eo te puto inferiorem, de cuius singulari peritia testatur Satyricus:*

Ostrea callebat primo deprendere morsu,
Et semel aspecti dicebat littus echini.

A V. *Et tu mihi Christiane, ut par pari referam, ipsum audiuisse Epicurū, aut in schola Catiana institutus uideris. Quid enim tua gula aut sapientius, aut fastidiosius?* C H. *Si oratoriā æque artem ut culinariam callerem, nec Cicero ipse me uinceret.* A V. *Equidē si alterutra carendum esset, culinariam quàm rhetoricā mallem.* C H. *Subscribo tuo iudicio: grauiter, acute, uereq; iudicas. Quid enim oratorū confert loquacitas, nisi quod aures ociosas inani uoluptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum uentrē, tum totum hominē, quātus est, pascit ac reficit. Cōcedat laurea linguæ, inquit Cicero: at utraq; cōcedat culinæ. Nunquam mihi Stoici illi magnopere placuērūt, qui omnia ad suum, nescio quod, honestū referentes, cutis ac palati nullam rationē habendam putāt. Dici nō potest, quāto Diogene sapientior Aristippus mihi fuisse uidetur.* A V. *Ego Stoicos cum suis ieiunijs cōtemno. Epicurum magis laudo ac probo, quàm Diogenē illum Cynicum,*

Catius inducit apud Hor. Cœnaticæ philosophiæ ad unguē doctus. *Ab. 2. Sat. 4*

nicum, qui crudis oleribus, ac simplici aqua uictitabat. Quare nihil miror, si Alexander rex fortunatißimus se Alexãdrum quàm Diogenem esse maluit. C H. Nec ego sanè quãlibet uilis homuncio cum Diogene meam philosophiam cõmutarem, fortaßis & Catius tuus facere recusaret. Melius nostri tẽporis philosophi sentiunt, qui contenti Stoicorũ more disputare, uiuendo ipsum etiã Epicurum uincunt. At ego quidẽ rem in primis præclaram philosophiam puto, si parce adhibeatur. Nimium philosophari non laudo. Est enim res perquàm ieiuna, sterilis atq; tristis. Vbi in calamitatem aut ægritudinem incidi, tum demum ad philosophiam, tanquam ad medicã confugio. Vbi conualui, rursum illi uale renuncio. A V G. Tuam rationem probo. Belle philosopharis. Salue igitur philosophe, non è Stoa, sed è culina. C H R. Quid tandem habes Erasmi, quod parum sis hilaris? Quid sibi uult corrugata frons? quid silentium? An mihi succenses, quod te frugaliore cœna acceperim? E R. Imò tibi sum iratus, quod tantum impendij mea causa sit factum. Interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festum faceres, uis nos posthac redire nunquam. ~~Nam talem cœnam dare solent ij, qui unam duntaxat dare constituissent.~~ Quos tandem conuiuas uideris accepisse? Non amiculis, sed satrapis cœnam parasse uideris. An nos helluones esse credis? ~~Hoc non est dare cœnam, sed triduanam saturitatem.~~ C H. Etiam tu pergis esse Demea? Cras ut lubet disputa, hodie Mitionem te præbeas, oro. De impendio cras sobrij disputabimus, nunc nisi meras nugas audire libet. A V. Christiane, utrum de bubulis, an de ouillis

Stoa porticus Athenis, unde dicti Stoici.

Digitized by Google

ouillis carnibus mauis? C H. Bubulis quidem magis delector, at ouillas magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, ut pernicioſiſſima quæq; appetant uehemētiſſime. A V G V. Galli ſuillas carnes mirum in modum amant. C H. Galli amant, quæ paruo conſtant. A V. Hac una in re Iudæus ſum. Nam nihil æque odi atque carnes ſuillas. C H R. Nec iniuria. Quid enim inſalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, ſed cum Iudæis ſentio. E R. At ego ouillas pariter amo & ſuillas, ſed diuerſa ratione. ~~Nam ouillis, quod amem, libenter ueſcor. Suillas præ amore non attingo, ne quid offendam.~~ C H. Bellus homo es Eraſmi ac feſtiuus. Equidem mirari mecum ſæpe ſoleo, unde tanta in palatis humanis diuerſitas. Nam ut Horatiano carmine utar:

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire uidentur,
Poſcentes uario multum diuerſa palato.

E R A S. Quanquam, ut ait Comicus, quot homines tot ſententiæ, & ſius cuiq; mos, ~~tamen nemo me adduxerit, ut credam me plus ingenijs ineſſe uarietatis quàm palatis.~~ Ita uix duos reperias, quos eadem iuuent. Permultos uidi, qui butyri, ac caſei ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauſeæ ſint. Alius elixis, alius aßis abſtinet. Multi aquam uino præferunt. Et quod incredibile eſt, uidi hominem, qui nec pane, nec uino uteretur. C H R. Et quibus tandem miſer ille uictitabat? Quibus ueſcebatur? E R. Cæterorum nihil ſuſtidicebat, non carnes, non piſces, non olera, non poma. C H. Vis ut iſtud tibi credam? E R. Si lubet. C H. Credo, at ea lege, ut uiciſſim mihi mentienti fidē ſis habiturus. E R.

Age

Age faciam, modo uerecunde mẽtiaris. C H. Quasi uero sit quicquam tuo cõmento impudentius. E R. Quid dicet frons tua, si hominem tibi cõmonstrem? C H. Ma cilentum quẽpiam ~~as monogrãmum esse oportet~~. E R. Imò diceres athletam. C H. Polyphemum potius. E R. Hoc tibi mirum uideri demiror, quum multi sint, quibus pisces ~~uento durati sint panis loco~~: Nonnullis ~~hoc præstent herbarum radices, quod nobis~~ panis. C H. Credo, sed perge mentiri. E R. Quendam in Italia, cum illic agerem, uidere memini, qui nullo neq; cibo, neque potu adiutus, somno saginabatur. C H. Vt nihil pudet. Non possum illud Satyricum non dicere:

Tunc immensa cauis spirant mendacia folles.

Tu poëtaris. Tu nũc poëtam agis. Nam mẽtiris dicere, mihi religio est. E R. Mẽtiar, si nõ Plinius autor certissimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno mirũ in modũ saginari, ~~quo tamẽ ita alte premitur~~, ut ne uulneribus quidẽ queat excitari. Imò quo magis mireris, addam quod Theophrastus scribit, per id tẽpus ursorum carnes coctas quoque, si asseruentur, reuiuiscere. C H. Vereor ne Parmeno ille Terẽtianus ista non cõtineat. Mihi facile fidem facis. Ministrarẽ tibi de ceruinis carnibus, si satis essem urbanus. E R. Vnde tibi nunc uenatio? Vnde ferina? C H R. Midas homo hominum, qui uiuunt, liberalissimus, nostriq; amãtissimus, ~~mihi misit dono~~: dono quidẽ, sed sic, ut ego minoris eman sæpenumero. E R. Qui sic? C H. Quia famulis plus dandũ, quàm daretur in macello uendẽti. E R. Quæ res cogit hoc facere? C H. ~~Tyrannus omnium uiolentissimus. E R. Quis~~ iste?

Monogrammi dicuntur homines prætenues ac pusilli, & picturis, in quibus unica linea notantur homunculi, uelut procul apparentes.

Digitized by Google

iſte? C H. Mos. E R. Profecto tyrannus iſte frequēter iniquiſſimas leges obtrudit mortalibus. C H. Idē ſuo more nudiuſtertius hūc ceruū uenatus eſt. Quid tu, qui ſoleas iſtius ſtudij eſſe amantiſſimus? A V. Equidē hoc ſtudio planè relicto iam præter literas nihil uenor. C H. At mihi uidētur literæ quouis ceruo fugaciores. A V. Duobus tamē potiſſimū canibus aſſequmur, admiratiōe ſcilicet, atq; improbitate laboris. Nam & admirari plurimū diſcēdi ardorē miniſtrat, & ut facūdiſſimus poēta ſcripſit: Labor omnia uincit Improbus.

Literæ duobus canibus aſſequuntur.

C H. Amāter admones Auguſtine ut ſoles: propterea nō deſiſtam, non conquieſcā, non defatigabor donec conſequar. A V. Carnes ceruinæ ſunt nunc admodū tempeſtiuæ. Meminit Plinius de hoc animāte quiddā admirabile. C H. Quid nam obſecro? A V. Quoties arrexere aures acerrimi eſſe auditus, at cōtra cum remiſere, ſurdos. C H. Iſtud ipſum mihi ſæpenumero euenit. Nā ſi quādo fiat ſermo de recipiendis aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pāphilo illo Terentiano aures arrigo: ubi de numerādo uerba fiunt, illico remitto. A V. Laudo te, facis ut te decet. C H. Vis de his leporinis dumbus? A V. Tibi fumito. C H. An de tergo mauis? A V. Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetēdum. C H. Vidiſti ne unquam leporē cādidum? A V. Sæpenumero. Plinius in alpibus cādidos reperiri ſcribit, quibus hybernis mēſibus niuē pro cibatu eſſe ſit creditū. An uerū ſit, Plinius ipſe uiderit. Quod ſi leporis cutē cādidā reddit nix, ſtomachū habeat candidum neceſſe eſt. C H. Mihi ueriſimile nō fit. A V. Accipe magis admirādum, at for taſſe

Plin. lib. 8. cap. 32. hiſt. natu.

Lepores candidi. Plin. lib. 8. cap. 55.

Digitized by Google

taſſe tibi nõ inauditum. Idem utranq; uim ſingulis ineſſe teſtatur maris & fœminæ, ac fœmellas ſine mare æque gignere. Iſtud ipſum multi aſſeuerant, præſertim uenãdi ſtudioſi. C H. Eſt ita, ut dicis. Sed hos cuniculos, ſi placet tentemus, quia pinguiſculi ſunt ac tenelli. Miniſtrarem illi Nymphæ, ſi propius aſſiderem. Auguſtine iſtius tibi uicinæ curam age, ſi libet, calles enim quo geſtu ſit miniſtrandum iſtis Veneribus. A V. Teneo quid dicas naſute. C H. Quid te anſerinæ carnes delectant? A V. Me quidẽ non mediocriter iuuant, ut ſum minime faſtidioſus. At hic anſer, neſcio quo pacto, nihil me iuuat: nihil enim in uita uidi ſiccius. Siccior eſt pumice, aut etiã nouerca Furij illius, in quem Catullus multum iocatur. Ligneus mihi uidetur. Et me Hercule, quãtum ſuſpicor, ueteranus mules immodicis excubijs ſeſe macerauit. Aiũt enim anſerẽ inter omnia animalia longe eſſe uigilãtiſſimum. Et profecto, niſi cõiectura fallor, hic anſer ex eorum numero eſt, qui canibus una cum excubitoribus ſomno ſopitis, Romanũ olim Capitolium defenderunt. C H. Veriſimile (ita me deus amet) dicis: nam ex eo ſeculo relictũ arbitror. A V. Hæc quoq; gallina aut parcum ſaginatorẽ habuit, aut amauit, aut certe zelotypa uixit, quo quidẽ morbo hoc animãtis genus maxime laborat. Hic capus lõge melius pinguit. Vide, curæ quid faciant. Quod ſi ex Theodorico noſtro Gallo, faceremus capũ, multo citius pingueſceret. T H. Nõ ſum Gallus. A V. Fateor, nõ eſt gallus Cybeles, neq; gallus gallinaceus, at forte gallus gallaceus. C H. Quid hoc uerbi eſt? A V. Hoc ænigma tibi cõiectandum relinquo. Ego

Sphingem

~~Sphingem præstiti, tu Oedipus esto.~~ C H. *Dic mihi bona fide Augustine, nulla tibi cum Gallis unquam fuit necessitudo? Nihil ne affinitatis tibi cum Gallis cõtraxisti? Nullum fuit cõmercium?* A V. *Nihil, nihil sanè.* C H. *Tanto es nequior.* A V. *Sed cum Gallabus nonnihil.* C H. *Libét ne de iecore anserino, quod apud ueteres in deliciis cum primis habebatur?* A V. *Non sum reiecturus, quod à tua manu uenerit.* C H. *Nõ est quod expectes Romanas delicias.* A V. *Quas?* C H. *Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, boletos, tubera.* A V. *Istis omnibus ego uel rapã præferã. Liberalis es, benignus es Christiane.* C H. *Has perdices nemo attingit, ne columbos quidẽ. Cras est dies ieiunij ab ecclesia indicti, aduersus hanc esuriẽ munite uos. Onerate saburra nauim aduersus immunentẽ tempestatem. Bellũ instat, instruite uentrem cõmeatu.* A V. *Vtinã isthuc uerbi tacuisses. Hilariores surrexissemus à cœna. Miseros nos reddis ante tempus.* C H. *Quid ita?* A V. *Quia minus anguẽ odi quàm pisces.* C H. *At nõ tu solus.* A V. *Quis hoc tædij nobis inuexit?* C H. *Quis cõmõstrauit aloën, absynthium, & scammonium dare in remedijs?* A V. *Sed ista dantur ægrotis.* C H. *Sic hæc dantur nimium recte ualentibus. Aliquando præstat ægrotare, quàm plus satis ualere.* A V. *At mihi uidetur minus oneris impositum olim Iudæis. Equidem ab anguillis & porcis facile temperarim, modo liceat capis & perdicibus expleri.* C H R I S. *In pleriſque non res, sed animus nos discernit à Iudæis. Illi manum abstinebant à cerutis cibis, uelut ab immundis, & animum inquinaturis.*

Iciunium.

Nos

Nos quum intelligamus omnia munda esse mundis, tamẽ carni lasciuienti, uelut equo ferocienti pabulum subducimus, quo magis dicto sit audiens spiritui. Nonnunquam immoderatum suauium rerum usum abstinentiæ molestia castigamus. A V. Audio, sed eadem opera defendi posset circuncisio præputij. Moderatur & illa coitus pruritum & cruciatum adfert. Si omnes itidem abhorrerent à piscibus atq; ego, uix à parricida tam atrox supplicium exigerem. C H. Quorundam palato gratior est piscium quàm carnium esus. A V. Congruunt igitur his, qui gulæ seruiunt, non ualetudini. C H. Equidem audiui quondam apud Aesopos & Apitios præcipuum luxum in piscibus fuisse. A V. Qui cõueniunt igitur deliciæ cum supplicio? C H. Non omnibus sunt murenæ, aut scari, aut accipenseres. A V. Ergo tenues soli discruciantur, quibus satis male est, etiam quum uesci licet carnibus. Fit enim non raro, ut cum licet uesci per ecclesiam, non liceat per crumenam. C H. Durum me hercle interdictum. A V. Quod si interdictus carniũ esus diuitibus uertitur in delicias, & si pauperibus sæpe non licet uesci carnibus, etiã cum licet, ac ne piscibus quidem, qui ferè carius emuntur, cui igitur bono erit interdictũ? C H. Omnibus, nam tenuibus, cochleis aut ranis licebit uesci, aut cepam porrumue arrodere. Mediocres detrahent nõnihil qnotidianis obsonijs. Quod si quid diuites deliciabũtur, hac occasione, suæ gulæ imputẽt, non incusent ecclesiæ cõstitutionem. A V. Pulchre dixti. Sed interim à tenuibus, qui summis sudoribus alunt familiam, & procul absunt ab amnibus & lacubus, exigere carnium

Aesopi & Apitij luxus multorum literis nobilitatus est, festiuiter autẽ multato numero, luxuriosos uocat Aesopos & Apitios, quẽadmodum effœminatos dicimus Sardanapalos.

Murena, Scarus, Accipenser, pisces sũt, olim charissimi, & in delitijs diuitum habiti.

nium abstinentiam, est indicere famem, aut βουλιμίαν βουλιμία magis. Atqui si quid Homero credimus, longe miserri- est ingens fa mũ mortis genus est, perire fame. C H. Sic uisum est Ho mes, λιμὸς mero cæco: at apud Christianos miser non est, qui bene enim fames, moritur. A V. Esto sanè. Sed tamen durum est à quoquã & ϭου ϭylla exigere, ut moriatur. C H. Nec hoc animo põtifices in- ba auget, terdicũt esum carnium, ut intereant homines, sed ut uel quasi totos affligantur moderate, si deliquerunt: uel subducto lætio- boues esuri- re pabulo, corpora minus ferociant aduersus spiritum. at aliquis, A V. Isthuc ipsum efficiet moderatus carniũ esus. C H. Sed in tanta corporum uarietate certus carnium modus præscribi non potest, cibi genus potest. A V. Sunt & pi sces, qui multũ addant alimẽti, sunt carnes quæ minimũ. C H. Sed in genere plus alunt carnes. AV. Age dic mihi, si quò tibi foret iter, utrũ malles equum alacriorem ac sublasciuum, an morbidum, qui subinde ~~collabens~~ fessorẽ deijciat in terram? C H R. Quorsum istud? A V. Quia piscium esus corruptis humoribus, corpora nostra red- dit magnis morbis obnoxia, ut iam spiritui non possint subseruire. C H. Quibus morbis? A V. Podagræ, febri, le- præ, morbo regio. C H. Qui scis? A V. Credo medicis, id malim quàm experiri. C H. Id fortassis in paucis accidit. A V. Equidem arbitror in pluribus. Porrò quoniam ani mus agit p organa materialia corporis, quæ malis aut bonis humoribus afficiuntur, uitiatis instrumentis, non potest, ut uult, exercere uim suam. C H R. Scio medicis magnopere damnatũ esse piscium esum: sed secus uisum est maioribus nostris, quibus obtemperare religiosum est. A V. Religiosum erat & olim, non uiolare sabba-

tum, sed prius erat, seruare hominẽ sabbato. CHR. Suæ quisq; saluti cõsulat. AV. Imò, si Paulo uolumus auscultare: Nemo quæ sua sunt quærat, sed quisq; quæ alterius. CH. Sed unde nobis hic nouus Theologus in conuiuio? Vnde nouus hic ac subitus Magister noster? AV. Quia mihi male conuenit cum piscibus. CHR. Quid igitur? An non abstines à carnibus? AV. Abstineo, sed obmurmurans, nec sine meo magno malo. CHR. Charitas omnia suffert. AV. Verũ, sed eadẽ quàm minimũ exigit. Si suffert omnia, quur nõ ferunt nos his uesci cibis, quos indulsit libertas Euãgelica? Quur hi, à quibus Christus toties amorẽ sui stipulatus est, patiuntur tot hominũ & corpora periclitari morbis capitalibus, & animas æternæ damnationis periculo, ob rem nec interdictã à Christo, nec per se necessariam? CH. Vbi aliud suadet necessitas, cessat humanæ constitutionis uigor, cessat & uoluntas nomothetæ. AV. At nõ cessat offendiculum infirmorũ. Non cessat scrupulus meticulosæ cõscientiæ. Postremo nõ satis constat, quibus limitibus finiatur ista necessitas. An cum cœperit ichthyophagus ægere animã? Sero moriẽti porriguntur carnes. An quũ totum corpus habet epialus? Non tanti erat ciborũ delectus. CHR. Quid igitur tu uelles præscribi? AVG. Scio, si quis mihi credat ecclesiasticæ rei dictaturam. CHR. Quid isthuc uerbi est? AVG. Si summus essem pontifex, hortarer omneis ad perpetuam uitæ sobrietatem, sed præcipue sub diem festum. Cæterum ius facerem cuique uescendi quibus uellet pro corporis salubritate, dum moderate & cũ gratiarum actione. Daremq; operam,

Nomothetæ, i. legis autoris, νομοθέτης.

Ἰχθυοφάγος, id est, qui uescitur piscibus. Est populus ide nomen habens.

Epialus, febris genus uehemẽs ominis causa sic dicta Epialus, quasi placide assiliẽs, quẽadmodũ furiæ dicuntur Eumenides, quũ nulli bene uelint.

Digitized by Google

ram, uti hoc quod detraheretur obseruationibus huiusmodi carnalibus, accresceret ad studium ueræ pietatis. CH. Nimirum istud mea quidem sententia tanti est, ut te faciamus pontificem. AVG. Rides, sed tamen ceruix hæc sufficeret uel triplici coronæ sustinendæ. CH. At interim uide, ne ista scribantur inter articulos Parisiensium. AV. Imò quicquid dictum est, scribetur in uino, sicuti par est dicta inter pocula. Sed satis iam Theologiæ in conuiuio. In cœna sumus, non in Sorbona. CH. Quid uetat dici Sorbonam, ubi bene sorbetur? AV. Sorbeamus igitur, nõ disputemus, ne nobis à sorbis dicatur sorbona, nõ à sorbendo. CHR. Agite hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostrã licet tenuẽ, æqui boniq; consulatis. Præbete uos hilares ac lubentes, quamuis cõuiuiũ tenue sit & frugale, ego uestra facilitate fretus, familiariter uos uocare sum ausus. Et est sanè uester mihi aduẽtus cõspectusq; non modo gratissimus, uerum etiã iucundissimus. CONVIVAE. Cœna tua Christiane optime, multis modis elegans lautaq; nobis uidetur, qd excusas id unũ habet accusandum. Nã magnificentior fuit, quàm sat est. Siquidẽ hoc cõuiuium opiparum in primis, ac lautum iudicarim, quod primũ simplicibus epulis, deinde hilaritate, risu, iocis, salibus sit cõditum, quæ omnia nostro conuiuio nõ defuerunt. Verum de conuiuarum numero hic mihi quiddam in mentem uenit, quos neq; pauciores tribus, neq; plures nouem esse oportere scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est, gratiæ humanitatis ac beneuolentiæ præsides, & nouẽ sunt Musæ, honestiorum studiorum duces. At hic

Sorbum, pomi genus acerbitate constringens fauces, ut quædam occidant etiam.

Conuiuarum numerus.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1897

Digitized by Google

decem cõuiuas esse uideo, uirginibus exceptis. AV. Nihil conuenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulo sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas, tanquã tres Charites adhibuimus. Deinde quia à nouẽ Musarũ choro Apollo abesse nunquam credendus est, iure decimũ adiecimus conuiuã. CH. Poëtice dixisti. Si mihi laurus adesset, laurea corona caput tuũ cingerem, Laureatus Poëta. fieresq; poëta laureatus. AV. Si malua coronatus essem, maluatus. Tantum honoris mihi nõ arrogo. Honor hic maior est, quàm ut mihi conueniat. Haud equidem tali me dignor honore. CH. Vultis ne singuli tantundẽ mea causa facere, quãtum uestra sum facturus? CONVIVAE. Volumus, ac libentes quidẽ. CH. Ebibetis igitur ordine suum quisq; calicẽ, à me exemplũ capietis. Tibi hoc primum propino Mida. MIDAS. Accipio abs te libenter (Pro quo uulgus præstolor dicit) Equidem nõ recuso. Nihil tua causa recusabo. CH. Tu deinde cæteris propina. MID. Erasmi præbibo tibi dimidiatam paterã. ER. Precor ut sit tibi bono. Sit tibi bonũ atq; cõmodum. Prosit tibi. (Proficiat durius dicitur) CH. Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Defecit nos uinũ. Vbi sunt oculi tui furcifer? Vola, adfer eiusdem generis sextarios duos. PVER. Erasmi salue, quidam pro foribus te conuentum expetit. ER. Quisnam est? PV. Mori famulum se dicit, herum eius ex Britannia aduenisse, cupere, ut se uisas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniã. ER. Christiane, subducatur ratio, nam mihi quidem abeundum. CH. Rationem Erasmi dolissime huius cœnæ ego confecero. Nõ est quod calcu-

lum

lum frustra teras, gratiã habeo, qui dignatus sis nostro adesse conuiuio. Sed auocari te molestum est, nondum peracta fabula. E R. Quid superest, nisi ut dicam, ualete & plaudite? C H R I. Age boni consulemus, quando tu nõ ab equo ad cœnos, sed ab amicis ad amacissimos peras. E R. Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua humanitate ad hoc cõuiuiũ lõge suauissimũ me uocaris. Valete sodales optimi. Bibite nõ segnitèr, & uiuite suauiter. C H. Heus Dromo. Sedetis iã dudũ ociosi omnes. Libét ne cuiquã quicquã amplius? C O N V I V A E. Nihil omnino. Strenue munus nostrũ administrauimus. C H. ~~Tolle igitur hæc, ac bellaria appone. Muta quadrulas atq; orbes. Tolle cultrũ meum, qui humi decidit.~~ Pyra uino perfundæ. Adsunt mora præcoqua, etiã domi nostræ nata. C O N. Tanto erũt suauiora, qd' uernacula. C H. En pruna cerea, en Damascena, rarũ apud nos spectaculũ. En mitia mala. En mali nouum genus cuius matrẽ ego hisce manibus cõseui. Nuces castaneæ, omne deliciarũ, quas horti nostri benigne effundunt, genus. A V. Sed flosculi desunt. C H. Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiã eã potissimũ amant, quæ minimo constat, Nobis nõ est ea mens, aut ingeniũ. Sed heus tu Augustine, nũ tu credis te hic ĩmunẽ bibisse? Egó ne te meis immunẽ tingã poculis? At iterim propinatori tuo dimidiũ cyphi debes. A V. Is iã dudũ me missum facit. Is mihi huius debiti gratiã fecit. C H. Vnde ille sibi uindicat tãtũ autoritatis? Vix Romanus Põtifex hoc uinculi relaxet. Nosti priscã cũuiuiorũ legẽ. ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. Id est, aut bibe, aut abi. A V G. Remittendi iurisiurandi ius habet, cui factũ est,

& cuius intererat seruari. CH. Sed omnium conuiuarũ interest, seruari leges inuiolabiles. AV. Age quãdo hæc est Germanorũ religio, exorbebo quod reliquũ est. Sed quid tibi rei mecum est? CHR. Impendium reddas oportet unus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne uerere, perfacile poteris. Fac quod sæpe feceris, ut aliqua elegãtia doctiores à cœna surgamus. Neque enim clam te est, ueteres illos in secũdis mensis hilariora quædam disputare solitos. Age igitur, quibus, & quot modis hæc oratio potest enunciari: Indignum auditu?

INDIGNVM AVDITV, FOR. AV. Dixti pulchre per posterius supinum. Auditu mini me est dignum. Indignum est audiri. Haud dignum est, quod audiatur. Est ut audiatur indignum. Leuius est, quàm quod audiri debeat. Vix operæpreciũ est referre. Nõ tanti est, ut audiatur. Ineptius est, quàm qd' audiatur. Nõ est operæprecium narrare. CHRI. Quot modis hæc sententia uerti potest: Magno mihi constat?

VARIANDI RATIO HANC orationem: Magno mihi constat.

AV G. His uerbis, impendo, insumo, impertio, constat. Vt: Multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum ea in re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ quã curæ in eam rem impẽdi. Non parum insumpsi pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum, ingenij nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis uigilijs hæc res mihi constat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingenti, pecunia magna. Pluris mihi constat, quàm credas. Minoris mihi constat uxor, quàm equus meus.

Digitized by Google

meus. CHR. At quid sibi uult Augustine, quod uerbo isti, constat, modo ablatiuum, modo genitiuum casum apponis? AVG. Quæstionem perutilem, ac late patentem mouisti. Verum ne conuiuas loquacitate mea premam, paucissimis absoluam. Sed cupio singulorum hac de re audire sententiã, ne cuiquam, ut dixi, sim molestus. CHR. Quid ni cupiant idẽ uel puellæ? AV. Illæ sanè nihil aliud quàm audiẽt. Accingar igitur, grãmatica bene fortunante. Scis uerba emendi ac uẽdendi, aliáq; esse consimili significatu, quibus apponãtur hi genitiui soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quanticunq;. At ita si substantiua non apponantur, quæ si accedant, utraq; in ablatiuũ casum uertuntur. Quod si precium certum apponatur, pones in ablatiuo. Si per adiectiuũ substantiuæ positũ, in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis. CHRI. Quænam uerba sunt, de quibus præcipis? AVG. Hæc ferè sunt, emo, mercor: redimo, id est, aut captum, aut perditum, uendo, uenundo, reuendo, id est rursus uendo, quod mihi uenditũ erat. Veneo id est uẽdor, cuius præteritũ ueniui uel uenij, supinũ uenũ. Hinc uenalis. Ab illo, id est uendo, uendibilis manat. Mereo pro inseruio & stipẽdiũ facio. Cõparo, id est, emo uel cõmitto. Cõmuto, muto, permuto. Cambire penitus barbarum in hoc sensu. Aestimo, taxo: indico pro æstimo, censeo. Liceor, liceris, licitor, licitaris, addico. Distrahor, id est, circunferor, ut ueneam. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Conducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango, pepigi, id est, pactum

Verba emendi ac uendẽdi.

Digitized by Google

ſicio. CHRI. *Da exemplum.*

VENDENDI ET EMENDI FORMVLAE.

AVG. *Quanti iſtum agrum in ſingulos annos locas? Reſpondebimus: Vigenis Francis. Hui nimio locas. Imò locaui olim multo pluris. At ego tanti nõ conducam. Si cõduxeris minoris, peream? Imò iam uicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, ut ſolent, qui licentur. Tu ipſe tanti poſſide. Quid liceris uel licitaris, quum nihil ſis empturus? Quanticunq; addixeris, ſoluam optima fide.*

ALTERVM EXEMPLVM.

Congrum iſtum Syra quãti uẽdis? Decẽ obolis. Nimio turpiſſima. Imò minimo, nulla tibi uendet minoris. Emoriar, ſi non tanti mihi conſtat, aut certe nõ multo minoris. Mentiris uenefica. Quoniã duplo uis uẽdere, aut triplo. Et centuplo, ſi queam, ſed fatuos nõ inuenio. Quid ſi liciter teipſam? Quanti æſtimas te? Vt lubet, quãti me liceris? Quãti indicas te? Dic quanti te taxas? Quanti teipſam inſcribis? Decem ſcutatis. Hui, tanti? Eho, an tu minoris me æſtimas? Ego olim non ſemel pluris in unam noctem ſum conducta. Credo, at nunc non paulo minoris æſtimo, quàm piſcẽ. Abi in malam rẽ ganeo, tantidẽ te æſtimo, quanti tu me. Qui te teruncio emerit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut nõ uẽdar. Si magno uenire cupis, larua tibi opus eſt, nam rugæ iſtæ non ſinunt, ut carius uendaris. Et qui tanti me nolit, non ſum uenalis. Ego ne culmo quidem te emero. Conſtiti pluris.

TERT

Digitized by Google

TERTIVM EXEMPLVM.

Auctioni hodiernæ interfui. Ain tu? Licitatus sum uectigalia. Quanti tandem? Decem milibus. Hui, tanti? Ne mireris, erant qui multo pluris licitarentur, pauci qui minoris. Cui tandē addicta sunt uectigalia? Chremeti, uxoris tuæ summo & maximo amico. Sed diuina, quāti sunt addicta? Decē. Imò quindecim. Deus bone. Ego mihi ho minē ipsum cū tota familia dimidio addictū nolim. At ille uxorē tuam duplo emptā cupit. Animaduertisti ne in his orationibus, ubicūque adsit substantiuū precij, id in ablatiuo poni, cæteris aut in genituo positis, aut in aduerbiū mutatis? Cōparatiuum nunquā audisti sine substantiuis, exceptis illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia uerba, de quibus supra loquuti, nō admodū dissimilia. Sum, facio, habeo, duco, æstimo, pendo, quæ idem ferè significant: fio itidem. Iunguntur autem his ferè genitiuis, multi, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, maximi, tāti, quāti, flocci, pili, nihili, nauci, huius, & si qua sunt his similia. CHRI. *Da exempla.*

Sum.
Facio.
Habeo.
Duco.
Aestimo.
Pendo.

AESTIMANDI FORMVLAE.

AVG. *Scis quāti te semper fecerim? Tāti fies apud homines, quanti uirtutem facies. Præceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni pēditur, literæ nihili, siue pro nihilo ducuntur. Aurum minoris habeo, quàm credas. Tuas minas flocci facio. Promissa tua duco minimi. Non pili te facio. Si tanti sapientia pēderetur quāti pecunia, nemo auro egerct. Pluris apud nos fit aurum sine sapientia, quàm sapientia sine auro. Hoc pluris te habeo, quod doctus sis. Minoris hic fies, quod mē*

Digitized by Google

tiri minime calleas. Hic multi fiunt, qui nigrum in cădi da uertunt. Hoc mihi pluris es, quod literas amas. Tăti apud omnes eris, quantum poſsidebis. Tăti ubique habe beris, quantũ habebis. Non quanti habearis, ſed quanti ſis intereſt. Tanti Chriſtianum meum facio, quanti aliũ neminem. Inueniuntur & alia uerba cum his genitiuis & ablatiuis, quæ natura ſua non ſignificant emptionẽ, aut aliquid ſimile. Petrus oſculum puellæ ſcutato emit. Sit illi faustum, nolim ego baſiare tanti. Quanti luditis? Quanti cœnaſtis? Quoſdam ſexcentis ſeſtertijs cœnaſſe legimus, at Galli ſæpenumero liardo cœnitant. Faustus quanti docet? Paruo. At pluris quàm Delius. Quăti igi tur? Vndeuiginti aureis. Non diſcam mentiri tanti. Phædria apud Terentium & rem & ſeipſum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidam magno dormiunt. Demoſthenes pluris ſiluit, quàm alij loquebantur. Aequi bonique conſulas oro. Eſt & aliud uerborum genus, quæ accuſatiuum unà cum genitiuo aut ablatiuo caſum exigunt: quæ ſunt, accuſo, id eſt, abijcio crimen, aut culpo etiam abſentem. Incuſo, inculpo extra iudiciũ. Arguo, reprehendo. Inſimulo, inpingo ſuſpicionem culpæ. Poſtulo, in ius uoco. Accerſo, defero. Damno, condemno, pronuncio, illum eſſe in culpa, admoneo, commonefacio. CHRI. Exempli cauſa.

ACCVSANDI FORMVLAE.

AVG. Scipio accuſatus eſt, ambitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ ipſe impudẽtiſsimus. Lepidus poſtulatus eſt repetundarum. Accerſitus eſt capitis. Si hominem inſimulabis auariciæ, male audies. Admoneto eum priſtinæ

pristinæ fortunæ. Mortales ipso uocabulo, suæ conditionis admonentur. Commonefacito Lepidum promißi. Sũt pleraque, quæ accusatiuum geminum admittãt. Doceo te literas. Exorat te ueniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuũ. Hic eius rei mihi admonẽdus es, quod in his secundũ accusatiuũ etiam paßiua obtinẽt, in alijs genitiuus manet. A me doctus es literas. Postulãt me fiorti. Postulor fiorti. Accusas me sacrilegij. Accusor sacrilegij. Scio nondum te expletum. Scio animo tuo nondum esse satis factum. Quando enim tantus elegantiarum heluo satietur? Sed conuiuijs parcendum est, quos hæc non omnes perinde delectant. A cœna, inter deambulandũ, id quod rationi deerit, persoluemus, nisi quid aliud censes. CHRI. Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati diuinæ, deinde pauliſper deambulaturi. MIDAS. Pulchre dicis. Nihil enim hoc ueſpertino cœlo amœnius, nihil salubrius. CHRI. Petre adesdum. Tolle suo quæque ordine, ac uinum cyathis infunde. PET. Iubés ne agi gratias? CHRI. Age. PET. Græce mauis an Latine? CHRI. Vtroque modo. PET. Gratias agimus tibi pater cœlestis, qui tua ineffabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac uegetas, largire filijs tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac præparasti uere diligentibus te. Per Iesum Christum, Amẽ. CHRI. Dic eadem Græce, ne cæteri, quid dicas, intelligãt. PET. Εὐχαριστοῦμέν σοι πάτερ οὐράνιε. ὁ τῷ ἀξιέπαίνῳ σου λογάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῆ ἀνεξε

Gratiarũ actio post degustatione m.

Digitized by Google

ἀνεξερεύνητῳ σου σοφίᾳ κυβερνῶμ ἅπαξάπαντα, ὁ τῆ ἀνεξιχνιάστῳ σου χρηστότητι ἕκαστα ξεφόμενός τε ἐπ αὐξάνων χαρίζῃ τοῖς ἰδίοις σου, καὶ μετὰ σου πρεσβεῖμ δ φιλ ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέχῃ τὴ πότισμα ἅγις τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσί σε, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἰδίου σου, τοῦ κυρίου ἡμῶμ, τοῦ μετὰ σοῦ ζῶντος καὶ βασιλεύοντος ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύματος ἅγιου εἰς τοὺς αἰῶνας, Αμήν.

CHRI. *Habeo uobis hospites candidissimi gratiam, qui ad hoc conuiuiolum uenire dignati sitis.* Oro æqui bonique consulatis. CON. *Nos uicissim gratias referre uolumus, non tantum habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius surgamus & expatiemur.* AV. *Ducamus nobiscum uirgines, nam eo minus molesta erit deambulatio.* CH. *Recte sentis. Ne desint nobis floscu li, si fortè locus flores non habebit. Vtrum mauis nostris in hortis more poëtico reptare, an foris ad amnem expatiari?* AV. *Habent quidem horti tui amœnitatis permultum, uerum eam uoluptatem matutinis deambu lationibus serua. At sole inclinato amnium aspectus oculos mirum in modu iuuat.* CHR. *Antecede igitur Augustine, ut poëta digum est, ego latus tuum claudam.* AV. *Bone deus, quantum comitum, quatam pompam nobiscum ducimus. Dici non potest Christiane, quantum mihi placeam. Satrapes mihi uideor.* CHR. *Age nunc promissum præsta. Solue, quod recepisti.* AV. *quid me potissimum uis dicere?* CH. *Ego quondam in Pollionis oratione cum multa, tum illud in primis solebam admirari, quod tam facile, tam crebro, tam uenuste*

Digitized by Google

ſte orationem uerteret: quæ res non modo ſingularis ingenij: uerum etiam multi uſus mihi uidetur. AVG. Haud iniuria iſtud in Pollione admiratus es Chriſtiane. Ille enim tum hac in re diuinam quandam uim obtinet, quam quidem illi cum ingenij dexteritate quadam, tum plurimo & dicendi & legendi & ſcribendi uſu contigiſſe opinor, potius quàm ratione aliqua, aut præceptione. CHR. At ego rationem aliquam iſtius rei, ſi fieri poteſt, expecto. AV. Ita, ut dixi, res habet. Verum quia te tantopere uideo uelle, quod potero, morem geram, eaſq; ratiunculas, quas in Pollionis orationibus mihi uiſus ſum animaduertere, ut potero, reddam. CH. Age percupio.

BREVIS DE COPIA PRAECEPTIO.

AV. Accingor. Principio res ipſa puris, electis ac Latinis uerbis efferenda eſt, quod ipſum poſſe, non mediocris artificis eſt: Sunt enim permulti, qui neſcio quo modo copiam & uarietatem orationis affectant, cum ne ſemel quidem rem poßint apte explicare. Iſti tanquàm ſemel balbutiße ſit parum, balbutiem ſuam alijs atque alijs modis reddunt balbiorem, tanquàm ipſi ſecum certamen ſuſceperint, ut quàm barbarißime dici poßit, dicant. Itaque inepti ſynonyma quædam congerunt, adeo interdum inter ſe diſſidentia, ut ipſa mirentur, quo pacto conuenerint. Quid enim abſurdius, quàm hominem pannoſum, cui ne una quidem, quam ſine pudore poßit induere, ſit ueſtis, eum tamen ſubinde ſuos pannos mutare, ac mẽdicitatem ſuam pro opibus oſtentare? At nihilominus ridiculi uidentur iſti uarietatis affectatores:

qui

qui quũ barbare semel dixerint, repetũt idẽ multo barbarius, demũ iterum atque iterum indoctius. Hoc est, Ratio'uerten di orationem nõ oratione, sed solœcismis abũdare. In primis igitur, ut dixi, res ipsa aptis atque electis uerbis est explicãda. Deinde mutatorijs uerbis utendũ, si qua, quæ idem efficiãt, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Demũ ubi propria deficiẽt, translaticijs erit utendum, si modo uerecunda sit translatio. Ea quoque ubi deerunt, si per actiua dixisti, ad passiua reuertendũ erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis cõstabant. Postea uerba, si licebit, aut in nomina uerbalia, aut in participia cõmutabimus. Postremo, ubi modo aduerbia in nomina, modo nomina in alias atq; alias parteis commutueri-mus, per cõtrarium dicemus: aut affirmatiuam orationẽ in negatiuam commutabimus, aut retrorsum, aut certe, quod pronunciatiue dictum, per interrogationẽ effere-mus. Nunc exempli causa hanc sententiam sumamus.

LITERAE TVAE MAGNOpere me delectarunt.

LITERAE TVAE.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literæ.

MAGNOPERE.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modũ, mirandum in modum, supra modum, plurimũ, non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, Christianum.

DELECTARVNT.

Volu-

Voluptate affecerũt, recreauerunt, exhilararunt, uoluptati fuerunt, oblectarunt, uoluptate perfuderunt, mellitißimæ fuerunt, iucundißimæ, &c. Habes materiã, *tuum erit componere.* Experiamur igitur. *Faciamus periculum.* CHRI. *Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirifice nos exhilarauit.* A V. *Verte actiuũ in paßiuũ, alia erit facies.* Vt: *Dici non poßit, quàm tuis sim scriptis exhilaratus.* Itẽ per alia uerba idẽ efficiẽtia. *Tuis ex literis incredibilẽ cepi uoluptatẽ.* Ex epistola celsitudinis *tuæ plurimũ uoluptatis accepi.* Nõ me diocrẽ lætitiam *tua mihi scripta attulerunt.* Gaudio *tua me scripta, quantus erã, perfuderunt.* Hic non ita liceret *mutare in paßiua, niſi in illo postremo, perfuſus gaudio, quod uſitate dicitur.* Capiebatur à me uoluptas, allatum *eſt gaudium, non perinde uſitate dixeris.*

PER AFFICIO.

Singulari uoluptate literæ tuæ me affecerunt.

MVTA IN PASSIVVM.

Tuis ſcriptis incredibili ſum affectus uoluptate. Nõ parum *gaudiorum tuum nobis epiſtolium peperit.*

PER SVM ET NOMIna adiectiua.

Tuæ mihi literæ multis modis incundißimæ fuerũt. Fuit tua illa epiſtola ſanè quàm gratißima.

PER NOMINA SVBSTANTIVA.

Ineffabili uoluptati tua nobis epiſtola fuit. Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

COMMVTA IN NEGATIONEM.

Tu

Tua scripta non mediocri leticiæ fuere. Nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Quanquam hac ratione aliquoties iam usi sumus, quæ non est negligenter prætereuda. Nam quoties multum, plurimum, singulariter significare uolumus, per contrarium uerbum idem efficimus. Vt: Vehementer te amat Henricus: Haud uulgariter te amat. Multum me iuuat uinum: haud parum iuuat. Est uir singulari ingenio. Est uir ingenio non uulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus. Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit. Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non usu ueniunt. Sed admonuisse rem clarissimam satis est. Nec te lateat, bifariam nos huiusmodi orationum genere uti, modestiæ causa, præsertim si de nobis ipsis loquamur. Tum etiam amplificandi gratia. Nam non ingratum, pro ualde grato. Non uulgariter, pro singulariter, recte & uenuste dicimus.

MODESTIAE CAVSA.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ sum opinionem cõsecutus. Semper curaui, ut in literaria gloria non postremas parteis tenerem. De amplificatione superiora sunt exempla, nunc ad nostra reuertamur. Nihil tua epistola unquam euenit gratius. Nulla res maiori unquam uoluptati fuit quàm tua scripta. Nulla unquam ex re tantundem cepi uoluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis. Hoc modo singulæ orationes superiores poterunt uariari per interrogationem. Quid

tuis

Digitized by Google

tuis literis in uita iucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita oblectauit unquã, ut proximæ tuæ literæ? Hoc modo rursum singulas ferè orationes uariare licebit. CHRI. *Quid deinde fiet?* AV. *Iam paulo liberius totam orationẽ uertemus, ut unã dictionẽ pluribus uerbis circũloquamur.* CHR. *Dic exempli causa.* AVG. *Quod modo per nomen incredibile, modo per aduerbiũ incredibiliter dictũ erat: unã dictionẽ aliquot uerbis cõmutabimus. Literis consequi nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ iucunditati tua mihi scripta fuerunt. Explicare prorsum nequeo, quàm sim tuis literis gauisus. Et item in infinitum. Rursum alio pacto. Nam hactenus & per negationem & per interrogationem, postremo per infinitas orationes uariauimus. Nũc per subiunctiuas, siue conditionales uariabimus, hoc modo: Moriar, si unquã quicquam fuit tuis literis, aut optatius, aut dulcius. Peream, si ulla res maiori uoluptati fuit, quàm tuæ literæ. Ità me deus amet, ut nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit.* CH. *Quid deinde?* AVG. *Nunc ad translationes, similitudines, & exempla fugiendum est.*

TRANSLATIO EST IN HIS.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerũt. Nihil nisi meræ deliciæ tua mihi scripta uidẽtur. Mera uoluptas sunt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima. Sed cauendũ, ne obsoletis, aut durioribus translationibus utamur, quale est illud: Iuppiter hybernas cana niue conspuit Alpes. Et quale

Digitized by Google

est illud: Cœna tuorum scriptorum me suauissimis epulis refecit.

COMPARATIO A SIMILI.

Tua scripta omni uel ambrosia uel nectare suauiora fuere. Literæ tuæ quouis melle mihi fuere dulciores. Epistola humanitatis tuæ, & siliquam omnem, & mel Atticum, & saccarum omne, nectar ambrosiamq; deorum longe superauit. Hic quicquid dulcedine nobilitatũ est, in medium adduci potest.

AB EXEMPLO.

Nunquam adducar, ut credam Herò Leandri fuu literas aut maiore uoluptate, aut pluribus osculis accepisse, quàm tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionẽ euersa Carthagine, aut Paulum Aemilium, capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quàm ego, simul ac suauissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Huiusmodi tum ex fabulis, tũ ex historijs infinita possunt inueniri. E physica uero sumuntur rerum similitudines, quarum quàm plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

NVNQVAM DVM VIVAM
tui ero immemor.

Semper dum uiuam, tui meminero. Quoad uiuam, nunquàm me tui capiet obliuio. Prius uiuere desinã, quàm tui meminisse.

PER COMPARATIONES.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit obliuisci. Tui memoriam ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

PRAE

Digitized by Google

PRAETEREA PER AΔYNATON, aut more poëtico per contraria.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit. Ante leues ergo, &c. quæ non eſt multi negocij excogitare. Verum ne immodici uideamur, his in præſentia contenti ſimus. Aliàs ſi uoles, copioſius hac de re colloquemur. CHRI. Ego te Auguſtine iam planè exhauſtum putabam. Sed tu præter expectationem nouum theſaurum indicaſti, quem ſi pergas explicare, nox ante occupauerit, quàm tibi eadem de re deſint uerba. AVG. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio præſto, quantum Ciceronem ipſum ualuiſſe credis, qui cum Roſcio hiſtrione certaſſe legitur? Sed ſol nos relinquit. Humeſcit cœlum, præſtat, imitari auiculas, tecto; ac lecto nos condere. Proinde uale mi Chriſtiane ſuauiſſime in craſtinum. CHR. Tu itidem bene ualeas Auguſtine omnium doctiſſime.

CONVIVIVM RELIGIOSVM.

Euſebius, Timotheus, Theophilus, Chryſoglottus, Vranius.

Euſebius, pius.
Timotheus, charus deo, uel charũ habens deum.
Theophilus, amans dei.
Chryſoglottus, aureã habens linguam.
Vranius cœleſtis.
Eulalius, bene loquens.

EVSEBI. Cũ omnia nũc uernẽt ac rideant in agris, demiror eſſe, qui ſimoſis urbibus delectẽtur. TIMO. Non omnes capiuntur aſpectu florum aut pratorũ uernantium, aut fontium amniumue. Aut ſi capiuntur, eſt aliud, quod magis iuuet. Ita uoluptas uoluptate, uelut clauus clauo pellitur. EVSE. Tu mihi fortaſſe fœneratores narras, aut his ſimillimos negociatores auaros. TIMO. Iſtos quidẽ, ſed nõ ſolos, ò bone, imò cũ his innumeros alios, uſque ad ipſos ſacerdotes ac mona-

chos, qui ferè quæstus gratia malũt in urbibus, ijsq; frequentißimis uersari, dogma sequuti, non Pythagoricũ, aut Platonicum, sed cæci cuiusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominũ, quod diceret illic esse quæstum, ubi esset populus. EVSEBI. Valeant cæci cum suo quæstu. Nos philosophi sumus. TIMO. Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, quod esset discẽdi cupidus, & urbes haberẽt, unde disceret: in agris esse quidẽ arbores & hortos, fõntes & amnes, qui pascerent oculos, cæterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerẽt. EVSEBI. Est nonnihil, quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam mea sententia nõ est mutа rerum natura, sed undiquaq; loquax est, multáq; docet contemplantẽ, si nacta fuerit hominem attentum ac docilem. Quid aliud clamitat illa tam amœna naturæ uernantis facies, quàm opificis dei sapiẽtiam bonitati parem? Sed Socrates in eo secessu quàm multa docet Phædrum suum, ac uicißim ab eo discit. TIMO. Si tales adessent aliquot, nihil esse poßit amœnius rusticatione. EVS. Libet igitur huius rei periculum facere? Est mihi prædiolum suburbanum, non amplum, sed nitide cultum. Eò uos in crastinum diem ad prandium uoco. TIM. Plures sumus. Exederemus totum prædium tuum. EVSE. Imò totum cõuiuium apponetur herbaceũ, ex dapibus, ut inquit Flaccus, inemptis apparatum. Vinum ipse locus suppeditat: pepones, melones, ficos, pyra, mala, nucces, ipsæ penè arbores porrigunt, quemadmodum fit in insulis Fortunatis, si Luciano credimus. Accedet fortaßis è corte gallina.

Cors cortis, spatium circũ uillã septũ, unde Cortis aues, & militũ cohors, qđ ex agris legi solebant.

TIM.

Digitized by Google

TIM. Age, non recusamus. EVSE. At suam quisque umbram secum adducat, quam uolet. Ita cum sitis quatuor, æquabimus numerũ Musarũ. TIM. Fiet. EVS. Vnum illud uos præmonitos uolo, sibi quisq; condimentum suum adferet. Ego cibos dũtaxat apponã. TIM. Quod condimentum narras, piper, an saccarũ? EVS. Imò aliud uilius, sed suauius. TIM. Quodnam? EVS. Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis, cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoq; commodi ruſculo meo debebitur. Verum ad quã horam libet prandere? TIM. Ad decimam, prius quàm inualescat æstus solis. EVSE. Curabitur. PVER. Here, adsunt cõuiuæ pro foribus. EVSEB. Bonæ fidei est quod uenistis, sed bis gratum est, quod uenistis mature unà cum umbris uestris longe gratissimis. Sunt enim quidam inciuiliter ciuiles, qui conuiuatorem mora sua torquent. TIM. Eo maturius uenimus, ut esset ocium lustrandi, uisendiq; regiam istam tuam, quã audimus undiq; miris delicijs uariam, nusquam non testari domini sui ingenium. EVS. Regiam spectabitis tali dignam rege. Mihi certe nidulus est, quauis regia gratior. Et si regnat, qui libere uiuit ex animi sui sententia, hic planè regno. Sed præstat, opinor, interim, dum culinæ præfecta parat holusculum, & adhuc moderatus est solis calor, uisere hortos nostros. TIMO. Est alius præter hunc? Nam hic sanè mire cultus blandissimo aspectu statim ingredientes salutat, & comiter excipit. EVS. Hinc igitur decerpat sibi quisque floſculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domus pedor. Nõ idem odor æque gratus omnibus.

Vmbra nõ ipse uocatus, sed quẽ adducit comitẽ uocatus.

bus. Quare sibi quisq; deligat. Ne parcite. Nam quicquid hic nascitur, penè publicũ esse patior. Neq; enim unquam clauditur ostium huius uestibuli, nisi noctu. TIMO. En tibi in ostio Petrus. EVSE. Hunc ego malo ianitorem, quàm Mercurios, Centauros, aliáq; portenta, quæ quidam pingunt in foribus suis. TIM. Isthuc homine Christiano dignius est. EVSE. Nec mutum habeo ianitorem, tribus linguis alloquitur ingredientem. TIMO. Quid loquitur? EVSE. Quin ipse legis? TIMO. Interuallum aliquanto longius est, quàm ut prospectus oculorum assequatur. EVSE. En tibi perspicillum, quod te uel Lynceum reddet. TIMO. Latina uideo: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata, Matth. cap. 9. EVSE. Nunc lege Græca. TIMO. Græca uideo quidem, at illa non uident me. Quare lampadem hanc trado Theophilo, qui nunquam non cantillat Græca. THE. Μετανοήσατε. Ἐπίσχες ἕλατε. πράξεως τῶ πρίτῳ. CHR. Hebræa mihi sumam: יְצַדִּיק בְּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה An uobis uidetur incomis ianitor, qui statim monet, ut auertamur à utijs, & conuertamus nos ad studium pietatis? Deinde uitam non contingere ex operibus Mosaicis, sed per fidem Euangelicã? Postremo seruandis euangelicis præceptis, iter esse ad immortalem uitã? TIM. Et ecce mox ad dexteram ingressus ostendit sacellum perquàm elegans. In altari IESVS CHRISTVS suspiciens in cœlum ad patrem & spiritum sanctum, illinc prospicientes, atq; eodem dextrã porrigẽs, læua uelut inuitat, & allectat prætereuntẽ. EVNec is

Non uidẽt me, id est, non intelligo. Nolunt enim uideri quæ non agnoscũt.

Lampadẽ tradere, est alteri tradere negotiũ, uide proue.

יְצַדִּיק &c, id est, Iustus autẽ in fide sua uiuet. Abacuc. 2. Et Gala. 3.

elinguis

elinguis nos excipit: uides Latina: Ego sum uia, ueritas, & uita. Græca Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή. Hebraice: לְכוּ בָנִים שִׁמְעוּ־לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם &c. id est. Venite filij, obedite mihi, timorē dñi docebo uos. Psal. 34.

TIMOTH. Læto nimirum omine nos salutauit dominus Iesus. EVSEBI. Sed ne uideamur inciuiles, fortassis par est, ut illum resalutemus, precemurq; ut quãdo ex nobis ipsi nihil possumus, ille sua inæstimabili bonitate non sinat nos unquam aberrare à uia salutis, sed abiectis umbris Iudaicis, & huius mundi præstigijs, per ueritatem Euangelicam perducat nos ad uitã æternam, hoc est, ipse per se trahat nos ad se. TIMO. Aequissimum est, & ipsa loci species inuitat ad precãdum. EVS. Multos hospites allicit huius horti amœnitas, sed ita ferè apud omneis inualuit consuetudo, ut nemo prætereat Iesum insalutatum. Hunc ego uice fœdissimi Priapi, custodem posui, non solum horti mei, sed omnium quæ possideo, denique corporis pariter atque animi. Adest ut uidetis, fonticulus saluberrimis aquis non inamœne scatens, utcunque repræsentans unicum illum fontem, qui cœlesti latice refocillat omnes laborantes, & oneratos, & ad quem anhelat anima delassata malis huius mundi, non aliter quàm, iuxta Psalmistam, ceruus æstuans siti, gustatis serpentium carnibus. Hinc gratis haurire licet, quisquis sitit. Nõnulli & religionis gratia sese aspergunt. Quidam etiam bibunt, non sitis, sed religionis causa. Video uos inuitos auellí ab hoc loco. Sed iterum hora monet, ut uisamus hũc cultiorẽ hortũ, quẽ in quadrum cingunt muri regiæ meæ. Si quid erit uisendũ intus, à prãdio spectabitis, quũ solis

æstus nos, ueluti cochleas, domi cohibebit horis aliquot. TI M. Papæ. Epicureos hortos mihi uidere uideor. EV. Totus hic locus uoluptati dicatus est, sed honestæ, pascēdis oculis, recreādis naribus, reficiēdis animis. Nihil hic nascitur præter odoratas herbas, nec eas quasli bet, sed eximias dumtaxat. Vnumquodq; genus suas habet areas. TI. Nec herbæ mutæ sunt apud te, quātū uideo. EVS. Probe dicis, alij domos habēt opulētas, ego loquacissimā habeo, ne quādo solus uideri possim: id magis etiā dices, ubi totam uideris. Vt herbæ sunt uelut in turmas digestæ, ita singulæ turmæ singula habēt uexilla. cum inscriptione. Velut amaracus hic: Absline, inquit, sus, nō tibi spiro. Cum enim sit suauissimæ fragrantiæ, sues tamē hoc odere uehemēter offendūtur. Itidē singula genera suos habēt titulos, aliquid indicātes, quod ad peculiarē eius herbæ uim pertinet. TI M. Nihil adhuc uidi hoc fonticulo festiuius, q medius uelut arridet herbis omnibus, ac refrigeriū illis pollicetur aduersus estū. Sed alucolus hic, qui tanta gratia totam aquam ostēdit oculis hominum, hinc atque hinc æquis spatijs hortum dirimēs, in quo sese utrinque herbæ uelut in speculo cōtemplari gestiunt, num marmoreus est? EVS. Bona uerba, unde huc marmor? è contusis cementis factitiū marmor est, coloris cādor additus est incrustamēto. TI M. Quò tandē sese condit tam amabilis riuus? EVS. Vide inciuilitatem humanā: Posteaquàm hic satis exhilarauit oculos nostros, proluit culinam, eiusq; sordes secum defert in cloacam. TI M. Crudele, ita me deus bene amet. EVS. Crudele, ni & in hūc usum parasset æterni numinis

Absline sus. Suibus amaricinum unguentum ex amaraco factum, uenenum est.

numinis begnitas. Tum crudeles sumus, quũ fontem diuinæ scripturæ longe hoc amœniorem, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum, conspurcamus uitijs nostris, prauisq; cupiditatibus, abutentes tam inesfabili dono dei. Nam hac aqua nõ abutimur, si partimur in uarios usus, in quos illam dedit is, qui nihil non affatim suppeditat usibus humanis. TIMO. Verißima sunt, quæ narras, sed cur tibi uirent etiam horti septa manu facta? EVS. Ne quid hic non uireat. Quidam rubra malunt, quod his color additus uirentibus, gratiam adiungat. Hic mihi magis arridet, ut est sua cuiq; sententia, etiã in hortis. TIMO. Sed horti per se amœnißimu iucunditatẽ ꝓpemodũ obscurãt ambulacra tria. EV. In his uel studeo, uel obambulo, solus, aut cũ amiculo cõ fabulans, uel cibum capio, si uidetur. TIMO. Columniæ paribus interuallis sustinentes ædificium innitens, miraq; colorum uarietate blandientes, sunt ne marmoreæ? EVS. Ex eodem marmore, quo factus est hic alueus. TIMO. Lepida profecto impostura. Vel deieraſſem esse marmor. EVSE. Qu.re caue, ne uel credas, uel deieres quicquã temere. Nõ raro fallit species. Quod opibus deest, arte sarcimus. TIM. Non tibi satierat hortus tam nitidus tã excultus, nisi pingeres insuper alios hortos? EVS. Nõ capiebat omneis herbarũ species unus hortus. Præterea bis delectamur, quũ pictũ florẽ cũ uiuo decertantẽ uidemus, & in altero miramur artificiũ naturæ, in altero pictoris ingeniũ. In utroq; benignitatẽ dei, qui in usum nostrũ largitur hæc oĩa, nulla in re nõ mirabilis pariter, & amabilis. Postremo

non ſemper uiret hortus, non ſemper uiuunt floſculi. Hic hortus etiã media bruma uiret, & adblãditur. T I M. *At non ſpirat.* E V S. *Sed rurſum non eget cultura.* T I M. *Tantum paſcit oculos.* E V S. *Verum, ſed hoc perpetuo facit.* T I M. *Habet ſuum & pictura ſeniũ.* E V S. *Habet, nobis tamen eſt uiuacior, & illi ferè gratiam addit ætas, quam nobis detrahit.* T I M O. *Vtinam hic uanus eſſes.* E V. *In hoc ambulacro, quod ſpectat Occidentem, ſole fruor oriente: in hoc quod ſpectat Orientem, apricor interdum: in hoc quod ſpectat Auſtrum, ſed patet ad ſeptentrionem, recreor ab æſtu ſolis. Obambulabimus, ſi uidetur, quo ſpectetis propius. En uernat ipſum etiam ſolum. Habent enim & teſſellæ colorum gratiam & floſculis pictis adblãdiuntur. Hoc nemus, quod uidetis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi uarium ſpectaculum. Primum quot uidetis arbores, tot uidetis arborum genera, ſingulis ad natiuam imaginem nõ peßime experßis. Quot cernitis aues, tot uidetis auium ſpecies, præcipue ſi quæ ſint rariores, & inſigni re quapiam nobiles. Nam anſeres, gallinas & anates quid attinet pingere? Inferne ſunt quadrupedum ſpecies, aut earum auium, quæ uiuunt humi more quadrupedum.* T I M O. *Mira uarietas, nec quicquam eſt ocioſum. Nihil eſt, quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, penè latitans ſub frondibus?* E V S. *Attice loquitur Attica,* σωφρόνη, *inquit* οὐ πᾶσιν ἵ πποις. *Iubet nos conſulto agere, quod non omnibus feliciter cedat inconſulta temeritas. Hic aquila decerpit leporem, fruſtra obteſtante ſcarabeo.*

Id eſt, prudens eſto, nõ omnibus uolo. Vide prouerb. de noctua Atheniensium.

Aſtat

Digitized by Google

Trochilus auicula, natura aquilis infensa.

Astat scarabeo trochilus, & ipse capitalis inimicus aquilæ. TIMO. Hæc hirundo quid gerit ore? EVS. Herbam chelidoniam. Nam hac restituit pullis exoculatis usum. Agnoscitis herbæ figuram? TIM. Quod nam hoc nouum lacertæ genus? EVS. Non est lacerta, sed chamæleon. TIM. Est hic ille longo nomine celebratus chamæleon? belluam esse credidi leone maiorem, quem uincit etiam uocabulo. EVS. Hic ille est semper hians & semper ieiunus chamæleon. Hæc arbor est capprificus, apud quam solam sæuit, aliâs innoxius. Nam uenenum habet, ne contẽnas hiantem bestiolam. TIM. At non mutat colorem. EVS. Verum, quia non mutat locum, ubi mutarit locum, uidebis & colorem aliũ. TIMO. Quid hic sibi uult tibicem? EVS. Nônne uides in proximo camelum saltantem? TIM. Video nouum spectaculum, camelus cinædus est, & simius choraules. EVS. Sed his singulatim ac per ocium contemplandis aliâs dabitur uel totũ triduum. Nunc satis erit, ueluti per transennam uidisse. In hac regione depictum est ad natiuam effigiem, quicquid est insignium herbarum, quodq; iure miremini, hic uenena quantumuis præsentanea, tutò non solum spectantur, uerumetiam contrectãtur. TIMO. En scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed frequens Italiæ. Quanquam color mihi parum respondere uidetur in pictura. EVSEBI. Qui sic? TIMO. Quia magis nigrant apud Italos, iste pallidior est. EVSEBI. At non agnoscis herbam in cuius folium incidit? TIMO. Non satis. EVSEBI. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis

hortis noſtratibus. Aconitum eſt. Ei ueneno tanta uis eſt, ut ſcorpius ad huius cõtactum ſtupeſcat palleſcatq;, ſcſcq; uinci patiatur. Sed offenſus ueneno à ueneno petet remedium. Videtis in propinquo utrunq; genus hellebori. Si ſcorpius ſeſe potuerit explicare à ſolio aconiti, & album helleborum contingere, recipiet priſtinum uigorem, diuerſi ueneni contactu ſoluente torporem. TIMO. Actum eſt igitur de iſto ſcorpio. Nam is ſe nunquam explicabit ab aconiti ſolio. Etiam loquuntur hic ſcorpij? EVS. Et quidem Græce. TIMO. Quid ait? EVS. Εὖγε θεὸς ἂν ἀλιξόμ. Hic præter herbas uidetis omne ſerpentium genus. En uobis baſiliſcus, ocu lis igneis, ipſis etiam nocentiſſimus uenenis formidabilis. TIMO. Et is loquitur aliquid. EVS. Oderint, inquit, dum metuant. TIMO. Planè regia uox. EVS. Imò nihil minus regium, ſed tyrannica uox eſt. Hic pugnat lacerta cum uipera. Hic dipſas inſidiatur, tecta pumine oui Struthiocameli. Hic uidetis politiam totam formicarum, ad quarum imitationem nos uocat Hebræus ille ſapiens, atque etiam Flaccus noſter. Hic uidetis formicas Indicas, quæ aurum egerũt, ac ſeruant. TIMO. Deum immortalem, cui poſſit obrepere tædium, in hoc theatro uerſanti? EVS. Aliás, inquam, licebit uel ad ſatietatem uſque ſpectare. Nunc procul tantum ſpectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes, & maria, & in his quicquid eſt inſignium piſcium. Hic eſt Nilus, in quo Delphinum illum uidetis, hominum amatorem, cum Crocodilo depugnantem, quo non alius hoſtis homini capitalior. In ripis ac litoribus uidetis ea, quæ ſunt

Id eſt. Reperit deus nocentẽ.

ἀμεῖ

ἀμφίβια, ut cancri, phocæ, fiber. Hic est polypus ca-
ptator captus à cõcha. T I. Quid loquitur? ἀιεῖ ὑπὸ ἀιεῖ
μου. Mire pictor fecit aquam pellucidam. E V S. Aut
hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat alijs oculis.
In proximo est alter polypus, summa æquoris aqua ue-
lificans, liburnicarum gaudens imagine. Videtis torpedi-
nem prostratam in harena concolori, quàm hic tuto uel
manu contigeris. Sed aliò properandum est. Hæc pascũt
oculos, at uentrem non explent, properemus ad reliqua.
T I M O. Etiámne amplius? E V S. Mox uidebitis, quid
nobis præbeat posticum. Hic uidetis hortum satis spa-
tiosum, in duas diuisum partes, in altera est, quicquid est
herbarum esculentarũ, in qua regnant uxor & familia
mea, in altera quicquid est medicarum, præsertim insi-
gnium. Ad læuam est pratum liberum, præter uirorem
graminum nihil habens, septum est sepe perpetua, è spi-
nis implexis. Illic nonnunquàm uel ambulo uel lusito cũ
sodalibus. Ad dextram est pomarium, in quo cum erit
ocium, uidebitis plurimas arbores peregrinas, quas pau
latim doceo nostro cœlo assuescere. T I M O. Papæ,
næ tu uincis uel ipsum Alcinoum. E V S. Hic auiarium
est in confinio adhærens ambulacro superiori, quod ui-
debitis à prandio, uidebitis formas uarias, uariasq; lin-
guas audietis. Nec minus uaria sunt ingenia. Inter quas
dã cognatio est, & mutuus amor, inter nõnullas simul-
tas irrecõciliabilis. Sunt autẽ oẽs adeo cicures ac man-
suetæ, ut si quãdo cœno illic aperta fenestra, deuolẽt in
mẽsam, cibũq; uel è manibus capiãt. Si qñ ingredior in
põticulo pẽsili, quẽ uidetis, fabulans cũ amico, assident,
auscul

auſcultant, inſident humeris aut brachijs, adeo dedidicerunt timere, quia ſentiunt neminem lædere. In extremo pomario apum regnum eſt. Nec illud ſanè ſpectaculum inamœnum. In præſentia non ſinam uos amplius contemplari, quo ſit, quod uos poſt hac reuocet, tanquam ad nouum ſpectaculum. A prandio cætera uobis oſtendam. PVER. *Vxor & famula clamitant, corrumpi prandium.* EVS. *Iubeto illas eſſe æquanimes. Nos iam accuremus. Lauemus amici, ut puris manibus & animis ad menſam accedamus. Etenim ſi ethnicis quoq; religioſa erat menſa, quantomagis oportet eſſe ſacram Chriſtianis, quibus habet imaginem quandam illius ſacroſancti conuiuij, quod dominus Ieſus poſtremum egit cum ſuis diſcipulis. Et ob id receptum eſt, abluere manus, ut ſi quid odij, liuoris, aut turpitudinis alicui ſorſitam reſideat in animo, id eijciat antequam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori ſalubriores eſſe cibos, ſi ſumantur animo defecato.* TIM. *Iſtud uerißimum eſſe credimus.* EVS. *Quoniam hoc exemplum nobis ab ipſo Chriſto traditum eſt, ut ab hymno cibum auſpicaremur, nam id arbitror, quod frequenter in Euangelio legimus illum benedixiſſe, aut gratias egiſſe patri, prius quàm cibum frangeret, & rurſum hymno finiremus: ſi uidetur, recitabo uobis hymnum, quẽ diuus Chryſoſtomus miris laudibus prædicat in homilia quadam, dignatus etiam interpretari.* TIMO. *Imò ut uelis rogamus.* EV. *Benedictus deus, qui me paſcis à iuuentute mea. Qui cibum præbes omni carni, reple lætitia & gaudio corda noſtra,*

Digitized by Google

ſtra, ut affatim quod ſatis eſt habentes, abundemus in omne opus bonum, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor & imperium, cum ſancto ſpiritu in omne æuum. T I M O. *Amen.* E V S. *Nunc accumbite, ac ſuam quiſq; umbram ſibi adungat. Caniciei tuæ debetur primus locus Timothee.* T I M O. *Verbo dignitatem uniuerſam meam complexus es. Hoc ſolo nomine ſum cæteris anteponendus.* E V S. *Cæterarum dotium æſtimator eſt deus, nos ea ſequimur, quæ uidemus. Sophroni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & Eulali, dextrum menſæ latus occupate. Chryſoglottus & Theodidactus occupabunt læuum. Vranius & Nephalius, quod ſupereſt. Ego hunc angulum tuebor.* T I M O. *Non patiemur. Hoſpiti debetur primus locus.* E V S. *Tota domus hæc mea eſt, ſimulq; ueſtra, quod ſi mihi permittitur ius in regno meo, is locus debetur hoſpiti, quẽcunq; ſibi delegerit. Nunc utinam Chriſtus ille exhilarator omnium, & ſine quo nihil uere ſuaue eſt, dignetur huic noſtro intereſſe conuiuio, ſuaq; præſentia exhilarare animos noſtros.* T I. *Spero dignabitur. Sed ubi ſedebit, iam omnibus locis occupatis?* E V S. *Vtinam ille ſe miſceat omnibus & patinis, & poculis, ut nihil illum non ſapiat, ſed potißimum illabatur animis noſtris. Id quo magis dignetur, & nos tanti hoſpitis reddamur capaciores, ſi moleſtiũ nõ eſt, auſcultabitis paululũ è ſacra lectione: ſed ita, ut interim nihilo ſecius admoueatis manus ouis & lactucis, ſi libet.* T I M O. *Id faciemus libenter, ſed auſcultabimus libentius.* E V. *Is mos mihi multis nomini-*

Sophronius, temperatus.
Eulalius, bene loquens.
Theodidactus, diuinitus doctus.
Nephalius, ſobrius.

bus

Digitized by Google

bus uidetur amplectẽdus, quod hac ratione uitentur ina nes fabulæ, præbeaturq; materia confabulationis frugi= feræ. Multum enim ab illis dissentio, qui putant nõ esse lætum conuiuium, nisi quod scateat ineptis ac lasciuis fa bulis, quod perstrepat obscœnis cantiunculis. Vera hila ritas nascitur è pura syncerάq; conscientia: atq; hi ser= mones uere læti sunt, quos semper & dixisse iuuet, aut audisse, & semper delectet meminisse, non quorum mox pudeat, quiq; cõscientiã pœnitudine discruciẽt. T I M. Vtinam ista tam perpenderemus omnes, quàm sunt uera. E V S. Hæc, præter quàm quod certam & insignem ha bẽt utilitatem, etiã iucũda fiunt, ubi uel mẽsem unũ assue ueris. T I M. Nihil igitur cõsultius, quàm optimis assue scere: E V S. Recita puer distincte, & clare. P V E R.

Prouerb. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu domi= ni, quocunq; uoluerit, inclinabit illud. Omnis uia uiri re cta sibi uidetur, appendit autem corda dominus. Facere misericordiã & iudicium, magis placet domino, quàm uictimæ. E V S. Sit hoc satis. Præstat enim pauca auide discere, quàm multa cum tædio deuorare. T I M O. Præstat sanè, sed non hic tantum. Plinius scripsit, officia Ciceronis nunquam de manibus deponenda: & sunt sa nè digna, quælcum ab omnibus, tum præcipue ab ijs, qui destinati sunt administrandæ reipub. ad uerbum ea scantur, mea quidem sententia: sed hunc prouerbio rum libellum semper dignum arbitratus sum, qui sem= per nobis circunferatur. E V. Quoniam sciebam pran= dium fore dilutum, & insipidum, idcirco hanc pro= curaui nobis condituram. T I M O. Nihil hic est non

lauti

lautissimũ, & tamen si nihil esset præter betas absq; pipere, unino & aceto, talis lectio cõdiret omnia. EVS. Mihi tamen plus adderet gratiæ, si quod audio, penitus intelligam. Atq; utinam adesset aliquis uere theologus, qui ista non intelligeret solum, uerũ etiam saperet. Nobis idiotis nescio an fas sit hisce de rebus confabulari. TIM. Ego uero puto uel nautis esse fas, modo absit definiẽdi temeritas. Fortasse & Christus, qui pollicitus est sese adfuturũ, ubicunq; duo conuenirent de ipso tractantes, aspirabit nobis tam multis. EV. Quid si igitur partiamur inter nos nouẽ, tres sententias? CONVIVAE. Non displicet, modo à conuiuatore incipiat ordo. EVS. Non detractarem prouinciam, sed uereor, ne hic uos peius accipiam, quàm cibis accipio. Age necubi uidear difficilis conuiuator, omissis uarijs coniecturis, quæ in hunc locum congerunt interpretes: mihi uidetur hic esse sensus moralis, alios mortales posse flecti monitis, increpationibus, legibus ac minis: regis animum, quoniam neminem metuit, si repugnes, magis iritari. Et idcirco quoties principes uehementer contendunt aliquid, suo animo relinquendos, non quod semper uelint optima, sed quod illorum stultitia maliciáue deus nõnunquam abutatur ad emendandos eos, qui deliquerunt. Quemadmodum uetuit resisti Nabuchodonosor, quod illius ministerio decreuisset castigare populum suum. Fortassis illud est quod ait Iob: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Atq; huc fortasse pertinet, quod ait Dauid, deplorans peccatum suum: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci

Betas. Allusit ad illud Martialis; Vt sapiãt fatuæ fabrorũ prandia betæ; O quã sæpe pe tet uina piper coquus.

i Non,

Non quod reges nõ peccent ingenti populi malo, sed quod nõ habent hominẽ, cuius autoritate condẽnentur, cum dei iudiciũ nemo, quãlibet potens, poßit effugere. T I M. Non diſplicet interpretatio. Sed quid ſibi uolũt diuiſiones aquarum? E V S. Adhibita eſt ſimilitudo, quæ rẽ explanet. Violenta res ex impotens eſt regis animus cõcitatus, nec huc, aut illuc duci poteſt, ſed impetu ſuo fertur, uelut œſtro diuino percitus, quẽadmodum mare ſeſe ſpargit in terras, ac ſubinde curſum mutat, cõtemptis agris, ædificijs, & quicquid obſtat. Alicubi ſe cõdit ſub terras, cuius impetũ ſi coneris inhibere, aut aliò deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, ueluti fabulæ quoq; narrant de Acheloo. Minus autem mali capitur, ſi cõmode obſequundes, quàm ſi uiolẽter repugnes. T I M. Nihil igitur remedij aduerſus malorum regum impotentiã? E V S. Fortaſſe primum fuerit, leonem in ciuitatem non recipere: proximum, ſic autoritate ſenatus, magiſtratuum ac ciuium, moderari potentiam illius, ut nõ facile erumpat in tyrannidẽ. Sed omnium potißimũ, dum adhuc puer eſt, & ſe principẽ eſſe neſcit, ſanctis præceptis formare pectus illius. Proſunt & preces ac monita, ſed blanda ac tempeſtiua. Extrema ancora eſt, uotis fatigare deum, ut regis animũ inclinet ad ea, quæ Chriſtiano rege digna ſunt. T I M. Quid ais idiota? Si Baccalaurius eſſem theologiæ, minime puderet iſtius interpretationis. E V S. An uera ſit, neſcio, mihi ſatis eſt, q̃d ſenſus nõ ſit impius, aut hæreticus. Morẽ geßi uoluntati ueſtræ. Nunc ut decet in cõuiuijs, uicißim audire cupio. T I M. Si quid defertis his quoq;

quoq; canis, mihi uidetur hoc dictū & ad abstrusiorē sententiam accōmodari posse. EVS. Credo, & audire cupio. TIM. Rex intelligi potest uir perfectus, qui do mutis carnis affectibus, solo diuini spiritus impetu ducitur. Porrò qui sit huiusmodi, hunc nō conuenit fortassis humanis legibus in ordinē cogere, sed suo domino, cuius spiritu agitur, relinquendus est. Nec iudicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorū utcunq; prouehitur ad uerā pietatem. Sed si quid secus facit, dicendū est cum Paulo: Dominus assumpsit illum, domino suo stat aut cadit. Itē illud: Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse uero à nemine iudicatur. Talibus igitur nemo præscribat, sed dominus, qui præscripsit terminos mari & amnibus, habet cor sui regis in manu sua, & quocunq; uoluerit, inflectit illud. EVS. Tu uero Timothee, non solū canos habes capillos, sed pectus etiā habes eruditionis canicie uenerabile. Atq; utinā iter Christianos, quos omneis oportebat esse reges, huiusmodi plures reperirētur hoc digni cognomine. Sed iam satis est ouatū, & holeribus prælusum. Iubete hæc tolli, & apponi quod supereſt. TI. Nobis affatim satis factū est hac ouatione, etiā si nihil præterea succesſerit uel supplicationis uel triumphi. EV. Verum quoniā aspirante Christo, sicut opinor, succeßit res in prima sententia, uelim ut umbra tua nobis enarret alterā, quæ mihi uidetur aliquanto obscurior. SOPHRO. Si boni uolētis cōsulere quicquid dixero, sedulo dicā quod mihi uidetur. Alioqui qui fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat umbra? EVS. Equidē recipio futurū omnium

Supplicatio, & ouatio sunt infra triumphū; alluſum est aūt ad oua apposita.

Digitized by Google

nomine, & tales umbræ lucem suã habent aptiorẽ ocu-
lis nostris. SOPH. Idem docere uidetur quod Paulus.
Diuersis uitæ rationibus cõtenditur ad pietatẽ. Alij pla
cet sacerdotiũ, alij cœlibatus, alij coniugium, alij seces-
sus, alij respu. pro uarietate corporum & ingeniorum.
Rursus alius uescitur quibuslibet, alius distinguit inter
cibum & cibum: alius iudicat inter diem & diem, alius
iudicat omnẽ diem. In his Paulus uult unumquemq; suo
frui affectu citra cõtumeliã alterius. Nec oportet quen-
quàm ex huiusmodi iudicare, sed iudicium deferre deo,
qui expẽdit corda. Fit enim sæpenumero, ut uescẽs gra-
tior sit deo, quàm nõ uescẽs: & diẽ festum uiolans ac-
ceptior sit deo, quàm is qui uidetur obseruare. Et ma-
trimoniũ huius gratius sit oculis dei, quàm multorum
cœlibatus. Dixi umbra. EVS. Vtinã mihi sæpe contin-
gat, cũ talibus umbris colloqui, rem nisi fallor, nõ acu,
quod aiunt, sed lingua tetigisti. Sed adest, quĩ cœlebs ui-
xit, nõ de numero beatorũ, qui se castrauerũt propter
regnũ dei, sed hic castratus est ui, quo magis placeret
uẽtri, donec & hunc & escas destruxerit deus. Capus
est ex corte nostra. Elixis magis delector. Ius est nõ ine
legãs, quod in eo natat, lactucæ sunt selectissimæ. Sumat
sibi quisq; quod gratũ est animo. Sed ne quid uos fal-
lam, succedet huic absi nõnihil, nox bellaria. Deinde fa-
bulæ catastrophe. TIM. Sed iterum excludimus uxorẽ
è cõuiuio. EVS. Vbi uos uenietis comitati uestris, accũ
bet & mea. Nũc quid aliud esset, quàm muta psona, &
illa suauius garrit mulier inter mulieres, & nos libe-
rius philosophamur. Alioquin periculum sit, ne nobis
accidat,

Catastrophe. Prima pars cõmœdiæ dicitur protasis, secũda Epitasis, in qua tumultus est uehementissimus, tertia Catastrophe, quæ cõponit tumultum.

Muta persona in fabulis, quæ ostenditur quidẽ, sed nõ loquit. Hora. Nec muta loqui psona laboret. Vide prouerb. κωφὸν πρόσωπον.

Digitized by Google

accidat, quod accidit Socrati, cui quum essent conuiuæ philosophi, qbus magis placent huiusmodi fabulæ, quàm cibus, & in longum proferretur disputatio, Xanthipe cõmota, mẽsam subuertit. TIM. Nihil minus à tua mẽtuendum arbitror, Est enim mulier moribus placidißimis. EVS. Mihi certe talis est, ut cõmutare non cupiã, etiam si liceat, atque hoc nomine mihi uel præcipue uideor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sentẽtia, qui fortunatum putant, uxorem habuisse nunquam, magis arridet, quod ait sapiens Hebræus, ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit uxor bona. TIM. Sæpe nostro uitio malæ sunt uxores, uel quia tales deligimus, uel quia tales reddimus, uel quia non, ut oportet, formamus & instituimus. EVS. Vera prædicas, sed interim expecto tertiæ sententiæ enarrationem, & iam mihi dicturire uidetur Θεόπνευς Theophilus. THEOPHILVS. Imò mihi animus erat in patinis. Dicam tamen, quando licet impune. EVSE. Etiam cum gratia licebit errare, uel sic præbebis occasionem inuenien di. THEO. Mihi uidetur eadem sententia quã protulit dominus apud Osee prophetam cap. 6. Misericordiã uolui & non sacrificium, & scientiam dei plus quàm holocausta: cuius uiuus & efficax interpres est dominus Iesus in Euangelio Matth. cap. 9. Quum enim cõuiuium agitaret in domo Leui, qui erat publicanus, isq; multos sui ordinis, suiq; quæstus homines inuitasset ad conuiuium: Pharisæi, qui tumebant religione legis, quũ ea præcepta negligerent, unde tota lex pendebat & prophetæ, quo discipulorum animos alienarent à Iesu,

Id est, diuinitus afflatus.

Digitized by Google

rogabãt illos, quur dominus admiſceret ſe cõuiuio peccatorum, à quorum cõſortio abſtinebant Iudæi, qui uolebant haberi ſanctiores, & ſi quando contigiſſet cum eiuſmodi congredi, reuerſi domum abluebant corpus. Quumq; diſcipuli rudes adhuc, non haberẽt quod reſpõderent, dominus & pro ſe, & pro diſcipulis reſpõdit: Non eſt opus, inquit, medico ualentibus, ſed malẽ habẽtibus. Euntes autem diſcite, quid eſt: Miſericordiã uolo, & non ſacrificium. Nõ enim ueni uocare iuſtos, ſed peccatores. EVPulchre tu quidem collatione locorum rem explicas, id quod in diuinis literis præcipuũ eſt: ſed diſcere uelim, quid appellat ſacrificium, quid miſericordiam. Nam qui conſtitit, ut auerſetur ſacrificia deus, quæ ſibi tot præceptis iuſſerat exhiberi? THE. Quomodo deus auerſetur ſacrificia, docet ipſe nos apud Eſaiam cap. 1. Sunt enim quædam præſcripta Iudæis in lege, quæ ſignificant magis ſanctimoniam, quàm præſtant, quod genus ſunt, dies feſti, ſabbatiſmi, ieiunia, ſacrificia. Et ſunt quæ ſemper præſtanda ſint, quæ ſuapte natura bona ſunt, non quia iuſſa. Iudæos autẽ auerſatur deus, non quod obſeruarent legis ritus, ſed quod his ſtulte tumidi, negligerent ea, quæ deus maxime uult præſtari à nobis: ac madentes auaritia, ſuperbia, rapinis, odio, liuore, cæteriſq; uitijs, exiſtimabant deũ ipſis multum debere, quod diebus feſtis uerſarentur in templo, quod immolarent uictimas, quod abſtinerent à cibis uetitis, quod illi nonnunquam ieiunarent. Vmbras amplectebantur, rem negligebant. Quod autem ait, miſericordiam uolo, & non ſacrificiũ; opinor ex idiomate ſermonis

Digitized by Google

sermonis Hebræi dictum pro eo quod erat, misericordiã uolo potius quàm sacrificium, quemadmodum, uelut interpretatur Solomon, quum ait: Facere misericordiam & iudicium, magis placent domino, quàm uictimæ. Porrò omne officium, quod impenditur subleuãdo proximo, scriptura misericordiam uocat, & eleemosynam, quæ & ipsa nomen duxit à miserendo. Victimas appellari puto, quicquid pertinet ad cæremonias corporales, & aliquid habet affine cum Iudaismo. Quod genus sunt delectus ciborum, uestitus præscriptus, ieiunium, sacrificium, preces ueluti pensum absolutæ, quies diei festi. Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita deo fiunt ingrata, si quis obseruationibus huiusmodi confisus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimoniæ etiam colloquia uitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est quiescere diebus festis, sed impium sit ob religionem diei sinere fratrẽ perire. Itaque seruare diem dominicum, uictima est, ut ita loquar: reconciliari fratri, misericordia est. Porrò iudicium, quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter ui opprimunt imbecilles, tamen mihi uidetur non absurdum, si respondeat illi, quod est apud Osee: & scientiam dei plus quàm holocausta. Non seruat legem, qui non seruat iuxta mentem dei, Iudæi subleuabant asinum in foueam collapsum sabbatis, & Christum caluniabantur, qui seruaret totum hominem in sabbato. Hic erat præposterum iudicium, & aberat scientia dei,

Misericordia & Eleemosyna qd.

Victimæ.

Ob religionem dici. Religio, proprie est eorum quæ reuerentur, ueluti sepulchrorũ, cui proxima est superstitio. Religio enim impudica superstitio est. Alludit ad locũ Pauli Coloss. 2.

Digitized by Google

neſciebant enim, quod iſta propter hominẽ eſſent inſtituta, non homo propter illa. Sed hæc impudenter dicere uiderer, niſi ueſtro iuſſu dicerẽ. Malim ex alijs rectiora diſcere. EVS. *Iſta mihi uidentur adeo dicta impudenter, ut exiſtimen dominum Ieſum loqui per organum oris tui: Sed interim dum largiter paſcimus animos noſtros, ne negligãtur collegæ.* THEO. *Qui nã?* EVS. *Corpora noſtra, nonne collegæ ſunt animorum?* THEO. *Hoc enim malim quàm inſtrumẽta, uel domicilia, uel ſepulchra.* THEO. *Hoc nimirũ eſt affatim refici, ubi totus homo reficitur.* EVS. *Video uos ſegniter attingere. Quare ſi uidetur iubebo proferri aſſa, ne pro lauto cõuiuio, longũ præbeã. Videtis huius prandioli ſummam. Armus eſt ouillus, ſed exquiſitus, caput, & perdices quatuor. Has ſolas à mercatu ſumpſi, reliqua ſuppeditat hoc prædiolum.* TI. *Epicureũ prandiũ uideo, ne dicam Sybariticũ.* EV. *Imò uix Carneliticũ. Sed quale quale eſt, boni conſuletis. Animus certe purus eſt, ſi parũ lautum eſt conuiuiũ.* TIM. *Adeo nõ eſt muta tua domus, ut non ſolũ parietes, ſed & cyathus loquatur aliquid.* EVS. *Quid tibi loquitur?* TIMO. *Nemo, niſi à ſeipſo, læditur.* EVS. *Cyathus patrocinatur uino. Nam uulgus febrim, aut capitis grauedinem è potu contractam, imputare ſolet uino, cum ipſi ſibi malum accerſerint immodice bibendo.* SOPH. *Meus Græce loquitur:* ςὺ οἴνῳ ἀλήθεια. EVS. *Admonet non eſſe tutum ſacerdotibus, aut regum famulis indulgere uino, quod uinum ferè trãsferat in linguam, quicquid latebat in corde.* SOPH. *Apud Aegyptios olim nefas erat ſacerdotibus*

Corpora collegæ animorum.

Lege in Chiliadibus prouerb. Sybaritica mẽſa.

Id eſt, In uino ueritas, Vide Chili.

Digitized by Google

cerdotibus bibere uinum, quum nondũ illis mortales ſua committerent arcana. EVS. Nunc licet quidem omnibus bibere uinum, an expediat neſcio. Euldi, quid libelli profers è crumena? per quam elegans uidetur, nam foris etiam totus aureus eſt. EVL. Sed idẽ intus plus quàm gemmeus eſt. Sunt epiſtolæ Paulinæ, quas ut unicas delicias meas ſemper mecũ circumfero, quas ideo profero, quod ex occaſione ſermonis tui uenit in mentem locus quidã, qui me nuper diu torſit, nec adhuc ſatis ſibi facit animus. Is eſt in epiſtolæ prioris ad Corinthios capite ſexto, Omnia mihi licent, ſed nõ omnia expediũt, Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem. Primum ſi Stoicis credimus, nihil eſt utile, quod non idẽ honeſtum. Quomodo igitur Paulus diſtinguit id quod licet, ab eo quod expedit? Certe ſcortari aut inebriari nõ licet, quomodo igitur licent omnia? Quod ſi Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium uult eſſe licentiam, non poſſum ſatis ex ipſo loci tenore diuinare, quodnam ſit illud genus. Ex ijs, quæ mox huic loco ſubijciuntur, conijcere licet, eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abſtinebant ab idolothytis, quidã à cibis per Moſen interdictis. Et de idolothytis agit cap. 8. Rurſus ca. 10. uelut explicans huius loci ſententiã, ait: Omnia mihi licẽt, ſed nõ omnia expediũt, oĩa mihi licẽt ſed non oĩa ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Omne quod in macello uenit, mãducate. Hoc quod hic ſubijcit Paulus, cõgruere uidetur cum eo, quod ſupra dixerat: Eſca uentri, & uẽter eſcis, & hunc & has deſtruet deus. Quod autẽ reſpexit hic etiam ad

Omnia mihi licent &c. D. Pauli locus.

Digitized by Google

Iudaicum ciborum delectũ, indicat clausula decimi capitis. Sine offensione estote Iudæis & gẽtibus & ecclesiæ dei: sicut & ego per oĩa oĩbus placeo, nõ quærẽs quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant. Nam quod ait gẽtibus, pertinere uidetur ad idolothytum: quod ait Iudæis, referri uidetur ad delectũ ciborũ: quod ait ecclesiæ dei, pertinet ad infirmos, ex utraq; gẽte collectos. Licet igitur uesci quibuslibet cibis, & oĩa mũda mũdis, sed incidit casus, ut nõ expediat. Quod oĩa licẽt, libertatis est euãgelicæ, sed charitas ubique spectat, quid cõducat ad salutẽ proximi, eóq; frequẽter abstinet & à licitis, malẽs obsecundare cõmodo proximi, quàm sua uti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepit scrupulus, primũ quod in sermonis cõtextu nihil præcedat aut sequatur, quod cũ hoc sensu cohereat. Nã obiurgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod scortationibus, adulterijs, atq; etiã incestis impuri, quod litigarẽt apud iudices impios. Cũ his qui coheret: oĩa mihi licẽt, sed nõ oĩa expediũt? Et in his, quæ sequũtur, redit ad causam impudicitiæ, quã repetierat & ante, intermisso negocio litiũ. Corpus autẽ, inquit, nõ fornicationi, sed domino, & dominus corpori. Verum hũc quoque scrupulum possum utcunque discutere, quod paulo superius in catalogo uitiorum meminisset & idololatriæ: Nolite errare neque fornicarij, neq; idolis seruiẽtes, neq; adulteri. Porrò esus idolothytorũ uergebat ad speciem idololatriæ. Et ideo mox subdit. Esca uentri, & uenter escis: significans propter necessitate corporis, pro tempore licere uesci quibuslibet, nisi aliud suaserit charitas proximi, sed impudicitiã

semper

semper & ubiq; detestandã esse. Quod uescimur necessitatis est, quæ tolletur in resurrectiõe mortuorũ. Quod libidinamur maliciæ est. Sed alterũ scrupulum non queo dissoluere, quomodo ad hæc quadret illud: Sed ego sub nullius redigar potestatem. Aut enim sibi potestatẽ oĩm, se tamen in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in potestate aliena, qui ne offendat, abstinet, idem cap. 9. de se prædicat: Cum liber essem ab omnibus, omnium me seruum feci, ut omnes lucrifacerem. Hoc opinor, offensus scrupulo sanctus Ambrosius, putat hunc esse germanum apostoli sensum, ut uiam præstruat illi, quod agit cap. nono, sibi quoq; potestatem esse faciendi, quod cæteri faciebant, uel apostoli, uel pseudapostoli, sumẽdi uictum ab his, quibus prædicabat Euãgelium. Sed ab hoc, tametsi licebat, tẽperabat, quod sic expediret Corinthijs, quos de tã multis et insignibus uitijs obiurgabat. Porrò quisquis accipit, fit quodam modo obnoxius ei, à quo accipit, & aliquid decedit de uigore autoritatis. Siquidem qui accipit, minus libere obiurgat: & qui dedit, non perinde fert obiugari, ab eo cui benefacit. In hoc igitur Paulus abstinuit ab ijs quæ licebãt, ut consuleret apostolicæ libertati, quã in hoc uolebat nulli esse obnoxiam, ut liberius ac maiore cum autoritate reprehẽderet illorũ uitia. Mihi sanè non displicet Ambrosiana sentẽtia. Attamẽ si quis mallet hunc locum ad cibos accõmodare, mea sentẽtia, quod ait Paulus, sed ego sub nullius adigar potestatẽ, sic accipi posset: tametsi nonnunquam abstineã à cibis immolaticijs, aut lege Mosaica uetitis, ut consulã saluti proximi, ac profectui euãgelico,

lico, tamen animus meus liber est, qui scit sibi licere uesci cibis quibuslibet pro necessitate corpusculi. At pseudapostoli conabantur hoc persuadere, quosdã cibos per se impuros esse, nec abstinendum per occasionẽ, sed sem per ab his temperarnũ, tãquàm natura malis, nec aliter quã abstinemus ab homicidio, & adulterio. Hoc quibus erat persuasum, redacti erãt sub alienã potestatẽ, & ex ciderant ab euangelica libertate. Solus, quod quidẽ meminerim, Theophylactus, sententiã inducit ab his omnibus diuersam. Licet uesci quibuslibet cibis, sed nõ expedit immodice. Nã ex luxu nascitur impudicitia. Hic sensus, quãquàm impius nõ est, tamẽ mihi nõ uidetur huius loci germanus esse. Ostendi quæ me torqueant, uestræ charitatis erit, me ex his scrupulis eximere. EVS. Næ tu probe tuo respondens nomini. Qui sic nouit proponere quæstiones, non opus habet alio, qui diſsoluat. Sic enim proposuisti dubitationem tuam, ut ego dubitare desierim. Tametsi Paulus in ea epistola, quoniã multa simul decreuit agere, sæpe ab uno argumẽto in aliud deuoluitur, & rursum quod intermiserat, repetit. CHR. Nisi uererer, ne uos mea loquacitate auocem à capiẽdo cibo, & si crederẽ fas esse, tam sacris colloquijs admiscere quicquam ex profanis autoribus, proponerẽ & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torsit, sed unice delectauit. EVSEBI. Imò profanum dici non debet, quicquid pium est, & ad bonos mores conducẽs. Sacris quidem literis ubique prima debetur autoritas, sed tamẽ ego nonnũquam offendo quædam uel dicta à ueteribus, uel scripta ab ethnicis, etiam poëtis, tã caste, tam sancte,

tum

tam diuinitus, ut mihi non poßim perſuadere, quin pectus illorum, cum illa ſcriberent, numen aliquod bonum agitauerit. Et Fortaſſe latius ſe fundit ſpiritus Chriſti, quàm nos interpretamur. Et multi ſunt in cõſortio ſanctorum, qui non ſunt apud nos in catalogo. Fateor affectum meum apud amicos, non poſſum legere librum Ciceronis de ſenectute, de amicitia, de officijs, de Tuſculanis quæſtionibus, quin aliquoties exoſculer codicẽ, ac uenerer ſanctũ illud pectus, afflatum cœleſti numine. Contra quũ hos quoſdã recentiores lego, de republica, œconomica, aut ethica præcipiẽtes, deũ immortalẽ, quàm frigent præ illis, imò quàm non uidentur ſentire, quod ſcribũt, ut ego citius patiar perire totum Scotũ cũ aliquot ſui ſimilibus, quàm libros unius Ciceronis, aut Plutarchi, nõ quod illos in totũ dãnem, ſed quod ex his ſentiã me reddi meliorẽ, quũ ex illorũ lectiõe ſurgã, neſcio quomodo frigidius affectus erga uerã uirtutẽ, ſed iritatior ad cõtentionẽ. Quare ne uerere, quicquid iſthuc eſt proponere. CH. Cũ plerisq; libri M. Tullij, quos ſcripſit de philoſophia, diuinitatis quiddã ſpirare uidẽtur, tum ille quẽ ſenex ſcripſit de ſenectute, planè mihi uidetur κύκνειον ἆσμα, quẽ admodũ Græcis eſt in prouerbio. Eũ hodie relegi, atq; hæc uerba, quoniã præ cæteris arridebãt, edidici. Quod ſi quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcerẽ, & in cunis uagiã, ualde recuſem: nec uero uelim, quaſi decurſo ſpatio, à calce ad carceres reuocari. Quid enim habet hæc uita cõmodi, quid nõ potius laboris? Sed nõ habeat ſanè, habet certe tamẽ aut ſatietatẽ, aut moleſtiã. Nõ libet enim deplorare uitam,

Id eſt. Cygnea cantio. Vide Chiliades.

Ad carceres. i. adinitiũ. Carcer enim dicitur unde equi dimittuntur ad curſum.

Digitized by Google

tã, qđ multi, et hi docti, sæpe fecerũt. Nec me uixisse pœnitet, quoniã ita uixi, ut frustra me natũ nõ existimẽ. Et ex uita ista discedo, tãquã ex hospitio, nõ tãquã è domo. Cõmorãdi enim natura diuersoriũ nobis, nõ habitãdi dedit. O preclarum illum diẽ, quũ ad illud animorũ concilium, cœtumq; proficiscar, & quũ ex hac turba & colluuione discedã. Hactenus Cato. Quid ab homine Christiano dici potuit sanctius? Vtinã talia essent colloquia Monachorũ oĩa uel cum sacris uirginibus, quale fuit illud ethnici senis colloquium cũ ethnicis adolescentibus. EVIam aliquis causabitur colloquium esse cõfictum à Cicerone. CHR. Isthuc mea nõ magni refert, siue hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit, dixeritq;: siue Ciceroni, cuius animus sententias tã diuinas cogitatione cõplexus sit, cuius calamus res egregias pari facũdia depinxerit. Quãquam equidẽ arbitror et Catonem, etiãsi nõ dixit eadẽ, tamen similia dicere solitũ in colloquijs. Nec enim tã impudens erat M. Tullius, ut alium Cato nẽ finxerit, quàm fuerit, & in dialogo parũ meminerit decori, quod in primis spectãdum est in hoc scripti genere, præsertim quũ eius uiri memoria recens adhuc hæreret animis eius ætatis hominum. THEOPH. Vehemẽter probabile est, quod narras. Sed dicã, quid mihi uenerit in mentẽ, te recitante. Sæpenumero mecũ admiratus sum, cum oẽs optent longeuitatẽ, & mortẽ exhorreãt, tamen uix quenquam comperi tam fœlicem, non dico senem, sed prouectioris ætatis hominẽ, quin rogatus, an sidetur, uelit repuerascere, usurus per omnia ijsdem bonis ac malis, quæ illi tã contigissent in uita, responderit idẽ

quod

Digitized by Google

quod Cato dicit, præsertim si recolat animo, quicquid annis retroactis seu triste, seu lætum obtigisset. Nã frequenter & suauium rerum recordatio, uel cum pudore, uel cum conscientiæ molestia coniuncta est, ut animus ab his etiã recolendis non minus abhorreat, quàm à tristibus. Id opinor nobis indicarunt sapientissimi poëtæ, qui scribunt, tum demum animas capi desiderio corporum relictorum, postea quã ex amne Lethæo longa biberint obliuia. VRAN. Est isthuc profecto dignũ admiratione, & mihi quoq; compertum in nonnullis. Verum illud quàm mihi blandiebatur: Nec me uixisse pœnitet. At quotusquisq; Christianorum sic moderatur uitã suam, ut huius senis uocem sibi possit usurpare? Vulgus hominum existimat se non frustra uixisse, si per fas, nefasq; congestas diuitias relinquant morientes. At Cato ideo non putat se frustra natum, quod integrum & sanctum ciuem præstiterit reipu. quod incorruptum magistratum, quod posteritati quoq; uirtutis & industriæ suæ monumenta reliquerit. Iam illo quid dici potuit diuinius? Discedo tanquàm ex hospitio, nõ tanquã è domo. Hospitio tantisper uti licet, donec hospes iubeat exire. E domo sua nullus facile pellitur. Et tamẽ hinc quoq; sæpenumero propellit uel ruina, uel incẽdium, uel alius casus quispiam. Vt horum nihil accidat, tamen senio collabens ædificium admonet esse demigrãdum. NEPHA. Non minus elegans est, quod apud Platonem loquitur Socrates, animam humanam in hoc corpore uelut in præsidio positam esse, unde fas non sit decedere iniussu imperatoris, nec diutius in eo commorari, quàm uisum sit ei,

ei, qui collocauit. Illud significatius est in Platone, quod pro domo dixerit præsidium, Siquidem in domo tantum commoramur, in præsidio destinati sumus functioni, quam nobis delegauit imperator noster, non abludens à nostris literis, quæ uitam hominis nunc militiam, nunc certamẽ esse dicunt. VRAN. At mihi quidem oratio Catonis pulchre cõgruere uidetur cũ oratiõe Pauli, qui scribẽs Corinthijs, cœlestẽ mãsionẽ, quã expectamus post hãc uitam οἰκίαν uocat, & οἰκητήριον, hoc est, domũ, siue domicilium. Cæterum hoc corpusculum appellat tabernaculum, Græce σκῆνος. Nam & qui sumus, inquit, in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati. NEPHA. Nec abludit à sermone Petri. Iustum autem, inquit, arbitror, quàm diu sum in hoc tabernaculo, suscitare uos in commonitione, certus, quod uelox est depositio tabernaculi mei. Quid autem aliud clamat nobis Christus, quàm ut sic uiuamus ac uigilemus, tanquam ilico morituri: sic incumbamus honestis rebus, tanquam semper uicturi? Iam illud cum audimus: O præclarum diem: nonne uidemur audire Paulum ipsum loquentem: Cupio dissolui, & esse cũ Christo? CHR. Quàm felices sunt, qui tali animo mortem expectant. Sed in oratione Catonis, quanquam præclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, ut ab arrogantia profectam, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquã legisse uideor apud ethnicos, quod aptius quadret in hominẽ uere Christianũ, quàm quod Socrates paulo post bibituru cicutã, dixit Critoni: An opera, inquit, nostra sit probaturus deus, nescio. Certe sedulo co-

Socratis dictum.

nati

nati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamẽ bona spes, quod ille conatus nostros sit boni cõsulturus. Vir ille sic diffidit factis suis, ut tamẽ ob animi propensam uoluntatẽ obtemperandi uoluntati diuinæ, bonam spem conceperit fore, ut deus pro sua bonitate boni cõsulturus esset, quod studuisset bene uiuere. NEP. Profecto mirãdus animus in eo, qui Christũ ac sacras literas nõ nouerat. Proinde cum huiusmodi quædam lego de talibus uiris, uix mihi tẽpero, quin dicam: Sancte Socrates ora pro nobis. CH. At ipse mihi sæpenumero nõ tempero, quin bene omnem sanctæ animæ Maronis & Flacci. NEP. At ego quot uidi Christianos quàm frigide morientes? Quidã fidunt his rebus, quibus non est fidendũ: quidam ob cõscientiã scelerum & scrupulos, quibus indocti quidã obstrepunt morituro, penè desperãtes exhalant animam. CH. Nec mirum eos sic mori, qui per omnem uitam philosophati sunt in ceremonijs. NEP. Quid isthuc uerbi est? CH. Dicã, sed illud etiam atq; etiã præfatus, me non dãnare, imò uehemẽter probare sacramẽta & ritus ecclesiæ, sed quosdã uel improbos, uel superstitiosos, uel ut mollissime dicam, simplices, & indoctos, qui docent populum hisce rebus fidere, prætermissis his, quæ nos uere reddũt Christianos. NEP. Nondum satis intelligo, quorsum eas. CH. Faxo ut intelligas. Si uulgus Christianorum species, nonne prora & puppis uitæ illis in ceremonijs est? In Baptismo quãta religione repræsentãtur prisci ritus ecclesiæ? Cõmoratur infans extra fores tẽpli, peragitur exorcismus, peragitur catechismus, suscipiũtur uota, abiurãtur sathanas cum pompis & uoluptatibus suis. Tãdem

k ungitur,

ungitur, consignatur, salitur, tingitur. Datur negociũ susceptoribus, ut puerũ curent instituẽdum. Illi dato nummo redimunt libertatẽ. Et iam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus ungitur, tandem discit confiteri, sumit Eucharistiã, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrũ, ieiunare nõnunquam, abstinere à carnibus. Et hæc si seruat, habetur absolute Christianus. Ducit uxorẽ, accedit aliud sacramentũ, initiatur sacris, rursus ungitur, & cõsecratur, mutatur uestis, dicuntur preces. Atq; hæc quidẽ omnia quod fiunt, probo: sed quod hæc fiũt magis ex cõsuetudine quàm ex animo, nõ probo. Quod nihil aliud adhibetur ad Christianismũ, uehementer improbo. Siquidẽ magna pars hominũ, dum his fidit, nihilo secius interim per fas nefasq; cõgerit opes, seruit iræ, seruit libidini, seruit liuori, seruit ambitioni. Sic tandẽ uenitur ad mortẽ. Hic rursus ceremoniæ paratæ. Adhibetur confessio semel atq; iterũ, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerei sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibẽtur indulgentiæ, expromitur aut illic etiã emitur moriẽti diploma Põtificis, ordinãtur parẽtalia magnifice celebranda, fit rursus stipulatio solennis. Adest qui clamet ad aurẽ moriẽtis, imò nõnunquam occidit ante tẽpus, si cõtingat (ut sæpe fit) uocalior, aut bene potus. Hæc ut recte adhibentur præsertim quæ nobis tradidit ecclesiastica cõsuetudo, ita sunt alia quædã recõditiora, quæ nobis hoc præstant ut cum alacritate spiritus, ut cum Christiana fiducia migremus hinc. E V. Pietu quidẽ ista uereq; cõcionaris, sed interim nullus admouet manũ cibis. Caueat quisq; ne se fallat. Ego prædixi,

nihil

nihil expectãdũ præter secũdas mẽsas, easq; rusticanas, ne quis sibi promittat Phasides aues, aut attagenas, aut attica bellaria. Hæc amoueto puer, & quod restat appo nito. Videtis nõ copiæ, sed inopiæ nostræ cornu. Hic est prouẽtus hortulorũ, quos uidistis. Ne parcite, si quid ar ridet. T I M. Tãta uarietas est, ut uel ipso recreemur aspectu. E V. Atqui ne planè cõtẽnatis frugalitatẽ meã, hæc patina exhilarasset Hilarionẽ monachũ euãgelicũ, comitatũ uel centũ monachis illius seculi. Paulo uerò atq; Antonio, uel mẽstruus cõmeatus esse potuisset. T I M. Imò nec Petrus ille princeps Apostolorũ fastidisset opi nor, quum apud Simonẽ coriariũ diuersaretur. E V S. Imò nec Paulus opinor, cum coactus egestate sutoriã no cturnis horis exerceret. T I M. Debemus benignitati di uinæ. Sed ego malim esurire cum Petro ac Paulo, modo quod deesset corporis alimoniæ, abũdaret in delicias ani mi. E V. Imò discamus à Paulo & abũdare, & penuriã pati. Quũ deerit, gratias agamus Iesu Christo, qui nobis suppeditet & frugalitatis & patiẽtiæ materiã. Quũ su pererit, gratias agamus illius munificentiæ, qui nos sua liberalitate inuitet ac prouocet ad amorẽ sui, ac modice parceq; fruẽtes ijs, quæ largiter præbuit diuina benigni tas, pauperũ memores simus, quibus deus deesse uoluit, quod nobis supereſt, ut utrisq; per alteros sit occasio uir tutis. Siquidem nobis largitur, unde subueniẽtes ægestati fraternæ, misericordiã ipsius promereamur, & illi no= stra liberalitate recreati, gratias agũt deo pro bona mẽ te nostra, nosq; precibus suis illi commendant. Et recte uenit in mẽtem. Heus puer, dic uxori, ut ex aßis quæ su

Digitized by Google

perant, mittat Gudulæ nostræ. Est ucina quædam grauida tenui fortuna, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo profusus & ignauus, qui nihil uxori reliquit, præter liberorũ gregẽ. TIM. Christus iussit dare omni petẽti, id si facerẽ, intra mensẽm ipsi mihi mẽdicandum esset EVS. Opinor Christũ sentire de his, qui petant necessaria. Nam qui petunt, imò qui flagitant uel extorquẽt potius magnas summas, quibus extruãt cœnationes Lucullianas, aut quod peius est, quibus alãt luxũ ac libidinẽ suam, ijs negare quod petũt, eleemosyna est: imò rapina est, largiri male usuris, quod debebatur præsenti necessitati proximi. Vnde mihi uidẽtur uix excusari posse à peccato capitali, qui sumptibus immodicis aut extruũt, aut ornãt monasteria seu tẽpla, quũ interim tot uiua Christi tẽpla fame periclitẽtur, nuditate horreant, rerumq; necessariarũ inopia discruciẽtur. Quum essem apud Britannos, uidi tumbã diui Thomæ gẽmis innumeris summiq; precij onustam, præter alia miracula diuitiarũ. Ego malim ista, quæ superflua sunt elargiri in usus pauperũ, quàm seruare Satrapis aliquando semel omnia direpturis, ac tumbã ornare frõdibus ac floscul is, id opinor gratius esset illi sanctissimo uiro. Quum essem apud Insubres uidi monasteriũ quoddã ordinis Cartusiani nõ ita procul à Papia. In eo tẽplũ est intus ac foris, ab imo usq; ad summũ candido marmore constructum, & ferè quicquid inest rerum, marmoreum est, uelut altaria, columnæ, tũbæ. Quorsum autẽ attinebat tantũ pecuniarũ effundere, ut pauci monachi solitarij canerẽt in templo marmoreo, quibus ipsis templũ hoc oneri est non usui, quod

Cœnatio locus est ubi cœnat. Luculli Romani magnificẽtia multorum literis celebrati.

tumba

Papia

Digitized by Google

quod frequẽter infestẽtur ab hospitibus, qui nõ ob aliud eò se cõferunt, nisi ut spectent templum illud marmoreũ. Atq; illic cognoui, quod stultius etiam est, illis legata in singulos annos tria milia ducatorum in structurã monasterij. Et sunt qui putent esse nefas eam pecuniã in pios usus auertere, præter mentẽ testatoris. Maluntq; demoliri, quod instaurent, quàm non ædificare. Hæc quoniam insignia sunt, usum est cõmemorare, quãquam sunt passim in tẽplis nostris exempla permulta similia. Hæc mihi uidetur ambitio, nõ eleemosyna. Diuites ambiũt sibi monumentũ in templis, in quibus olim nec diuis locus erat. Curant se sculpendos ac pingendos additis etiã nominibus, ac beneficij titulo. Atq; hisce rebus bonã templi partem occupant, olim opinor postulaturi, ut ipsorũ cadauera in ipsis reponãtur altaribus. Dicet aliquis: An horũ munificentiã existimas reijciendam? Nequaquam, si templo dei dignum sit, quod offerunt. Sed egò si sacerdos aut episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negociatores, ut si uellẽt sua peccata redimere apud deũ, ista clanculum effunderent in sul fidiũ eorum, qui uere pauperes sunt. Isti putãt perire pecuniã, quæ sic frustulatim & clãculum in præsentẽ egestatẽ tenuiũ subleuandam dissipatur, cuius nullũ extet apud posteros monumẽtum. Ego puto nullã melius collocari ea, quam ipse Christus sibi uult imputari, certissimus debitor. TIM. An nõ putas recte collocari, quod datur monasterijs? EV. Et his darem nõnihil, si diues essem, sed darẽ ad necessitatẽ, nõ ad luxum, tum his, inter quos sentirẽ uigere studiũ ueræ religionis. TIM. Multi iudicãt nõ admodũ belle

collocari, quod datur istis medicis publicis. E V. Et istis nonihil dandum est aliquando, sed cum delectu. At mihi consultum uideatur, si singulæ ciuitates suos alerent, nec ferrẽtur errones huc & illuc circumcursitantes, præsertim ualidi, quibus opus suppeditãdũ sentio potius, quàm pecuniam. T I M. Quibus igitur potißimum dandum censes, quãtum & quatenus? E V. Hoc mihi ad unguẽ describere difficillimum sit. Primum animũ adesse oportet, qui cupiat omnibus subuenire. Deinde pro mea tenuitate quod poßum impartio, quoties sese offert occasio, præsertim his, quorum & paupertas & integritas mihi nota est. Hortor & alios ad beneficẽtiã, si me defecerint facultates. T I. Sed permuttis ne nobis hic in tuo regno libere loqui? E V. Imò liberius, quàm si domi uestræ sitis. T I. Nõ probas in tẽplis sumptus immodicos. Et has ædes multo minoris ædificare poteras. E V. Equidem arbitror has intra mundicie cõsistere, aut si mauis elegãtiã, certe absunt à luxu, ni fallor. Aedificãt magnifi cẽtius, q̃ mẽdicato uiuũt. Et tamẽ hi ipsi horti mei, quales quales sunt, uectigal pẽdũt egenis. Et quotidie sumptibus aliq̃d detraho, in me meosq̃ frugalior, quo poßim esse in pauperes munificẽtior. T I. Si istũ animũ obtinerẽt omnes, permulti melius haberẽt, quos nũc egestas grauat indignos, & ex aduerso multi minus essent obesi, digni quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam. E V. Fortasse sic res habet, sed uultis ne, ut hæc insipida bellaria re quapiã suaui cõdiamus? T I. Plus satis est deliciarũ. E V. At ego hinc depromã, quod ne saturi quidem fastidiatis. T I. Quid est? E V S. Codex est euangeliorum,

Digitized by Google

geliorum, ut quod lautißimũ habeo, uobis depromam in fine conuiuij. Recita puer, ab eo loco, ubi proxime deſtitiſti. P V. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim unum odio habebit, & alterũ diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum cõtemnet. Non poteſtis deo ſeruire & mammonæ. Ideo dico uobis, ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm ueſtimentũ? E V. Redde codicẽ. In hoc loco mihi Ieſus Chriſtus uidetur bis idem dixiſſe. Etenim ſi pro eo quod prius dixit, odio habebit, mox ponit contemnet, & pro eo quod prius poſuerat, diliget, mox uertit ſuſtinebit: cõmutatis perſonis, exiſtit eadẽ ſentẽtia. T I M. Nõ ſatis aſſequor quid uelis. E V. Demõſtremus igitur ratione mathematica, ſi uidetur. In priore parte pro uno pone A, pro altero B, rurſus in poſteriore pro uno pone B, pro altero A, uerſo ordine. Aut enim A odio habebit, & B diliget: aut B ſuſtinebit, & A cõtẽnet. Nonne hic palàm eſt, A bis odio haberi, & B bis diligi? TIM. Perſpicuum eſt. E V. Atqui hæc cõiunctio, aut, præſertim repetita, habet emphaſim ſentẽtiæ cõtrariæ, aut certe diuerſæ. Alioqui nonne abſurde diceretur? Aut Petrus me uincet, & ego cedam, aut ego cedam, & Petrus me uincet? T I M. Lepidum, ita me deus amet, ſophiſma. E V S. At tum demũ mihi uidebitur lepidum, ſi hoc ex uobis didicero. T I M. Animus ſomniat ac parturit mihi neſcio quid, ſi iubetis, quicquid eſt, proferam in medium. E V. Eritis uel oniropoli, uel obſtetrices. E V. Quam quam uulgo mali ominis habetur ſomniorum meminiſſe

Locus euangelij.

Oniropoli, dicuntur cõiectores ſeu ſomniorũ interpretes.

Digitized by Google

in conuiuio, & parum sit uerecundum, coram tot uiris fœtum eniti, tamen nos istud somnium, siue mauis partum animi tui libenter excipiemus. TIM. Mihi uidetur in hoc sermone res commutari potius quàm persona. Et hanc uocem unum & unum non referri ad A & B, sed utraq; pars refertur ad utrumlibet, ut utrũcunq; delegeris, ei iam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas: Aut excludes A, & admittes B: aut A admittes, & excludes B. Hic uidetis manente persona, rem esse translatam. Atq; hoc ita dictum est de A, ut nihil referat, si idem enuncies de B, hoc pacto: aut B excludes & admittes A: aut admittes B, & excludes A. EVS. Sanè argute tu quidẽ problema nobis explicuisti, neq; quisquam mathematicus melius depinxisset in puluere. SO. Illud me magis mouet, quod hic prohibet esse solicitos de crastino, quũ Paulus ipse laborarit manibus uictus parãdi causa, atq; idẽ acriter increpet ociosos & ex alieno uiuere gaudentes: admonens, ut laborent, ac manibus operentur, quod bonum est, ut sit unde tribuãt aliquid necessitatem patienti. An non pij sanctiq; labores sunt, quibus maritus tenuis alit uxorem sibi charissimam, dulcesq; liberos? TIM. Ista quæstio mea sententia, uarijs modis dissolui potest. Primum, ut ad illa tempora potissimũ pertineat. Apostolis ob Euangelij prædicationem late uagantibus, eximenda erat solicitudo uictus undecunq; suppeditandi, quibus non uacabat opera manuaria cibũ quærere, præsertim cum nullam artẽ scirent, præter piscationem. Nunc alia ratio temporũ est, & ocium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera dissoluendi

Solicitos nos esse de crasti no non debere.

dissoluendi ratio est. Christus non interdixit industriã, sed solicitudinẽ. Et solicitudinem intelligit iuxta uulgarem hominum affectũ, qui nulla de re magis anxij sunt, quàm de parando uictu, ut omnibus rebus omissis, hoc solum agant, huic uni curæ sint addicti. Id propemodum indicat ipse dominus, cũ negat eundem duobus dominis seruire posse. Seruit enim, qui toto pectore addictus est. Præcipuã igitur curam uult esse Euangelij propagãdi, non solam. Ait enim: Primũ quærite regnũ dei, & hæc adijcientur uobis. Nõ dicit solum quærite, sed, primum quærite. Cæterũ in uoce crastini puto hyperbolen esse, quum significet in longinquũ, qui mos est auaris huius mundi, ut posteris etiã anxie parent & quærãt. EVS. Accipimus tuã interpretationẽ: Sed quid sibi uult, quod ait: Ne soliciti sitis animæ uestræ, quid edatis? Corpus ueste tegitur. At nõ edit anima. TIM. Animam, ut opinor, hic uitam appellat. Ea periclitatur, si cibum subduxeris. Nõ itẽ, si uestem detraxeris, quæ magis datur pudori, quàm necessitati. Et si quẽ affligit nuditas, non statim occidit. At inedia certissima mors est. EVL. Nõ satis uideo, quomodo cohæreat cum hac sententia, quod adiecit: Nonne anima plus est, quàm esca? & corpus plus quàm uestimentũ? Nam si uita magni precij est, tãto magis adungilandũ, ne pereat. Hoc argumentũ nõ admit nobis solicitudinem, sed auget. EVS. At nõ hoc sensit Christus, quod interpretaris, sed hoc argumẽto nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus, gratis & de suo dedit id quod carius est, etiã adijciet id quod uilius est. Qui dedit animã, nõ negabit alimoniam: Qui dedit

Anima quid.

corpus, adijciet alicunde ueſtem. Illius igitur benignitate freti, nõ eſt quod diſcruciemur ſolicitudine curaq; rerum infimarum. Quid igitur ſupereſt, niſi ut utẽtes hoc mundo, tanquam nõ utamur, totam curam ac ſtudiũ noſtrum transferamus in amorem rerum cœleſtium, atq; reiecto mammona, imò toto ſatana cũ omnibus ſuis præſtigijs, uni domino toto ex alacri pectore ſeruiamus, q non deſtituet filios ſuos. Sed interim nullus attingit bellaria. His certe cum gaudio ueſci licet, quæ non magna cura nobis domi proueniunt. TIM. Abunde ſatis factũ eſt corpuſculo. EVS. Vellem quidem & animo. TIM. Atq; uberius etiam animo. EVS. Hæc igitur tolle puer, ac labrum appone. Lauemus amici, ut ſi quid fortè commiſſum eſt in hoc conuiuio, purgati canamus hymnum deo. Perficiam, ſi uidetur, quod cœperam ex Chryſoſtomo. TI. Rogamus. EV. Gloria tibi domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi rex, quoniã dediſti nobis eſcas, imple nos gaudio & lætitia in ſpiritu ſancto, ut inueniamur in conſpectu tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes unicuiq; ſecundũ opera ſua. PV. Amen. TI. Profecto pius & elegans eſt hymnus. EV. Hũc diuus Chryſoſtomus nõ dedignatur etiã interpretari. TI. Quonã loco? EV. In Matthæũ homilia 56. TI. Non omittam, quin hodie legam. Sed illud unum interim ex te cupio diſcere: Cur ter optamus Chriſto gloriam, idq; triplici cognomine, domini, ſancti, & regis? EV. Quoniam illi debetur omnis gloria, ſed nobis triplici nomine potiſſimum eſt glorificãdus, quod ſuo ſacroſancto ſanguine redemerit nos à tyrannide diaboli, ſibiq; aſſeruerit, unde & do

Hymnus poſt deguſtationẽ

& dominũ illũ uocamus. Deinde quod nõ cõtentus gratis cõdonaſſe nobis omnia peccata, per ſpiritum ſuũ contulit nobis & iuſticiã ſuã, ut ſectemur ea, quæ ſunt ſanctimoniæ. Atq; ob id ſanctũ eum uocamus, quod ſit ſanctificator omniũ. Poſtremo quod ab eodẽ ſperamus præmium regni cœleſtis, ubi ille iam ſedet ad dexteram dei patris, atq; hinc nobis rex dicitur. Atq; hanc totã felicitatem illius erga nos gratuitæ bonitati debemus, qd' pro domino, uel tyranno potius diabolo, dominũ habemus Ieſum Chriſtum: pro immundicia & ſordibus peccatorum, innocentiã ac ſanctimoniã: pro gehenna, gaudia uitæ cœleſtis. TI. Pia profecto ſententia. EV. Quoniam nũc primũ uos hic accepi cõuiuio, nõ dimittã uos abſq; xenijs, ſed talibus, qualis fuit apparatus. Heus puer, profer apophoreta noſtra. Siue ſortiri placet, ſiue ſibi q̃ſq; malit deligere, minimũ refert, eiuſdẽ ferè precij ſunt omnia, hoc eſt, nullius. Nõ enim ſunt ſortes Heliogabali, ut huic obueniant equi centũ, illi totidẽ muſcæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & theca cũ calamis Memphiticis. Hæc arbitror magis cõuenire uobis, quã opobalſamũ, aut dentifriciũ, aut ſpeculũ, ſi uos noui ſatis. TI. Adeo bella ſunt omnia, ut nobis difficilis ſit electio. Ipſe magis pro tuo arbitratu diſtributo, ſic gratius etiam erit quicquid obtigerit. EV. Hic libellus in membranis habet prouerbia Solomonis, ſapientiã docet, & auro pictus eſt, qd' aurũ habeat ſapientiæ ſymbolũ. Hoc dabitur cano noſtro, ut iuxta doctrinã Euangelicam, habenti ſapientiam detur ſapientia, & exuberet. TI. Certe curabitur, ut minus egeam. EV. Sophronio congruet

Xenia, munuſcula quæ dantur hoſpitibus aut amicis.

Apophoreta, quæ dantur in fine cõuiuiorũ. auferẽda ſi cui uideatur.

horo

Digitized by Google

horologium huc ex extrema Dalmatia profectũ, ut uel sic commendem munusculum meũ. Nouã enim, quàm ille sit parcus temporis, quàm nullã omnino portionem rei pretiosissimæ sinat abire sine fructu. SOP. Imò pigrum admones diligentiæ. EVS. Hic libellus habet in mẽbranis Euangelium secundũ Matthæum, gemma tegi meretur, nisi nullũ esset illi scriniũ aut theca charior, quàm pectus hominis. Illic igitur recõdito Theophile, quo magis hoc sis, quod diceris. THE. Efficiã ne prorsus male collocasse uidearis tuum munus. EVS. Hic sunt epistolæ Pauli, quas tu libenter tecum circũfers Eulali, qui Paulum semper habere soleas in ore, nec haberes in ore, nisi esset in pectore. Post hac cõmodius erit etiam in manibus, oculisq;. EVL. Isthuc nõ est dare munus, sed dare consiliũ. Porrò bono cõsilio nullũ est munus pretiosius. EVS. Lucernula cõueniet Chrysoglotto anagnostæ insatiabili, & ut M. Tul. inquit, librorũ helluoni maximo. CHRY. Bis habeo gratiã: primum pro munere, nõ uulgariter elegãti: deinde quod somniculosum admones uigilantiæ. EVS. Theca calamaria debetur Theodidacto, Id est, qui multa scribit, qualis fuit Chrysippus, ac Didymus. felicissime πολυγράφῳ. Atq; calamos ego felicissimos esse iudico, quibus celebrabitur gloria domini nostri Iesu Christi, tali præsertim artifice. THE. Vtinam & pectus suppeditare possis, quẽ admodũ suppeditas instrumẽta. EVS. Hic codex habet aliquot Plutarchi libellos de moribus, sed selectos, & à quodã Græcæ literaturæ peritissimo nõ inscite descriptos, in quibus tantũ reperio sanctimoniæ, ut mihi prodigio simile uideatur, in pectus hominis ethnici tam Euangelicas potuisse uenire cogitationes:

Digitized by Google

tiones: Hic dabitur Vranio iuueni & φιλέλλην. Sup- pereſt horologiũ. Id cedat noſtro Nephalio, parciſſimo temporis diſpenſatori. NEP. Habemus gratiã, non ſolũ pro munuſculis, uerumetiã pro teſtimonijs. Nã iſtuc nõ tam eſt diſtribuere xenia quàm elogia. EVS. Imò ego uo bis habeo gratiã duplici nomine: Primũ quod noſtram exilitatem boni cõſulitis. Deinde quod eruditis iuxta ac piijs ſermonibus refeciſtis animũ meũ. Ego uos quomo- do acceptos dimittã neſcio. Certe ego uos relinquã me lior ac doctior. Scio uobis nõ eſſe cordi fiſtulas aut mo riones, ac multo minus aleam. Quare, ſi uidetur, falle- mus horulam ſpectandis reliquis regiæ meæ miraculis. TIM. Iſtuc eramus abs te flagitaturi. EVS. Apud bonæ fidei promiſſorẽ nõ eſt opus flagitatore. Hanc aulã æſti uam opinor uos iam ſatis cõtemplatos. Habet triplicem proſpectũ, & quoquo uerſum deflectis oculos, occurrit uiror hortorũ gratißimus. Vitreis feneſtris uolubilibus, ſi uideatur, licet excludere cœlũ, ſi nebulis aut uẽtis ſit incõmodius: licet & denſis ualuis foris admotis, ac tenui bus intus excludere ſolẽ, ſi quid offendat æſtus. Hic cũ prandeo, uideor in horto prandere, nõ in domo. Nã & parietes uirentes ſuos habẽt inſperſos floſculos, ſunt & picturæ nõ inuenuſtæ. Hic Chriſtus ſupremã cõpotatio- nẽ agitat cũ electis diſcipulis. Hic natalicia celebrat He rodes funeſto cõuiuio. Hic euangelicus ille diues epula- tur ſplendide, mox deſcẽſurus ad inferos. Lazarus repel litur à foribus, mox excipiendus ſinu Abrahæ. TI. Hoc argumentũ nõ ſatis agnoſcimus. EVS. Cleopatra eſt cũ Antonio luxu decertans. Iam unionẽ ebibit, alteri manũ admouit

Id eſt, Amatori Græcitatis.

Cleopatra. Le- ge uitam illius apud Plutar- chum, & Plinij cap. 15. lib. 9.

Digitized by Google

admouit detractura. Hic pugnant Lapithæ. Hic Alexander Magnus hasta transuerberat Clitum. Hæc exempla nos admonent sobrietatis in conuiuio, & à crapula luxuq; deterrent. Nunc adeamus bibliothecam, non illam quidem multis instructam libris, sed exquisitis. TI. Locus hic planè diuinitatẽ quandam præ se fert, adeo nitẽt omnia. EV. Hic uidete præcipuam partem opum mearũ. Nam in mensa nihil uidistis, nisi uitreum ac stanneum, nec est in tota domo uas ullum argenteũ præter unũ poculum inauratum, quod ob amorẽ eius, qui dono dedit, religiose seruo. Hæc sphæra pensilis totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus singulæ regiones susiore spatio depictæ sunt. In reliquis parietibus uidetis insignium autorũ imagines. Nam oẽs depingere fuerat instar nitum. Christus primũ habet locũ, porrecta manu sedẽs in monte. Capiti imminet pater, dicẽs: Ipsum audite. Spiritus sanctus expansis alis multa luce cõplectitur illum. TI. Opus ita me deus bene amet, Apelle dignũ. EV. Adiunctum est bibliothecæ museon quoddã angustũ, sed elegans, quod submota tabula ostendit fociliũ, si quid offenderit frigus. In æstate uidetur solidus paries. TI. Hic mihi gemmea uidentur omnia. Est & mira odoris gratia. EVS. Hoc mihi præcipue studio est, ut niteat domus, & bene oleat. Vtraq; res minimo cõstat. Habet bibliotheca suum ambulacrũ pensile spectans in hortũ, & huic adhæret sacellum. TI. Locus numine dignus. EVS. Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminẽt ijs, quæ uidistis ad hortum domesticũ spectantia. In his superioribus utroq; prospectus est, sed per fenestras, quæ possunt occludi,

Digitized by Google

cludi, præsertim in his parietibus, qui non spectant hortum interiorem, quo domus sit tutior. Hic ad læuam, quia plus est lucis, & paries raris fenestris interruptus, ordine depicta est tota uita Iesu ex narratione quatuor Euangelistarum, usq; ad missum spiritũ sanctum, & primam prædicationẽ apostolorum ex Actis. Additæ sunt & locis notæ, ut agnoscat spectator iuxta quod stagnũ, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli, paucis uerbis subnotantes totum argumentum, uelut illud, quod dicitur à Iesu: Volo, mundare. Ex aduerso respondẽt figuræ, & uaticinia ueteris testamenti, præsertim è prophetis & psalmis, qui nihil aliud habent quàm Christi uitam & apostolorũ, aliter narratam. Hic nonnunquã obambulo mecum fabulans, & animo cõtemplans illud ineffabile consilium dei, quo per filium suum restituere uoluit genus humanũ: Nõnunquam adest uxor comes, aut amicus quispiam, qui rebus pijs delectetur. TI. In hac domo cui posset obrepere tædium? EVS. Nulli qui didicerit secum uiuere. In summa ora picturæ, uelut extra ordinẽ, addita sunt capita Pontificum Romanorum, cum suis titulis. Ex aduerso capita Cæsarũ ob memoriã historiæ. In utroq; cornu prominet pensile cubiculum, ubi liceat interquiescere, & unde spectare licet pomarium & auiculas nostras. Hic in extremo angulo prati uidetis aliud ædificiolum, ubi cœnamus nõnunquam æstiuis mensibus, & ubi curatur, si quẽ forte è familiaribus corripuerit morbus ob contagiũ formidabilis. TI. Qui Contagiosi dam negant huiusmodi morbos esse uitandos. EV. Cur morbi, an ergo uitant foueã, aut uenenũ? An hoc minus timẽt, quia uitandi.

non ui

non uident? Nec basiliſci uenenum uidetur, quod afflat oculis. Vbi res poſcat, nõ dubitem pro neceßarijs uenire in uitæ diſcrimen. Sine cauſa ſubire uitæ periculum, temeritas eſt, alios in uitæ periculum adducere, crudelitas. Sunt & alia quædam non iniucunda ſpectatu. Ea mandabo uxori, ut oſtendat. Manete hic uel totum triduũ, & hanc domum putate eſſe ueſtram. Paſcite oculos, paſcite animos. Nam me negocia quædam aliò uocant. Eſt equitandum in pagos aliquot uicinos. TIM. Ob rem pecuniariam? EVS. Ego tales amicos non relinquerem pecuniæ gratia. TIM. Fortaßis uenatio parata eſt alicubi. EVS. Planè uenatio eſt. Sed aliud uenor quàm apros aut ceruos. TI. Quid igitur? EVS. Dicam: In uno pago decumbit amicus quidam non ſine periculo uitæ. Nam corpori metuit medicus. Ego magis metuo animæ illius. Nam mihi uidetur parum rectè compoſitus ad emigrandum, ſicut dignum eſt Chriſtiano, huic adero meis hortatibus, ut ſiue moriatur, ſiue reualeſcat, bono ipſius fiat. In altero diſſidium acre natum eſt inter duos, non malos quidem illos, ſed tamen peruicacis ingenij uiros. Quod ſi exaſperetur, uereor ne plures ſecum trahat in conſortiũ ſimultatis. Adnitar totis uiribus, ut hos redigam in gratiam. Nam utriq; ſum ueteri neceßitudine iunctus. Hæc ſunt, quæ uenor. Quod ſi uenatio ſucceſſerit ex animi ſententia, ſimul hic celebrabi

Επινίκια, Epinicia ſunt celebritates parta uictoria.

mus ἐπινίκια. TI. Pia uenatio, precamur, ut tibi pro Delia Chriſtus aſpiret. EVS. Hanc prædam ego malim, quam obuenire mihi hæreditate bis mille ducatos. TI. Mox rediturus? EVS. Non niſi tentatis omnibus.

Quare

Quare certũ tempus nõ possum præscribere. Vos interim meis pinde ac uestris fruamini, & ualete. TIM. *Dominus Iesus te feliciter deducat ac reducat.*

Conuiuij religiosi finis.

POMPILIVS, BRASSICANVS, de incomparabili heroë Ioanne Reuchlino in duorum numerum relato.

POMPILIVS.

VNDE *nobis petasatus?* BRAS. *E Thubinga.* POM. *Nihil ne isthic rei nouæ?* BRA. *Equidem demiror usq; adeo mortales omneis teneri siti quadã rerum nouarũ. At ego Louanij Camelũ quendam audiui concionantẽ, fugiendum quicquid esset nouum.* POMP. *Vocẽ camelo dignã: Dignus erat homo si tamen homo fuit, qui nunquã mutet ueteres calceos, aut putre subligar, semper uescatur putribus ouis, nec aliud bibat, quàm uappam.* BR. *At idem, ne sis inscius, non usq; adeo delectatur rebus ueteribus, ut malit ius pridianũ, quàm recens.* POMP. *Sed omisso Camelo, dic si quid adfers noui.* BR. *Adfero quidẽ, sed, ut ille aiebat, malũ.* POMP. *Atqui isthuc ipsum olim erit uetus. Ita fieri necesse est, ut si omnia uetera sint bona, omnia noua mala; quæcũq; nũc bona sunt, fuerint olim mala, & quæ nũc sunt mala, sint olim futura bona.* BR. *Ita uidetur iuxta decretum Cameli. Imò consequitur, ut qui olim ãduleścẽs fuit malus fatuus, quia recẽs: idẽ nũc sit bonus fatuus, quia senuit.* POMP. *Sed age prome quicquid est.* BR. *Egregius ille trilinguis eruditionis*

Digitized by Google

phœnix Ioãnes Reuchlinus uita defunctus est. P O M. Rem certã narras? B R. Certiorẽ quàm uellẽ. P O M. Sed quid isthuc mali, relicta posteris honestissimi nominis immortali memoria, ab huius uitæ malis demigrare in consortium beatorũ? B R. Quis isthuc tibi indicauit? P O M. Res ipsa. Nec enim potest aliter mori, qui sic uixit. B R. At magis etiam isthuc diceres, si scias, quod scio. P O M. Quid nã obsecro? B R. Nõ est fas referre. P O M. Quã ob rẽ? B R. Quia qui credidit, stipulatus est arcani silentiũ. P O M. Eadẽ lege cõmitte & mihi. Recipio tibi silentium optima fide. B R. Quanquã ista fides me iam sæpenumero fefellit, tamen age cõmittam, præsertim quum res sit eius generis, ut expediat etiam esse notã bonis omnibus. Est Thubingæ quidã instituti Franciscani, uir omnibus habitus eximiæ sanctimoniæ, præter quàm ipsi. P O M. Magnum dicis argumentum uerę sanctimoniæ. B R. Agnosceres hominẽ, & fateremini uerum, si nomen æderem. P O M. Quid si diuinem? B R. Licet. P O M. Admoue aurẽ. B R. Quid opus, quũ simus soli? P O M. Ita mos est. B R. Is ipse est. P O M. Est homo certissimæ fidei. Mihi Sibyllæ foliũ erit, quicquid ille dixerit. B R. Audi igitur totũ dialogum bona fide. Ægrotabat noster Reuchlinus, satis quidẽ periculose, sed ita, ut bona spes esset fore, ut reualesceret, uir dignus qui nunquam senesceret, ægrotaret, aut morereꝰtur. Mane uisebam meum Franciscanũ, ut animi mei mœstitiam oratione sua leniret. Nam ægrotabam unà cum ægrotante amico, quẽ amabam ut patrem. P O M. Phy, quis illum usquã non amauit, nisi uir pessimus? B R. Hic

Franci

Sibylla Cumana scribebat oracula in foliis. Iuue. Credite me uobis foliũ recitare Sibyllæ. i. rem certissimã. Quod genus & illud; E tripode dicta puta.

Franciſcanus meus, Braßicane, inquit, emoue penitus ex animo mœrorem omnem. Reuchlinus noſter deſijt ægro tare. Quid, inquã, an ſubito reualuit? Nam ante biduum non admodum læta promittebant medici. Tum ille: Reualuit, inquit, ſed ita, ut poſt hac non ſit illi formidanda ualetudo aduerſa. Noli flere (nam uidebat erumpentes lachrymas) prius quàm audias rẽ omnẽ. Sex dies ſunt, quod hominẽ non inuiſeram, ſed tamen quotidianis precibus illius ſalutẽ domino cõmendabam. Hodierna nocte, quum me à matutinis hymnis in ſtrato compoſuiſſem, blandus quidam minimeq; grauis ſomnus obrepſit. B R. Neſcio quid læti mihi præſagit animus. F R. Non eſt tibi læua mens. Viſus ſum mihi conſiſtere ad ponticulum quendam, per quem tranſitus erat in pratum quoddam longe amœniſſimum. Adeo blandiebatur oculis graminum & frondium pluſquàm ſmaragdinus uiror, ſic arridebant incredibili colorum uarietate floſculorum ſtellulæ, ſic ſpirabãt omnia, ut quod erat pratorum citra riuum, quo dirimebatur feliciſſimus ille campus, nec uiuere, nec uirere uideretur, ſed mortua, inamœna, putidaq; omnia. Atq; interim dum totus ſum in eo ſpectaculo, cõmodum præterierat Reuchlinus. Præteriens Hebraice precatus eſt pacẽ. Iam medium pontis tranſierat prius quàm ſentirẽ, parantem accurrere, reſpiciens uetuit. Nondũ fas, inquit. Quinto abhinc anno nos ſequeris. Interim eorum quæ aguntur, teſtis ac ſpectator aßiſtito. B R A S. Hic ego: Nudus erat, inquam, Reuchlinus, an ueſtitus: ſolus, an comitatus? F R. Veſtium nihil habebat, præter unam candidiſſimam, Da-

maſce-

masceną esse dixisses, candore mire lucido, ponè sequebatur puer incredibili specie, alatus. Suspicabar illius esse genium bonũ. POMP. *Sed nullus ne comitabatur genius malus?* BR. *Imò aliquot, ut Franciscanus ille arbitrabatur. Procul inquit, à tergo sequebantur aues ali quot, pennis cætera nigris, nisi quod explicatu alarum giluas uerius, quàm candidas plumas ostenderent. Picæ inquit, uideri poterant colore & uoce, nisi quod singulæ sedecim picas æquarent magnitudine corporis, nihilo minores uulturibus, cristam gestantes uertice, rostris & unguibus aduncis, uentre prominente. Harpyiæ uideri poterãt, si tres modo fuissent.* PO. *Quid molie-bantur istæ furiæ?* BR. *Procul inquit, obstrepebãt heroi Reuchlino, & impetituræ uidebãtur si licuisset.* POM. *Qui minus licuit?* BR. *Quia uersus Reuchlinus, obiecta manu crucis imaginem exprimẽs: Abite, inquit, quò dignum est, malæ pestes. Satis sit uobis negocium facessere mortalibus. In me, iam immortalibus ascriptũ, nihil habet iuris uestra dementia. Vix ea dixerat, inquit Frãciscanus, mox abierant fœdissimæ uolucres, sed relicto fœtore, ad quem collatum oletum uideri posset sansuci-num, aut foliatũ. Deierabat se citius uel ad inferos descẽsurum, quàm sustineret iterum afflari tali thymianate.* POM. *Male sit illis pestibus.* BR A. *Sed audi cætera, quæ narrauit mihi Frãciscanus. Dum hæc intentus contemplor, inquit, iam ponti uicinus erat diuus Hieronymus, qui Reuchlinum hisce uerbis compellabat: Salue collega sanctissime. Datum est hoc mihi negotium, ut te exceptum deducam in consortium cœlitum, quod tuis sanctiß-*

Oletum est fœtus humanum. Sansucinũ unguentum idem cũ Amaricino. Foliatum unguenti genus, de quo Iuue. Mœchis foliata parantur.

Digitized by Google

ſanctiſſimis laboribus deſtinauit diuina benignitas. Simulq; ueſtē protulit, qua Reuchlinū induit. Tum Ego: Dic, inquam, mihi quo cultu, quá ue ſpecie uidebatur Hieronymus? Erát ne tam ſenilis, quàm illum pingunt, aut cucullam habebat, aut galerū ac palliū Cardinalitium, aut leonem comitem? Ad hæc ille: Nihil, inquit, iſtiuſmodi. Species erat amœna, quæ ſic ætatem teſtabatur, ut nihil haberet ſqualoris, dignitatis plurimum. Quorſum autē illic opus erat comite leone, quē illi pictores adiūxerūt? Veſtē gerebat ad talos uſq; demiſſam, cryſtallum diceres pellucidū. Eiuſdē erat formæ, quam Reuchlino tradidit. Tota undiq; picta erat, linguis triplici colorū uarietate. Quædā pyropū præ ſe ferebāt: nonnullæ ſmaragdū: tertiæ ſaphirū. Pellucebant omnia, nec mediocrem gratiā addebat ordo. P O M. Conijcio id fiaſſe inſigne triū linguarū, quas calluerunt. B R A. Non eſt dubium. Nam & fimbriæ trium linguarū literis, triplici colore diſtinctis, uiſebātur īſcriptæ. P O M. Num incomitatus aderat Hieronymus? B R A. Incomitatus, inquis? Totus ille campus obſidebatur myriadibus Geniorum, nec aliter oppleuerant aërem totum, quàm uidemus in ſolis radijs uolitare minuta corpuſcula, quæ uocant ἄτομα: ſi tamen à re tam humili huc dūcēda eſt comparatio. Neq; cœlum uidere licuiſſet, neq; campum, niſi pellucerent omnia. P O M P. Euge Reuchlino gratulor. Quid deinde factum eſt? B R. Hieronymus inquit, honoris gratia cōplexus dextrum Reuchlinū deduxit in mediū pratum. Ibi collis erat in medio prominens. In huius uertice uterq; alterum blando

Digitized by Google

oſculo complexus eſt. Atq; interea uaſto hiatu cœlum ſuperne diduxit ſeſe: maieſtatem quandã inenarrabilem exhibens, ſic, ut ad eam ſpeciem cætera penè ſorderẽt, quæ tamen antea uidebantur eſſe mirifica. P O M. Non poſſis aliquam imaginem nobis depingere? B R A. Qui poſſim ego, qui non uidi? Is qui uidit, negauit ſe ullis uocibus uel ſomniũ rei poſſe depingere. Tãtũ hoc aiebat, ſe uel millies mori paratũ, ſi liceat iterũ eo ſpectaculo quãlibet exiguo momento frui. P O M. Quid tandẽ? BR. Ex hiatu cœli demiſſa eſt ingens colũna igne pellucido, ſed amœno, per eam in cõplexu duæ ſanctiſſimæ animæ ſubuectæ ſunt in cœlũ, choris angelicis tanta melodia deliniẽtibus omnia, ut Franciſcanus neget ſe unquã eius uoluptatis meminiſſe poſſe, quin erumpant lachrymæ. Sequuta eſt mira fragrantia. Vbi ſomnus reliquit hominẽ, ſi tamẽ ille ſomnus dicẽdus eſt, erat demẽti ſimilis, nõ credebat ſeſe eſſe in cellula ſua. Reuerebat pontẽ ac pratũ ſuũ, nec aliud loqui, nec aliud cogitare poterat. Seniores eius collegij, ubi ſenſerunt rẽ non eſſe fabuloſam (nã cõpertum eſt eadẽ hora terris exceſsiſſe Reuchlinum, qua uiſio uiro illi ſanctiſsimo apparuit) cõ cordibus animis egerũt gratias deo, qui benefacta piorum præmijs amplißimis remuneratur. P O M P. Quid igitur ſupeſt, niſi ut ſanctiſsimi uiri nomen aſſcribamus calendario ſanctorum? B R A. Id ego facturus erã, etiã ſi nihil tale uidiſſet Franciſcanus: & quidẽ aureis literis proxime diuum Hieronymũ. P O M. Emoriar, niſi idẽ facturus ſum in codice meo. B R. Quin & in meo lauario ſtabit aureus inter diuos ſelectos. P O M. Stabit & in

Lauariũ, locus ubi reponebantur dij penates, hoc eſt domeſtici. Et apud ueteres ſelecti dij dicebantur præcipui, ij fuerãt numero pauci.

Digitized by Google

& in meo uel gẽmeus, si suppetat animo facultas. B R. Ponetur & in bibliotheca Hieronymo proximus. P O. Addetur & meæ. B R A. Imò si grati uolent esse, idem facient omnes, qui colunt & amãt linguas, ac bonas literas, præsertim sacras. P O. Dignus est uidelicet. Sed nihil te mouet ille scrupulus, quod nondum relatus est in numerum diuorũ autoritate Romani pontificis? B R A. Quis canonizauit (sic enim uocant) diuum Hieronymum? quis Paulum? quis uirginẽ matrem? Vtrorũ memoria sanctior apud pios omnes, horum quos insignis pietas, quos ingenij uitæq; monumẽta cõmendãt affectibus omniũ: an Catharinæ Senẽsis, quã in diuarũ numerum retulisse fertur Pius eius nominis secundus, in gratiam ordinis & urbis? P O M. Vera prædicas. Ille demũ uerus cultus est, qui sponte cœlo dignis meritis defunctorum exhibetur, quorũ beneficia perpetuo sentiuntur. Quid igitur, putas tu huius uiri mortẽ deplorandam? Diu uixit, si quid ea res facit ad felicitatẽ hominis. Reliquit nunquã intermoritura uirtutis suæ monumẽta. Benefactis cõsecrauit nomẽ suũ immortalitati. Nunc exemptus malis, cœlo fruitur, & cũ Hieronymo confabulatur. P O M. At multa passus est in uita. B R A. Sed plura passus est diuus Hieronymus. Felicitas est, ob bona pati à malis. P O M. Fateor certe, ob optima à pessimis multa perpessus est Hieronymus. B R A. Quod olim fecit Satanas per scribas & pharisæos in dominũ Iesum, hoc & nunc facit per pharisaicos quosdam in optimos quosq; uiros, ac de genere mortalium suis uigilijs bene merentes. Nunc ille metit optimã messem pro seminente,

Valebo sed nō coquus.

Quum candidatus quidā, qui coci filius habebatur, coram Cicerone ab alio quopiā suffragiū peteret. Cicero cauillans; Ego quoq;, inquit, tibi fauebo. Iocus autem est in dictione ambigua quoq; & coce, quod ad pronūciationem attinet. Vnde liquet olim aliū fuisse sonū harū literarum q & c, quam nūc est. Qui si fuisset diuersus nō erat iocus ex uoce plura significāte. Nunc litera c, aliud sonat præcedens a o u, quā e i y, quod idem fit in Grācis, quū eius uarietatis nulli uetusti grammatici meminerint, quod equidem sciā. Et Fabius īprimo libro putat q & k redundare, nō redundarent aūt, si quid aliud sonarent

quā fecit. Interim nostræ partes erunt, illius memoriam habere sacrosanctā, illius nomen ferre laudibus, ac subinde illum salutare uerbis huiusmodi: O sancta anima sis felix linguis, sis felix linguarū cultoribus, faueto linguis sanctis, perdito malas linguas, infectas ueneno gehēnæ. P O. Ita faciā, ac sedulo prædicabo cæteris, ut idem faciāt. At nō dubito, multos futuros, qui precatiunculam aliquā desiderēt, quādoquidē hoc receptū, qua sanctissimi herois memoriā celebrent. B R A. Hoc dicis, quod isti Collectam appellant? P O M. Scilicet. B R A. Hanc parauerā & ante mortē. P O M. Recita quæso. B R A. Amator humani generis deus, qui donum linguarum, quo quondā apostolos tuos ad Euangelij prædicationē per spiritum tuum sanctum cœlitus instruxeras, per electum famulum tuū I O A N N E M Reuchlinū mundo renouasti, da ut omnibus linguis omnes ubiq; prædicent gloriam filij tui Iesu, ut confundas linguas pseudaposto lorum, qui coniurati substruunt impiam turrim Babel, tuam gloriā obscurare conantes, dum suā studeant attollere: quum uni tibi debeatur omnis gloria cum Iesu filio tuo domino nostro, & spiritu sancto in æterna secula. Amen. P O M. Elegās profectō & pia precatio: dispeream, nisi mihi quotidie dicetur. Et hūc occursum mihi felicē duco, qui rem tam lætam ex te didicerim. B R A. Isto gaudio diu fruere, ac uale. P O M. Vale tu quoq;. B R A. Valebo, sed non coquus.

PROCI ET PVELLAE.

P A M. Salue crudelis, salue ferrea, salue adamantina. M A R I R. Salue tandem & tu Pamphile, quoties & quantum

Digitized by Google

quantum uoles, & quocunque libet nomine. Sed interim mihi uideris oblitus nominis mei. Maria uocor. P A M. At Martiam dici oportuit. M A R I A. Quid ita quæso? Quid mihi cum Marte? P A M. Quia quemadmodum illi deo pro ludo est, homines interficere, ita & tibi, nisi quod tu Marte crudelior, occidis etiam amantē. M A R I A. Bona uerba. Vbinam strages ista mortaliū, quos ego occidi? Vbi sanguis interfectorum? P A. Vnum cadauer uides examine, si modo me uides. M A. Quid ego audio? Mortuus loqueris & obambulas? Vtinam mihi nunquàm occurrant umbræ formidabiliores. P A. Ludis tu quidem, tamen interim miserum exanimas, & crudelius occidis, quàm si confoderes telo. Nunc longo cruciatu excarnificor miser. M A. Eho dic, quot grauidæ ad tuum occursum abortierunt? P A. Atqui pallor arguit exanguem, magis quàm ulla sit umbra. M A R. Atqui iste pallor tinctus est uiola. Sic palles, ut cerasiū matureſcens, aut uua purpurascens. P A M. Satis proca citer rides miserum. M A R. Atqui si mihi non credis, admoue speculum. P A M. Non optarim aliud speculum nec arbitror esse clarius ullum, quàm in quo nunc me contemplor. M A R I A. Quod speculum mihi narras? P A M. Oculos tuos. M A R I A. Argutator, ut semper tui similis es. Sed unde doces esse exanimem te? An cibum capiunt umbræ? P A M. Capiunt, sed insipidum, qualem ego. M A R I A. Quibus igitur uescuntur? P A M. Maluis porris, & lupinis. M A R. Atqui tu non abstines à capis & perdicibus. P A M. Verum, sed interim nihilo plus sapiunt palato meo,

quàm c, nisi qđ c, apponit aspiratio, quā reijcl unt q &k. Cæterū u adiunctū q, euanescit, ac hoc cotidie & quotidie nō so lum differrent scriptura, uerū etiam sono, qđ secus esse licet ex Fabij uerbis colligere cap. de orthographia. Porro iocus Ciceronis ad quē hic alludit refertur apud Quintilianum libro sexto cap. de risu

Digitized by Google

meo, quàm si maluis uescerer, aut betis absque pipere. MAR. O te miserum, & tamẽ interim obesulus es. An & loquuntur exanimes? PA. Sic ut ego, uoce perquàm exili. MA. Atqui nuper cum audirem te conuiciantẽ riuali tuo, uox non erat admodum exilis. Sed obsecro te, num etiam ambulant umbræ? num uestiuntur? num dormiunt? PAM. Etiam coëunt, sed suo more. MA. Næ tu suauis nugator es. PAM. Sed quid dices, si argumẽtis Achilleis euincam, & me esse mortuum, & te esse homicidam? MAR. Absit omen Pamphile, sed aggredere sophisma. PAM. Primum illud mihi donabis, opinor, mortem nihil aliud esse, quàm abductionem animæ à corpore? MAR. Largior. PAM. Sed ita, ut ne reposcas quod dederis. MAR. Non fiet. PAM. Tum haud inficiaberis, cum qui alteri adimit animam, homicidam esse. MAR. Accedo. PAM. Concedes & illud, quod à grauissimis autoribus dictum, tot seculorum suffragijs comprobatum est, animam hominis non illic esse ubi animat, sed ubi amat. MAR. Isthuc explana crassius, non enim satis assequor, quid uelis. PAM. Et hoc sum infelicior, quod istud non æque sentis, atque ego. MAR. Fac ut sentiam. PA. Eadem opera fac, ut sentiat adamas. MAR. Equidẽ puella sum, non lapis. PA. Verũ, sed adamãte durior. MAR. Sed perge colligere. PAM. Qui corripiuntur afflatu diuino, nec audiũt, nec uidẽt, nec olfaciunt, nec sentiũt etiã si occidas. MA. Audiui sanè. PAM. Quid cõiectas esse in causa? MA. Dic tu philosophe. PAM. Nimirum, quoniã animus est in cœlis, ubi habet quod uehemẽter amat, et abest à corpore.

Digitized by Google

pore. M A R. Quid tum postea? P A M. Quid tũ, dura? Illud consequitur, & me esse mortuũ, & te esse homicidam. M A. Vbi est igitur anima tua? P A. Illic ubi amat. M A. Quis autem ademit tibi animã? Quid suspiras? Dic libere, dices impune. P A M. Crudelissima quædã puella, quã ego tamẽ ne mortuus quidem odisse possum. M A R. Humanũ ingeniũ. Sed cur illi uicissim nõ adimis suam animam, par pari, quod aiunt, referẽs? P A. Nihil me felicius, si quidem liceat facere permutationẽ, sic, ut illius animus uicissim demigret in pectus meum, quẽadmodũ meus animus totus demigrauit in corpus illius. MA. At lucét ne mihi tecũ uicissim pauliſper sophistam agere? P A M. Sophistriam. M A R. Nũ fieri potest, ut idem corpus sit animatum, & exanime? P A M. Non eodẽ quidem tempore. M A R. Quum abest anima, tum mortuũ est corpus? P A. Est. M A R. Nec animat, nisi quum abest? P A M. Esto sanè. M A R. Qui fit igitur, ut cum ibi sit, ubi amat, animet tamẽ corpus, unde demigrauit? Quod si animat, etiã cum amat alibi quomodo uocatur exanime corpus, quod animatũ est? P A. Argutare tu quidẽ satis sophistice, sed me talibus pedicis nõ capies. Anima quæ moderatur utcũq; corpus animantis, improprie dicitur anima, cũ reuera sint tenues quædã animæ reliquiæ, nõ aliter quàm odor rosarũ manet in manu, etiã rosa submota. M A. Difficile est, ut uideo, uulpẽ capere laqueo. Sed illud respõde. Nõne agit, qui occidit? P A. Maxime. MA. Et patitur, q occiditur? P A. Scilicet. M A. Qui fit igitur, ut cũ qui amat, agat: quæ amatur, patiatur: occidere dicatur, quæ amatur, cũ

amans

Athenis Areopagitæ iudicabant de capitalibus, unde ridicule deflectit uocē apud Grāmaticos.

Amphictyō cōcilium erat, qđ apud Thermopylas cogi solebat, ad qđ duodecim populi cōueniebāt sub Amphictyone Deucalionis filiæ. Iones, Dores, Peræbi, Bœoti, Magnetes, Achēi, ΦΘῖοι, Molièes, Dolopes, Aenianes, Delphi, Phocēses. Sic & Dialecticorū uariæ iunt sectæ.

amans potius occidat seipsum? P A. *Imò cōtra, qui amat patitur, quæ amatur agit.* M A. *Istuc nunquàm euinces apud Ariopagitas grammaticos.* P A. *At euincam apud Amphictyones dialecticos.* M A. *Verum ne graueris & illud respondere, uolens anas, an nolens?* P A M. *Volens.* M A. *Cum igitur liberum sit non amare, uidetur homicida sui quisquis amat, præterq; ius accusat puellā.* P A. *Atqui puella non ideo occidit, quod amatur, sed quod non amat mutuum. Occidit autem, quisquis seruare potest, nec seruat:* M AR. *Quid si iuuenis amet incōcessa, hoc est uxorem alienam, aut uirginem Vestalem? num illa amabit mutuum, ut seruet amantem?* P A. *Sed hic iuuenis amat, quod amare fas piumq; est, atq; etiam æquum & bonum, & tamen occiditur. Quod si leue est homicidij crimen, & ueneficij ream peragam.* M A R. *Isthuc prohibeant superi. An Circen quampiam ex me facies?* P A M. *Aliquid & ista crudelius. Nam porcus aut ursus esse malim, quàm id quod nunc sum, exanimis.* M AR. *Quo tandem ueneficij genere perdo homines?* P A M. *Fascino.* M A R. *An igitur uis, ut post hac abste deflectā noxios oculos?* P A M. *Bona uerba. Imò magis afflecte.* M A. *Si mihi sunt oculi fascinatores, qui fit, ut nō cōtabescāt & cæteri, quos obtueor? Itaque suspicor, fascinū istud esse in tuis oculis, nō in meis.* P A. *Nō sat tibi erat iugulare Păphilū, ni insultes insuper?* M A. *O lepidū mortuū. Sed qñ parabūtur exequæ?* P A. *Opinione tua celerius, ni tu succurras.* MA. *Egon' rē tātā' posse sum?* P A. *Potes uel mortuū ad uitā reuocare, idq; mihi momento negotio.* M A. *Si quis mihi porrigat panacē.* P A.

Panace hærba quæ medetur omnibus morbis unde & nomen habet.

Nihil

Digitized by Google

Nihil opus herbis, tātū redama. Quid autē facilius, imò quid æquius? Non aliter absolueris ab homicidij crimine. M A R. Apud quod tribunal peragar rea? Areopagitarum? P A. Non, sed apud tribunal Veneris. M A R. Aiunt deam esse placabilē. P A. Imò nullius ira perinde formidabilis. M A R. Habet fulmen? P A. Nō. M A R. Habet tridentē? P A. Nequaquā. M A R. Habet hastā? P A M. Minime, sed est dea maris. M A R. Non nauigo. P A M. Sed habet puerum. M A. Nō est formidabilis ætas. P A. Vindicem ac peruicacē. M A R. Quid is mihi faciet? P A. Quid faciet? Prohibeant omnes superi. Nōlim enim illi male ominari, cui bene uolo. M A. Tamen effare, nulla mihi superstitio est. P A. Dicā ergo. Si hunc spreueris amantē, nō omnino mutuo indignum amore, nisi fallor, ille fortasse iussu matris immittet tibi peßimo ueneno tinctū iaculum, ut in fordidū aliquē depereas, qui te tamē non redamet. M A. Suppliciū narras abominandū. Ego sanè uel mori præoptarim, quàm perdite amare deformē, nec amore mutuo respondentem. P A M. At qui nuper huius mali fuit exēplū insigniter æditum in puellam quandā. M A R. Vbi locorū? P A. Aureliæ. M A. Quot anni sunt? P A. Quot anni? Vix sunt mēses decē. M A R. Puellæ quod erat nomē? Quid hæres? P A. Nihil, noui tanquā te. M A R. Quin igitur ædis nomē? P A. Quia non placet omen. Vtinam alio quouis nomine dicta fuisset. Idē habebat nomē quod tu. M A. Pater quis erat? P A. Viuit adhuc, inter iurecon sultos præcipui nominis, re splēdida. A M. Adde nomē. P A. Mauricius. M A. Cognomē. P A. Aglaius. M A. Viuit

Fulmen est telū Iouis, tridēs Neptuni, hasta Palladis.

Digitized by Google

Viuit ne mater? P A. Nuper reliquit superos. MA. Quo morbo perijt? P A. Quo morbo rogas? mœrore. Et pater, tametsi uir cũ primis fortis, periclitabatur. M A. Licét ne scire matris quoq; nomẽ? P A. Maxime, Sophronã nemo non nouit. Sed quid sibi uult ista percontatio? An me putas apologũ cõminisci? M A. Egon' de te suspicarer hoc? Hæc suspicio pronior est in sexũ nostrũ. Sed narra, quid acciderit puellæ. P A. Puella erat honesto loco nata, ut dixi, re lauta, forma per quàm elegãti: quid multis: digna principe marito. Huius nuptias ambiebat procus quidã, illi nõ dissimilis. M A. Quo noie? P A. Hei mihi, offendor omine, Pãphilus et ille ductus est. Illa nihil nõ tẽtãtẽ pertinacissime spreuit. Iuuenis dolore cõtabuit. Nec ita multo post, illa deperire cœpit in quẽdã, simiũ uerius quàm hoiem. M A. Quid ais? P A. Adeo pdite, ut satis dici nõ queat. M A. Tã elegãs puella, tã deformẽ? P A. Vertice acuminato, raro capillitio, eoq; lacero & impexo, furfure ac lẽdibus oppleto, pleranq; cranij cutẽ nudauerat alopecia, oculis refugis, naribus simis ac sursum hiãtibus, ore sparso, dẽtibus putridis, balbutiẽte lingua, mẽto scabioso, scapulas deformabat gibbus, uẽter prominulus, crura uara. M A. Thersitẽ quẽpiã mihi depingis. P A. Imò aiunt illi nõ fuisse nisi unã auriculam. M A R. Altera perierat illi fortasse in bello. P A. Imò in pace. M A. Quis hoc ausus est? P A. Dionysius carnifex. M A. Fortasse formæ infelicitatẽ pensabat res ampla domi? P A. Imò decoxerat, ac plus quàm animã debebat. Cũ hoc marito tã insignis puella nũc degit ætatẽ, ac subinde uapulat. M A. Rem miseram narras.

P A.

P A. Sed ueram. Sic uisum est Nemesi iuuenis spreti cõtumeliã ulciſci. M A. Ego citius optarim extingui fulmine, quàm talẽ ferre maritum. P A. Ergo ne prouoca Nemesim, & amantem redama. M A. Siquidem isthuc satis est, redamo. P A M. Sed optarim istum amorẽ esse perpetuum ac proprium. Coniugem ambio, non amicam. M A. Neq; me id fugit, sed diu deliberandum est in eo, quod semel cœptum, rescindi non potest. P A. Apud me quidem nimium diu deliberatum est. M A. Vide autem ne tibi imponat amor non optimus cõsultor. Nam cæcũ esse ferũt. P A. Sed oculatus est, qui ex iudicio nascitur. Non ideo mihi talis uideris, quod amem te, sed ideo te amo, quod talem te conspexerim. M A. At uide ne nõ satis me perspectam habeas. Si calceum induisses, tum demũ sentires, qua parte te urgeret. P A. Iacienda est alea, quãquam ego multis augurijs colligo rem melius cessuram. M A. Etiam augur es? P A. Sum. M A. Quibus igitur augurijs colligis? An uolauit noctua? P A. Illa uolat stultis. M A. An à dextris aduolauit iugum columbarũ? P A. Nihil istiusmodi. Sed mihi iam annis aliquot perspecta est probitas tuorum parentum: ea primum auis est non peßima, è bonis prognatam esse. Neque me clã est, quàm salubribus monitis, quàm sanctis exẽplis apud hos sis instituta. Et plus est bene institui, quam bene nasci. Habes alterum augurium. Ad hæc meis maioribus, non omnino malis, ni fallor, iam olim cum tuis amicitia nõ uulgaris intercedit, quin & nos inter nos à teneris, qd' aiunt, unguiculis noti sumus, nec male cõuenit genijs nostris. Iã ætas inter nos, res, dignitas, nobilitas, inter utriusq;

Nemesis dea uindex insolentiæ.

Amor nõ optimus consultor

Calceũ. Alludit ad dictum Pauli Aemilij repudiata uxore.

Iacere aleã, facere periculũ.

Digitized by Google

utriusq; parentes, penè paria sunt. Demum, quod est in amicitia præcipuum, tui mores mihi uidentur non pessime quadrare ad meũ ingenium. Potest enim per se præclarum esse, quod tamen non sit aptum. Quàm mei uicissim tuo congruũt, nescio. Hæ uidelicet aues, mea lux, mihi promittunt fore inter nos felix, perpetuum, ac lætum iucundumq; connubium, modo ne tuus animus, mali omnis cantionem nobis occinat. M A. Quam cantilenam optas? P A. Ego præcinã, sum tuus: tu succine, sum tua. M A. Breuis quidẽ cãtiuncula, sed longũ habet epiphonema. P A. Quid refert quàm longum, modo lætũ. M A. Adeo mihi es inuisus, ut nolim te cõmittere, cuius in posterum pœniteat. P A. Define male ominari. M A. Fortasis alia tibi uidebor, ubi morbus aut ætas hanc formã immutauerit. P A. Nec hoc corpus, ò bona, semper erit æque succulentum, sed ego non contemplor tantũ istud undiq; florens & elegans domicilium, hospitem magis adamo. M A. Quem hospitem? P A. Animum istum tuũ, cuius decor semper cũ ætate crescet. M A. Næ tu plus quàm Lynceus es, si istum perspicis per tot tectoria. P A. Animum animo perspicio. Ad hæc, in communibus liberis subinde repubescemus. M A. Sed interim perit uirginitas. P A. Verũ. Sed eho: dic mihi, si tibi esset elegans pomarium, optares illic nihil unquam gigni præter flores? an malles delapsis floribus uidere arbores maturis pomis grauidas? M A R. Vt argutatur. P A. Saltem illud responde, utrum est elegantius spectaculum, uitis humi iacens & computrescens, an amplexa palũ aut ulmum, eamq; purpureis uuis degrauans? M A R. Respondeo

Mali ominis, uidelicet si recusset.

Epiphonema, qđ in fine acclamatur. Facile est dicere, uolo uolo; sed his duobus uerbis contrahitur indissolubile uinculum.

ſponde tu mihi uiciſſim, utrũ ſpectaculum amœnius, ro-
ſa nitens & lactea in ſuo frutice, an decerpta digitis ac
paulatim marceſcens? P A M. Ego roſam exiſtimo feli-
ciorẽ, quæ marceſcit in hominis manu, delectans iterim
& oculos & nares, quàm quæ ſeneſcit in frutice. Nam
& illic futurũ erat, ut marceſceret: quẽadmodũ felicius
eſt uinũ, quod bibitur antequã aceſcat. Quanquã non
ſtatim marceſcit flos puellæ ſi nupſerit. Imò uideo mul-
tas, quæ ante nuptias pallebãt, languebant, ac uelut ex-
tabeſcebãt, ex cõgreſſu uiri ſic enituiſſe, ut tum demum
florere cœperint. M A R. Attamẽ fauorabilis ac plauſi-
bilis apud omneis eſt uirginitas. P A. Elegãs quidẽ res
puella uirgo, ſed q̃d prodigioſius anu uirgine? Niſi ma
tri tuæ defluxiſſet flos ille, nos iſtũ floſculũ non habere
mus. Quod ſi ut ſpero, nõ ſterile fuerit noſtrũ cõiugiũ,
pro una uirgine multas dabimus. M A. Attamen aiunt,
rẽ deo gratiſsimã eſſe caſtitatẽ. P A. Et ideo caſtã puel
lam mihi cupio nubere, ut cum illa caſte uiuam. Magis
erit animorũ quàm corporum cõiugiũ. Gignemus rei-
publicæ, gignemus Chriſto. Quãtulum aberit hoc ma-
trimoniũ à uirginitate? Et fortaſsis olim ſic cõuiuemus,
quẽadmodum uixit cum Maria Ioſeph. Sed interim di-
ſcemus uirginitatẽ. Nõ enim ſtatim peruentur ad ſum-
mum. M A. Quid ego audio? Violanda uirginitas, ut di
ſcatur? P A. Quid ni? Quemadmodum paulatim bibẽdo
uinum parcius, diſcimus eſſe abſtemij. Vter tibi uidetur
temperãtior, qui in medijs delitijs accumbens abſtinet,
an qui ſemotus ab his quæ prouocant intemperantiam?
M A R. Arbitror eum fortius temperantẽ, quẽ parata

Abſtemij, qui non bibunt uinũ, quaſi dicas abſq; uino.

copia non potest corrumpere. P A. Vtri uerius debetur laus castitatis, ei ne qui semet execat, an qui membris integris, tamē abstinet à uenere? M A. Equidē posteriori meo calculo tribuerim laudē castitatis: priori dementiā. P A. At q uoto astricti abiurāt matrimoniū, nonne quodāmodo execant sese? M A R. Videtur. P A M. Iam nō est uirtus non coire. M A R. An non est? P A M. Sic accipe. Si per se uirtus esset, nō coire, uitiū esset coire. Nunc incidit, ut uitiū sit, non coire, coire uirtus. M A. Quando hoc incidit? P A M. Quoties ab uxore ius suū petit maritus, præsertim si prolis amore quærit cōplexum. M A R. Quid si lasciuiat, non est fas negare? P A. Fas est monere, uel rogare potius blādius, ut temperet, pnegare īstanti fas non est. Quāquā hac quidē in parte raras audio querelas maritorum de suis uxoribus. M A. At dulcis est libertas. P A. Imò grauis est sarcina uirginitas. Ego tibi rex ero, tu mihi regina. Imperabimus familiæ nostro arbitratu. An tibi uidetur ista esse seruitus? M A. Vulgus cōiugiū capistrū uocat. P A. Sed ipsi uero capistro digni sunt, qui sic uocant. Dic mihi quæso: An nō animus tuus est alligatus corpori? M A. Videtur. PA. N ō aliter, quàm auicula caueæ. Et tñ cō sulc illū, an cupiat esse liber. Negabit opinor. Quā ob rē? Quia libēter est alligatus. M A. Res est utrinq; modica. P A. Tāto tutior. Eā tu domi augebis parsimonia, quæ nō sine causa dicta est magnum uectigal, ego foris industria. M A. Innumeras curas secū adferunt liberi. P A M. Sed ijdē innumeras uoluptates, ac sæpenumero multo cum fœnore reponunt parentibus officiū. M A.

Misera

Miſera quædã res eſt orbitas. P A. An nunc orba non es? Quid autẽ opus in re dubia male ominari? Dic mihi utrum malles, nunquam naſci, an naſci moritura? M A. Equidẽ malim naſci moritura. P A. Sic miſerior eſt orbitas, quæ prolem nec habuit, nec habitura eſt: quẽadmodum feliciores ſunt, qui uixerunt, quàm qui nec nati ſunt, nec naſcentur unquàm. M A R. Qui ſunt iſti, qui non ſunt, nec erunt? P A M. Quanquã qui recuſet ferre caſus humanos, quibus omnes ex æquo ſumus obnoxij, ſiue plebei ſumus, ſiue reges, is è uita mugret oportet: Et tñ quicquid acciderit, tu non feres niſi dimidiũ, ego maiorẽ portionẽ in me trãsferam. Ita ſi quid acciderit læti, gemina fiet uoluptas: ſi quid mali, ſocietas adimet dimidiũ ægritudinis. Mihi uero, ſi fata uocent, dulce fuerit uel immori tuis complexibus. M A R. Facilius ferũt homines, quod iuxta cõmunes naturæ leges accidit, ſed uideo, quãto plus moleſtiarũ adferunt nõnullis parentibus liberorũ mores, quàm mortes. P A M. Iſtius rei ne quid accidat, maxima ex parte in nobis ſitũ eſt. M A. Qui ſic? P A. Quoniã ferè boni naſcũtur ex bonis, qd' ad indolẽ attinet: neq; enim è colũbis naſcuntur miluij. Dabimus igitur operã, ut ipſi boni ſimus. Deinde curabimus liberos noſtros ab ipſo ſtatim lacte ſanctis præceptis, & opinionibus imbuẽdos. Plurimũ refert, qd ſtudas rudi teſtulæ. Ad hæc curabimus, ut domi habeãt exẽplũ uitæ, quod imitẽtur. M A. Difficile eſt, qd' narras. P A. Nec mirũ, quia pulchrũ eſt, atq; ob hoc ipſum tu quoq; difficilis es. At tanto ſtudijs acrioribus huc enitemur. M A. Habebis ſequacẽ materiã, tu uide, ut me fõr

Qui ſunt iſti. locatur in hoc quod ridicule dixerat iuuenis, quũ non ſunt nec futuri ſunt, plus felices dici nõ poſſint.

Alluda ad ſtatuas horatianas. ode 4. l. 4. ſortes crea fortis. &

mes fingas q̃. PAM. Sed interim pronuncia tria uerba. MAR. Nihil facilius, sed uerba simul atq; semel euolarint, nõ reuolant. Dabo cõsilium utriq; cõmodius. Ages cum tuis ac meis parentibus, ut utrorũq; uoluntate trãsigatur. PAM. Ambire me iubes, tu potes tribus uerbis rẽ certã reddere. MAR. An poßim nescio, mei iuris nõ sum. Nec sine maiorũ autoritate olim coibãt coniugia. Verũ utcũq; est, arbitror auspicatius fore nostrũ cõiugiũ, si parẽtũ autoritate coëat. Et uestrũ est ambire, nobis decorum nõ est. Gaudet enim rapi uirginitas, etiã si nõnunquã uehemẽtius amemus. PAM. Nõ pigebit ambire, modo ne me frustretur tuũ unius suffragiũ. MA. Nõ frustrabitur, bono animo esto mihi Pamphile. PA. Tu mihi hic religiosior es, quàm uellẽ. MAR. Imò tu tuũ ipsius suffragiũ apud te prius expende. Nec affectũ istũ tuũ adhibe in cõsilium, sed rationẽ. Quod affectus decernit, tẽporariũ est: quod aũt dictat ratio, perpetuo solet placere. PAM. Næ tu pulchre philosopharis: itaq; parere certum est tuis consilijs. MAR. Nõ pœnituerit obsequij. Sed heus tu, incidit iterim scrupulus, qui meũ animum male habet. PAM. Valeant scrupuli. MAR. Vin' me nubere mortuo? PAM. Nequaquã, sed reuixero. MA. Amouisti scrupũ. Bene uale mi Pãphile. PA. Istuc tu cura. MAR. Precor tibi lætam noctẽ. Quid spiras? PAM. Lætã noctẽ ais? Vtinã largiaris qd̃ precaris. MAR. Ne quid præpropere, adhuc tua meßis in herba est. PAM. Nihil ne tui mecũ auferam? MAR. Hunc pastillũ, qui tibi cor exhilaret. PAM. Adde saltẽ oscũlũ. MAR. Cupio tibi uirginitatẽ ĩtegrã & illibatam

Tua meßis in herba est, ait Ouidius. A sege te ductum. quæ primum herbescit, deinde fert aristas, tandem flauescit ad meßem.

Nihil ne tui. Ambigue dictũ. Nã si sit genitiuus à tu, petit oscũlum, si a tuũ petit aliud. At illa secus interpretat, quã ille sensexat. Ouidius. Vlterius nil habet ille mei.

Pastillus est sphærula ex odoribus confecta, quam manibus circũferũt'. Horatius: Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.

tam tradere. PA. An osculũ aliquid decerpit uirginitati? MAR. Vis igitur, ut alijs quoq; largiar oscula? PAM. Nequaquã, mihi seruari uolo mea oscula. MA. Tibi seruo. Quãquàm est aliud, quar in præsentia nec ausim dare oscula. PAM. Quid isthuc? MARI. Ais tuum animum penè totum demigrasse in corpus meũ, in tuo quàm minimum supereſſe. Vereor itaque, ne in osculo hoc ipsum quod in te superest, transiliat in me, tuq; iam totus fias exanimis. Accipe igitur dextrã, mutui amoris symbolum, ac bene uale. Tu gnauiter rem gere. Ego interim Christum comprecabor, ut quod agitur, utrique nostrum uelit esse felix ac faustum.

EVBVLI ET CATHARINAE.

GAudeo tandem finitã esse cœnã, ut liceat hac frui deambulatione, qua nihil amœnius. CAT. Et me iam tædebat seßionis. EVB. Quàm uernat, quàm arridet undiq; mundus. Hæc nimirum est illius adolescẽtia. CAT. Sic est. EVB. At cur tuum uer non æque arridet? CAT. Quamobrem? EVB. Quia subtristis es. CAT. An uideor alio uultu quàm soleo? EVB. Vis ostendã te tibi? CAT. Maxime. EVB. Vides hanc rosam, sub imminentẽ noctẽ, folijs cõtractioribus? CAT. Video. Quid tum postea? EVB. Talis est uultus tuus. CAT. Bella collatio. EVB. Si mihi parum credis, in hoc fonticulo contemplare teipsam. Quid sibi uidem uolebant, & inter cœnandum, ista tam crebra suspiria? CAT. Define percontari, quod tua non refert scire. EVB. Imò mea refert maxime, qui nõ possum esse hilaris, nisi te quoq; uideam hilarẽ. Ecce autem iterum su-

Tuto depones. Depõit magistratũ, qui se abdicat magistratu, deponit pignus qui certat, & deponit, qui rem suã fiduciam tradit alienæ fidei. Sic Hora, Quicqd habes age depone tutis auribus.

ſpirium, huì quàm ex imo pectore ductum. CAT. *Eſt quod angat animũ, ſed effari non eſt tutum.* EV. *Mihi non dices, qui te charioré habeo ſorore propria? Mea Catharina ne uerere, quicquid eſt rei, tuto depones his auribus.* CAT. *Vt tuto dicã, uereor ne fruſtra dicã nõ auxiliaturo.* EVB. *Qui ſcis? Si nõ re ipſa, fortaſsis cõſolando, conſolandoq; iuuero.* CAT. *Non poſſum eloqui.* EVB. *Quid iſthuc eſt rei: odiſti me?* CAT. *Sic odi, ut mihi minus charus ſit meus germanus. Et tamẽ animus nõ fert, ut eloquar.* EVB. *Fateberis igitur, ſi diuinaro? Quid tergiuerſaris: Promitte, alioqui nõ omittã urgere.* CAT. *Age, promitto.* EVB. *Primũ ego nõ uideo, quid tibi deſit ad ſummã felicitatẽ.* CAT. *Vtinam uera prædicares.* EVB. *Primũ adeſt ipſe flos ætatis. Nã, niſi fallor, agis annũ iam decimum ſeptimũ.* CAT. *Sic eſt.* EVB. *Nõdum igitur opinor, diſcrutiat te metus ſenectæ.* CAT. *Nihil minus.* EVB. *Adeſt forma nulla parte nõ felix, eſt & iſtud præcipuũ dei donũ.* CAT. *De forma qualis qualis eſt, nec glorior, nec queror.* EVB. *Tãm color & habitudo corporis indicat te eſſe proſperæ ualetudine, niſi qd eſt morbi occultioris.* CAT. *Nihil iſtiuſmodi, gratia deo.* EVB. *Fama eſt integra.* CAT. *Ita cõfido.* EVB. *Adeſt ingenium iſto dignum corpore, feliciſsimũ, & quale mihi optẽ ad liberales diſciplinas.* CAT. *Si quod eſt, dei munus eſt.* EVB. *Nec deeſt morũ amabilis gratia, quã in feliciſsimis etiã formis nõ raro deſideramus.* CAT. *Optarim equidẽ mores me dignos.* EVB. *Multorũ animos deiecit generis infelicitas. Tibi parentes ſunt & bene nati, & probi, & re*

Digitized by Google

& re lauta, & tui amantißimi. CAT. Hinc nihil queror. EVB. Quid multis? Ego mihi ex omnibus puellis, quas habet hæc regio, nõ delegerim aliã sponsam, quàm te, si quod sidus mihi prosperũ affulgeret. CAT. Nec ego mihi deligerem alium sponsum, si placeret ullum cõiugium. EVB. Et tamen magnum quiddam esse debet, quod sic discruciat animum tuum. CAT. Est omnino non leue. EVB. Non ægreferes, si diuinem? CAT. Iam pollicita sum. EVB. Expertus noui, quanta crux sit amor. Age fatere nũc, promisisti. CAT. Amor est in causa, sed nõ eius generis, cuius tu suspicare. EVB. Quod genus tu mihi narras? CAT. Diuina. EVB. Equidem cõsumpsi omnẽ diuinationem meã. Et tamen non omittam hanc manum, donec extorsero, quid sit. CAT. Vt uiolentus es. EVB. Depone in sinum meum, quicquid isthuc est curæ. CA. Quando sic urges, dicã. Iam inde à teneris annis me mirus quidã affectus habebat. EV. Quis obsecro? CA. Vt adiungerer collegio sacrarũ uirginũ. EVB. Vt fieres monacha? CA. Sic habet. EV. Hem, pro thesauro carbones. CAT. Quid ais Eubule? EVB. Nihil mea lux, tußiebã. Sed perge dicere. CA. Huic animo meo semper pertinacißime restitere parentes. EVB. Audio. CAT. Ego contra precibus, blandi tijs, lachrymis oppugnabam parctum pietatem. EVB. Res mira. CA. Tandem cum ego nullum facerem finem orandi, obsecrandi, obtestandi, lachrymandi, pollicti sunt, ubi peruenissem ad annum decimumseptimum, sese obtemperaturos uoluntati meæ, si modo tum idẽ perstaret animus. Venit is annus, Manet idem animus, paren

In sinum, id est, secreto cõmitte taciturο.

Pro thesauro, quũ aliud inuenitur, quã expectabatur.

Digitized by Google

tes tamen cõtra promissum pnegant, hoc est qđ discruciat animum meũ. Aperui morbum meũ, tu nũc medicũ age, si quid potes. EVB. Primum illud dabo cõsilium, suauissima uirgo, ut modereris affectibus tuis, & si id nõ cõtinget quod uis, id uelis quod possis. CAT. Emoriar, nisi quod uolo assequar. EVB. Et unde cõcepisti istum fatalẽ affectum? CAT. Olim admodum puella ducta sum in quoddam uirginum collegium, circũduceba-mur, ostendebãtur omnia, placebãt uirgines multibus nitentibus, uidebãtur angelæ, in tẽplo nitebãt omnia, atq; etiã fragrabant, nitebant horti cultißimi. Quid multis? nihil nõ arridebat, quocunq; uertebã oculos. Accedebãt ad hæc blandißima uirginũ colloquia. Vnam atq; alteram illic reperi, qui cum olim infantula lusitare cõsueui. Ex eo tempore cœpit animus ardere eius uitæ desiderio. EVB. Nõ sum improbaturus sacrarum uirginum institutum, quãquã nõ omnia cõducunt omnibus, sed habita tui genij ratione, quem mihi uideor ex multu, moribusq; tuis collegisse, suaserim, ut nubas marito tui simili, tuæq; domi nouum instituas collegium, cuius maritus agat patrẽ, tu matrẽ. CAT. Emoriar citius, quàm uirginitatis propositũ deserã. EVB. Res est egregia uirginitas, si pura sit, sed nihil necesse est, ut hac gratia dedas te in collegium, unde nõ possis postea eximi. Licet apud parẽtes uirginitatẽ tueri tuã. CAT. Licet, at nõ perinde tutò. EVB. Imò, ut ego arbitror, aliquãto tutius, quàm apud illos crassos, semper cibo distentos monachos. Nec enim castrati sunt, ne tu sis insciẽs. Patres uocantur, ac frequẽter efficiunt, ut hoc nomẽ uere com-

petat

petat in illos. Olim nuſquã uirgines honeſtius uiuebant, quàm apud parentes, nec alium habebant patrem, quàm epiſcopum. Sed obſecro dic mihi, quod tibi collegiũ ex omnibus delegiſti, cui te addicas in ſeruitutem? CAT. Chryſercium. EVB. Agnoſco, ædibus paternis uicinũ. CAT. Recte. EVB. Atqui pulchre noui totum hoc ſodalitium, dignum uero, ob quod patrem ac matrem, et cognatam tibi honeſtamq; familiam repudies. Nam ille patriarcha iam pridem & ætate, & uino, et natura delirus eſt, nec illi quicquam iam ſapit, præter uinum. Habet duos ſodales ſe dignos, Ioannem & Iodocum. Quorum Ioannes, ut fortaſſe uir malus nõ eſt, ita nihil habet uiri, præter barbã, eruditionis ne pilum quidem, prudentiæ nõ multo plus, Iodocus adeo ſtupidus eſt, ut niſi ueſte ſacra commendaretur, obambularet publicitus in cuculla fatui cum auriculis ac tintinnabulis. CAT. Mihi uidẽtur uiri boni. EVB. Melius iſtos noui, quàm tu, mea Catharina. Iſti fortaſſe ſunt tibi patroni apud parẽtes, ut efficiant te proſelytam ſuam. CAT. Iodocus maxime fauet. EVB. O fautorem: ſed fac iſtic nunc eſſe uiros doctos ac bonos, cras erunt indocti ac mali. Et qui cũq; obtigerint, tibi erunt ferendi. CAT. Offendũt me in ædibus paternis crebra cõuiuia, nec ſemper uirginea ſunt, quæ illic dicũtur inter cõiugatos. Et aliquoties fit, ut oſculũ negare nõ poßim. EVB. Qui uitare ſtudet, quicquid offendit, is è uita migret oportet. Ita ſunt aures aſſuefaciendæ, ut audiãt oĩa, nec tamẽ niſi bona trãſmittãt in animũ. Parẽtes, opinor, permittũt tibi cubiculũ peculiare. CA. Maxime. EV. Eò te ſubducas licebit,

Chryſerciũ, ſcitiũ nom ẽ eſt, uidetur innuere collegiũ, qđ eſt Gaudæ iuxta clauſtrum, quo naues excluduntur aut admittuntur.

Si quod cõuiuium acciderit turbulẽtius: & dum illi potãt ac nugantur, tu confabulare cum sponso tuo Christo, ora, psalle, gratias age. Non te inquinabit domus paterna, sed tu reddes eam puriorem. C A. *Attamen tutius est esse in sodalitio uirginũ.* E V. *Non improbo castum sodalitium, nolim tamen te falli falsa imaginatione. Vbi illic uersata fueris aliquandiu, ubi propius inspexeris, fortasßis nõ perinde nitebunt omnia, ut tibi quondã nitere uidebantur. Nec omnes uirgines sunt, mihi crede, quæ uulgum habẽt.* C A. *Bona uerba.* E V B. *Imò bona uerba sunt, quæ uera sunt. Nisi fortaße elogiũ, quod nos hactenus iudicauimus esse uirgini matri proprium, ad plures transijt, ut dicantur & à partu uirgines.* C A. *Abominor.* E V. *Quin insuper, nec alioqui inter illas uirgines sunt omnia uirginea.* C A. *Non? Quamobrem, obsecro?* E VB. *Quia plures inueniuntur quæ mores æmulẽtur Sapphûs, quàm quæ referant ingenium.* C A. *Istuc quid sit, non satis intelligo.* E V. *Atquæ ideo hæc uerba facio, ne quando intelligas mea Catharina.* C A. *At tamen animus eò fertur, atque hinc colligo hũc spiritum à deo proficiscí, quod tot iam annis perseuerat, & indies fit acrior.* E V B. *Imò mihi hoc nomine suspectus est iste tuus spiritus, quod sic repugnant optimi parentes. Afflasset & illorũ animos deus, si pium esset, quod moliris. Sed istũ spirutũ hausisti ex illis nitoribus, quos admodũ puella uidisti, ex blãdis uirginum alloquijs, ex affectu erga ueteres sodales, ex cultu sacro, ex ceremonijs sanè quàm speciosis, ex improbis hortatibus stultorũ monachorum, qui in hoc te ucnãtur, ut largius potent.*

Elogiũ titulus meriti, qui solet addi in legatis aut in munere. Ego scribendum arbitror elogiũ ab impurando, quãquã reclamantibus codicibus.

Sapphus, geniti uus ẽ Græcus, sicut δ'ιδ ὄς. Huius ingeniũ mire prædicatũ, sed mores infamantur, qd' fuerit πρίβας. Id enim tecte significatum est.

Digitized by Google

tent. Sciunt patrē esse liberalē ac benignum, aut illū ha bebunt conuiuā, sed hac lege, ut secum adferat uinum, quod decē strenuis potoribus satis sit, aut ipsi pota bunt apud illum. Quare tibi fuerim autor, ne quid no ui tētes inuitis parentibus, in quorū potestate nos deus esse uoluit. C A. In hoc negocio pium est contenere pa trem & matrē. E V. Christi causa pium est alicubi negli gere patrē & matrem: neque enim pie faciat, qui Chri stianus patrē Ethnicum, cuius omne uitæ præsidiū pen deat à filio, deserat sinatq; perire fame. Si nōdum esses professa Christum in baptismo, & parētes uetarent te batipzari, pie faceres, si Christum præferres impijs pa rētibus. Aut si nunc parētes adigerent ad impietatē aut turpitudinem, contemnenda esset illorum autoritas. Sed quid hoc ad collegium? Et domi Christum habes. Natu ra dictat, deus approbat, Paulus hortatur, leges humanæ sanciunt, ut filij obediant parentibus, & tu te subduces ab autoritate parentum optimorum, ut pro uero patre, te dedas factitio, & pro uera matre, tibi ascisças alie nam? aut potius, ut pro parentibus tibi dominos ac do minas ascisças? Nam parentibus ita es obnoxia, ut tamen te liberam esse uelint. Vnde & liberi uocantur filij fami liâs, quod absint à conditione seruorum. Nūc tu te pro libera tendis ultro seruam reddere. Christiana clemen tia maxima ex parte submouit omnem illam ueterum seruitutem, nisi quod in paucis regionibus adhuc resi dēt uestigia. At inuentū est sub pretextu religionis, no uū seruitutis genus. Nihil ibi licebit, nisi ex præscripto: quicquid obuenerit tibi illis accrescet: si quò pedē mouc

In paucis regionibus. Nescit seruitutē nobilis illa merito dicta Frācia. In Vuesphalia et nonnullis Germaniæ partibus est adhuc seruorū genus. Venetiæ uenduntur Mauri & Mauræ uon aliter quam boues.

ris,

ris, retraheris è fuga, perinde quasi parẽtem ueneno ne caueris. Quoq; sit euidentior seruitus, cõmutant ueſtẽ, quã dedere parẽtes, & ad exemplum priscum eorũ, qui olim seruos essent mercati, commutant nomen in baptismo inditum, ac pro Petro, siue Ioãne, uocant Frãciscũ, aut Domunicum, aut Thomã. Petrus dedit nomẽ Christo, & Dominico initiandus, uocatur Thomas. Si militaris seruus abijciat ueſtẽ à domino datam, uidetur abdicasse dominum: & nos applaudimus illi, qui ueſtem accipit, quã Christus omnium dominus non dedit, & ob hanc mutatam grauius punitur, quàm si centies abijciat ueſtem Imperatoris ac domini sui, quæ eſt mentis innocentia. C A T. Atqui hoc ipsum aiunt eximij meriti, si quis se sponte dedat in hanc seruitutem. E V B. Ista uero doctrina phariſaica eſt. Paulus contra docet, ut qui liber uocatus sit, ne uelit fieri seruus, sed potius operam det, ut fiat liber. Atq; hoc infelicior eſt seruitus, quod et pluribus dominis tibi seruiendum sit, & incertis, ac sub inde nouis. Illud mihi responde. Emanciparuntne leges à iure parentum? C A. Nequaquam. E V B. Licét ne igitur tibi emere aut uendere fundum inuitis parentibus? C A T. Minime. E V. Vnde igitur tibi ius, ut te ipsam dedas neſcio quibus, inuitis parentibus? An non tu illis chariſsima, maximeq; propria es poſſeſsio? C A. In negocio pietatis ceſsant naturæ leges. E V B. Negocium Pietatis agitur in baptiſmo. Hic tantum agitur de ueſte mutanda, deq; genere uitæ, quod per se neq; bonum eſt, neque malum. Iam illud mihi conſidera, quantum commoditatum simul amittas cum libertate. Nunc tibi liberum

eſt

est in tuo cubiculo legere, orare, psallere, quantum & quando gratum est animo tuo. Quod si tædet cubiculi, licet audire cantiones ecclesiasticas, adesse sacris, audire sacras conciones, & si quam uideris matronam aut uirginem egregie probam, ex eius colloquio fieri meliorẽ: si quem uirum insigni probitate præditum, ex eo discere, quod te reddat meliorem. Licebit & concionatorem deligere, qui purissimæ Christũ doceat. Has res omneis, ex quibus præcipuus est profectus ad uerã pietatẽ, amittis semel addicta collegio. CATHA. Sed interim non ero monacha. EVB. Adhuc te mouent nomina? Rem ipsam perpendito. Illi iactant obedientiam. Num ea laus tibi deerit, si obedias parentibus tuis, quibus deus iubet obediri? si Episcopo tuo, & pastori tuo? num paupertatis, cum in parentum manibus sint omnia? Quãquam olim in sacris uirginibus præcipuæ laudabatur à sanctis uiris liberalitas in pauperes, eam præstare non poterãt, si nihil possidebant. Porrò castitati tuæ nihil decedet, etiam si uiuas apud parentes. Quid igitur superest? Velum, linea uestis, ex intima uersa in extimam, ceremoniæ quædam, quæ nihil faciunt ad pietatem, neq; quempiam commendant oculis Christi, qui spectat animi puritatẽ. CAT. Noua prædicas. EVB. Sed uerissima. Quum non sis emancipata à iure parentum, quum tibi ius non sit uẽdendi uestem aut agrum, quomodo tibi ius facis dedendi te in seruitutem alienam? CATHA. Ius parentum, ut aiunt, non impediti ingressum religionis. EVB. In baptismo nonne professa es religionem? CATH. Sum. EVB. Nonne religiosi sunt, quicunq; sequun

ſequuntur præcepta Chriſti? CAT. *Maxime.* EVB. *Quæ eſt igitur iſta noua religio, quæ facit irritũ, quod & naturæ lex ſanxit, & uetus lex docuit, & Euangelica lex cõprobauit, & apoſtolica doctrina confirmauit? Iſthuc decretum nõ eſt à deo proditũ, ſed in monachorum ſenatu repertum. Sic definiunt quidam & matrimonium eſſe ratum, quod inſcijs, aut etiam inuitis parentibus inter puerum & puellam per uerba de præſenti, ſic enim illi loquuntur, cõtractum eſt. Atqui iſtud dogma nec naturæ ſenſus approbat, nec ueterum leges, nec Moſes ipſe, nec Euangelica aut apoſtolica doctrina.* CAT. *An igitur putas mihi non eſſe fas nubere Criſto, niſi comprobantibus parentibus?* EV. *Iam, inquã, nupſiſti Chriſto, & illi nupſimus omnes. Quæ bis nubit eidem uiro? Tantum agitur de loco, de ueſte, de ceremonijs. Ob has res non arbitror eſſe contẽnendum ius parentum. Et uidẽdum eſt, ne dum paras nubere Chriſto, nubas alijs.* CAT. *At iſti prædicant nihil eſſe ſanctius, quã hic contẽnere parentes.* EV. *Ab iſtis igitur Theologis exige, ut proferant aliquem è ſacris libris locum, qui hoc doceat: quod ſi non poterunt, iubeto eos ebibere calicem uini Belnẽſis. Hoc poterunt.* CAT. *Damnas igitur hoc totum uitæ inſtitutum?* EVB. *Nequaquam. Verum quemadmodum nemini ſuadere uelim, ut quæ ſe in hoc uitæ genus coniecerit, luctetur emergere, ita non dubitem hortari puellas omneis, præſertim indolis generoſæ, ne ſe temere cò præcipitent, unde poſt ſeſe non poſſint explicare.* CA. *Vrges tu quidẽ multis ac magnis argumẽtis, tamẽ hic affectus meus eximi nõ poteſt.* EV.

Nubas alijs] Hoc dicit propter collegia uirginum, quæ nõ uiuũt iuxta regulã, in quibus nonnũquã prohdolor, una nubit multis.

Belna oppidũ i comitatu Burgũdiæ, unde uina laudatiſſima.

Si

Si non persuadeo, quod tamẽ optarim, saltẽ illud fac memineris, Eubulum monuisse. Interim pro meo in te amore precor, ut tuus iste affectus, felicior sit meo consilio.

EVBVLI, CATHARINAE.

E V B. *Tales ianitrices mihi semper optarim.* C A T. *Et ego semper tales pulsatores.* E V B V. *Sed uale Catharina.* C A T. *Quid ego audio? Valebo, prius quàm salueam?* E V. *Non huc ueni, ut te uiderem lachrymantẽ. Quid sibi uult, quod protinus mę cõspecto lacrymis suffusi sunt oculi?* C A. *Quò fugis? Mane, mane inquã, sumã alium ultum, & ridebimus affatim.* E V. *Quas aues hic uideo?* C A T. *Est illius collegij patriarcha. Ne subducito te, iam perpotarũt, accumbe paulisper, illo digresso, confabulabimur nostro more.* E V B. *Age obtẽperabo tibi, quæ mihi noluisti. Nunc soli sumus. Narra totum fabulam. Malim enim ex te cognoscere.* C A. *Ex tot amicis, quos putabam sapere plurimum, nunc sentio nullum fuisse, qui mihi prudentius ac senilius consiliũ dederit, quàm tu omnium natu minimus.* E V. *Dic, quomodo expugnasti parentum affectum?* C A. *Primum improbis hortatibus monachorum, ac monacharum, deinde etiã meis precibus ac blãdimentis labefactatus est matris animus. Pater nullo pacto quibat perpelli. Tandem oĩbus admotis machinis, & hic uictus, & oppressus est potius, quàm assensit. Id factum est inter pocula. Minitabãtur homini malum exitiũ, si Christo suam spõsam pernegaret.* E V. *O improbitatem stolidorum. Quid fit deinde?* C A. *Seruor triduo domi clàm. Interim semper aderant mulieres aliquot eius collegij, quas illi conuersas uocant,*

Eubulus, qũ bene consulit εὖ *bene* βουλὴ *cõsilium.*

uocãt, hortatibus ſuis addentes animũ, ut perſiſterem in ſancto propoſito, ac ſolicite cauentes, ne qua cognatarũ aut ſodalium adiret me, quæ mentẽ uideretur mutatura. Interim adornabãtur ueſtes, aliaq; quæ ad conuiuiũ atti nebant. E V B. Tibi quid interim erat animi? num uacil labas? C A. Non, ſed paſſa ſum quiddã tam horrẽdum, ut malim emori decies, quàm iterũ perpeti. E V. Quæ ſo, quid iſthuc erat? C A T. Non poſſum effari. E V B. Quod mihi dixeris, amico tuo dixeris. C A T. Promitis ſilẽtium? E V B. Id præſtaturus eram, etiam ſi nulla fuiſſes ſtipulata. Quaſi uero me nondum noris. C A. Ap paruit mihi ſpectrum horribili ſpecie. E V B. Is nimirum erat genius tuus malus, qui te eò inſtigabat. C A. Prorſus opinor fuiſſe cacodæmonem. E V B. Dic mihi quæ ſpecies erat? Eſt ne talis qualis pingitur? roſto adũco, longis cornibus, harpyiarum unguibus, prælõga cauda? C A T. Tu ludis. At ego malim mihi terram dehiſcere, quàm denuo tale uidere ſpectrum. E V. Interim aderant illæ mulieres hortatrices? C A T. Non, nec unquã illis indicaui, tametſi ualde ſciſcitantibus, quid eſſet mali, cum me totam exanimatam offenderent. E V B. Vis tibi dicam quid fuerit? C A T. Siquidẽ potes. E V. Illæ mulieres incãtauerant te, uel potius excantarant tibi cerebrũ. Sed interim tu perſiſtebas in ſententia? C A. Maxime, nã aiebãt id multis accidere, qui ſe cõſecrant Chriſto, uerũ ſi primo illo cõgreſſu ſuperetur tentator, poſt trãquilla fore oĩa. E V. Qua pompa producta es? C A. Adornãt me toto mũdo meo, demittũt capillos: itaq; nõ aliter quàm nuptura ſpõſo. E V. Craſſo monacho, hem, male

Craſſo monacho. Hoc dicit auerſus, & fingit tuſſim.

male sit huic tuſsi. CAT. *Ex ædibus paternis clara luce deducor ad collegium, multis ad ſpectaculum concurrentibus.* EVB. *O ſcitos hiſtriones, ut norunt agere ſuas fabulas ſimplici populo. Quot dies egiſti in illo ſancto uirginum collegio?* CAT. *Fermè duodecim.* EV. *Sed quæ res uerterat animum tuum, tam pertinacem?* CAT. *Non dicam quid ſit, ſed aliquid magni fuit. Poſt ſex ab ingreſſu dies, accerſo matrem, obteſtans, obſecrans, ſi me uiuam uellet, ut me eximeret ab eo collegio. Illa reluctatur animo meo, & hortatur ad conſtantiam. Poſt accerſo patrem. Ille etiam obiurgabat, addens ſe ægre uiciſſe ſuos affectus, ut uicißim nunc uincerem animum meum, nec hoc dedecus conciliarem ſibi, quod reſiliſſem ab inſtituto. Tandem ubi uideo me nihil proficere, reſpondeo parentibus, me ſi ita iubeant, in gratiam illorum morituram. Nam hoc mihi certum eſſe, niſi mature eximerer. Hoc audito reduxerunt domum.* EVBVL. *Bene habet, quod mature reſilieris, priuſquàm ſeruitutem æternam eſſes profeſſa. Sed nondum audio, quæ res mutarit animum tuum tam ſubito.* CATHAR. *Hoc nemo mortalium ex me ſcit hactenus, nec tu ſcies.* EVBVL. *Quid ſi diuinem?* CATHAR. *Nec diuinabis, ſat ſcio. Et ſi diuines, non dicam.* EVBV. *Tamctſi coniecto. Verum interim periit ſumptus.* CATH. *Pluſquàm quadraginta coronati.* EVBVL. *O comeſſatores. Gaudeo tamen periſſe pecuniam te nobis incolumi, poſt hac auſculta melioribus conſilijs.* CATHA. *Ita faciam, & cum piſcatore, icta ſapiam.*

Comos deus eſt luxus. Inde κωμάζειν, et Latine comeſſari, quod eſt geniáliter & cum luxu uiuere. Nõ enim dicitur à comedendo.

Icta ſapiã. Vide prouerbiũ, Piſcator ictus ſapit, ubi qs ſuo malo docius ſapit.

Digitized by Google

EVLALIA, XANTHIPPE.

SAlue multum exoptatißima mihi Xanthippe. X A. *Salue tantundē mihi charißima Eulalia. Videre mihi ſolito formoſior.* E V. *Itá ne ſtatim me ſcommate excipis?* X A N. *Non profecto, ſed ita mihi uideris.* E V L. *Fortaſſe noua ueſtis cōmendat formam.* X A N. *Recte coniectas. Nihil iamdiu uidi elegantius. Suſpicor pānum eſſe Britannicum.* E V L. *Lana Britannica eſt, tinctura Veneta.* X A N. *Mollicies byſſum ſuperat. Quàm uero blandus purpuræ color? Vnde tibi tam egregiū munus?* E V. *Vnde decet honeſtas matronas accipere, niſi à maritis ſuis?* X A N. *O te félicem, cui talis contigit ſponſus. At ego uellem me nupſiſſe fungo, quum meo nuberē Nicolao.* E V. *Quid ita quæſo te? tam cito male conuenit inter uos?* X A N. *Nec unquam conueniet cum tali. Vides quàm ſim pannoſa, ſic patitur uxorem ſuam incedere. Diſpeream niſi ſæpe pudet me prodire in publicū, cum uideo, quàm cultæ ſint aliæ, quæ multo pauperioribus nupſere maritis.* E V. *Matronarū ornatus nō eſt in ueſtibus, aut reliquo corporis cultu, quemadmodū docet* 1. Pet. 3. *diuus Petrus apoſtolus (nam id audiui nuper in concione) ſed in caſtis ac pudicis moribus, & in ornamētis animi. Meretrices coluntur oculis multorū. Nos ſatis cultæ ſumus, ſi placeamus uni marito.* X A. *Sed interim ille bonus uir, tam in uxorē parcus, ſtrenue prodigit dotē, quā ex me non mediocrē accepit.* E V. *Quibus rebus?* X A. *Quibus ipſi uiſum fuerit, uino, ſcortis, alea.* E V. *Bona uerba.* X A. *Atqui ſic res habet. Deinde quum mihi temulentus ad multam noctem redit domū, diu expectatus, deſtertit*

Fungos appellamus homines ſtultos ac nihili.

Digitized by Google

deſtertit noctem totam, nonnunquam & lectum conuo-
mens, ut ne quid addam. E V. *St, teipſam dehoneſtas,*
dum dehoneſtas maritum. X A N. *Emoriar niſi malim*
dormire cum ſcropha, quàm cum tali marito. E V. *Nõ*
tu tum excipis illum iurgio? X A N. *Ita ut dignus eſt,*
ſentit me nõ eſſe mutam. E V. *Quid ille contrà?* X A.
Initio reclamabat ſæuiſſime, credẽs fore, ut me ſæuis uer
bis protelaret. E V. *Nunquàm ne rixa incruduit uſque*
ad uerbera? X A. *Semel duntaxat eò incaluerat utrinq;*
contentio, ut minimũ res abfuerit à pugna. E V. *Quid*
ego audio? X A. *Librabat fuſtem, ſæuis interim clamo-*
ribus intonans, ac dira minitans. E V. *Non ibi metue-*
bas tu? X A N. *Imò uiciſſim ego corripiebam tripodẽ,*
ſi cõtigiſſet me digito, ſenſiſſet mihi non deeſſe manus.
E V. *Nouum clypei genus. Deerat colus lanceæ uice.*
X A N. *Senſiſſet ſibi cum uiragine rem eſſe.* E V. *Ab*
mea Xanthippe, non ita decet. X A N. *Quid decet? Si*
ille me non habet pro uxore, nec illum habitura ſum
pro marito. E V L. *At Paulus docet, uxores oportere* Ephe. 5.
ſubditas eſſe uiris cum omni reuerẽtia. Et Petrus nobis Coloſ. 3.
exemplũ proponit Saræ, quæ maritum ſuum Abraham 1. Pet. 3.
dominum appellabat. X A N. *Audiui iſta. Sed idẽ Pau*
lus docet, ut uiri diligant uxores ſuas, ſicut Chriſtus di-
lexit ſponſam ſuam eccleſiam. Meminerit ille officij ſui,
ego meminero mei. E V L. *Sed tamen ubi res in eum*
ſtatum deuenit, ut alteri cedendũ ſit, æquum eſt uxorem
marito cedere. X A. *Si modo ille maritus eſt appellan-*
dus, qui me habet pro ancilla. E V L. *Sed dic mihi mea*
Xanthippe, poſt deſijt minitare uerbera? X A. *Deſijt,*

St interiectio eſt innuens ſilẽtiũ. ſic enim docũ le gendũ cenſent illud ex Phormione Terẽtij, Nõ es obſecro quẽ ſemper te eſſe dicẽtaſti? Chr. St. Sophr. Quid has metuis fores? Quo loco pro St deprauatũ eſt, eſt.

& ſapuit, alioqui uapulaſſet. E V. Sed tu non deſiſti ri xari cum illo? X A N. Nec deſinã. E V. Quid ille interca? X A N. Quid? Nõnunquam dormit, ſomniũ homi nis, interdum nihil aliud quàm ridet. Aliquoties arripit teſtudinẽ, in qua uix tres habet fides, eam quantũ poteſt pulſans, mihi uociferãti obſtrepit. E V. Ea res male uerit te? X A N. Sic ut dici uix poßit. Aliquando uix tẽpero à manibus. E V L. Mea Xanthippe, permittis mihi, ut liberius loquar apud te? X A N. Permitto. E V L. Idẽ ius erit tibi apud me. Hoc certe poſtulat noſtra neceßi tudo, ab ipſis pẽnè incunabulis inter nos inita. X A. Ve ra narras, nec ulla ſodalium unquam charior fuit animo meo. E V. Qualis qualis eſt tuus maritus, illud cogita, non eſſe ius permutandi. Olim immedicabilibus diſidijs remedium extremum erat diuortiũ. Nunc hoc in totum ademptũ eſt. Vſq; ad extremũ uitæ diem ille tuus ſit ma ritus oportet, & tu illius uxor. X A N. Superi male fa xint, qui ius hoc nobis ademerũt. E V. Bona uerba. Sic uiſum eſt Chriſto. X A N. Vix credo. E V. Sic habet. Nũc nihil ſupereſt, niſi ut utrq; ad alterius mores & ingeniũ accõmodando ſeſe, cõcordiæ ſtudeatis. X A N. An ego poſſum illũ refingere? E V. Nõ minimum mo mẽti eſt in uxoribus, quales ſint mariti. X A. Pulchre cõ uenit tibi cum tuo? E V. Nunc trãquilla omnia. X A. Ergo turbarũ nonnihil erat initio? E V. Nihil unquam tempeſtatis, ſed tamẽ, ut fit inter homines, nonnunquam nubeculæ quædam oboriebantur, quæ poterant gignere tempeſtatem, niſi cõmoditate morum fuiſſet occurſum. Habet ſuos quiſq; mores, & eſt ſua cuiq; ſentẽtia: & ſi

uerum

uerum fateri uolumus, sunt sua cuiq; uitia, quæ si usquã, certe in matrimonio nouisse oportet, non odisse. XA. Recte mones: EV. Fit autẽ frequẽter, ut disiliat benevolẽtia mutua inter maritũ & uxorem, antequam alter alteri satis notus sit. Id est in primis cauẽdũ. Semel enim orta simultate ægre sarcitur gratia, præsertim si res ad atrocia cõuicia processerit. Quæ glutino cõmittuntur, si statim cõcutias, facile distrahuntur: cæterũ ubi siccato glutino semel cohæserint, nihil firmius. Proinde in initio nihil non faciendũ, ut inter uxorem & maritũ coalescat cõfirmeturq; beneuolẽtia. Id maxime fit obsequio, morumq; cõmoditate. Nam beneuolentia, quæ sola formæ gratia conciliatur, fermè tẽporaria est. XAN. Sed narra nobis, obsecro quibus artibus pertraxeris maritũ ad tuos mores. EV. Dicã in hoc, ut imiteris. XAN. Si queam. EV. Facillimũ erit, si uelis, nec adhuc serum est. Nam & ille iuuenis est, & tu puella, ac nondũ annus opinor expletus est à nuptijs. XAN. Vera prædicas. EV. Dicã igitur, sed tacituræ. XAN. Maxime. EV. Illa prima mihi cura fuit, ut in omnibus essem iucunda marito, ne quid esset, quod illius animũ offenderet, obseruabam affectum ac sensum illius, obseruabã & tempora, & quibus rebus deliniretur, quibus irritaretur, quemadmodũ facere solẽt ij, qui elephãtos ac leones curant, aut similia animantia, quæ ui cogi nõ possunt. XAN. Tale animal mihi domi est. EV. Qui adeunt elephãtos, nõ gestant uestem candidã: nec puniceã, qui tauros: quod his coloribus cõpertũ sit ea animãtia efferari. Quemadmodum & tigres tympanorum sonitu sic

Quæ si usquã, Allusit ad uersiculum prouerbialem, Mores amici noueris non oderis.

Antequã alter alteri. Hoc Plutarchus in præceptis cõnubialibus.

rubicundal Ubrose

agũtur in rabiẽ, ut ſcipſas dilaniẽt. Et qui tractãt equos, habẽt uoces, habẽt popiſmata, & paltum, aliaq; quibus ferocientes mitigent. Quãto magis decet nos his artibus uti erga maritos, quibus cum nobis uelimus nolimus per omnem uitam eſt tectum ac lectus cõmunis? X A. Perge quod cœpiſti. E V. His animaduerſis, attẽperabam me illi, cauẽs, ne quid offenſæ naſceretur. X A N. Qui nam id poteras? E V. Primum in cura rerum domeſticarũ, quæ peculiaris eſt prouincia matronarũ, aduigilabam: non ſolũ cauẽs, ne quid eſſet prætermiſſum, uerumetiã, ut omnia cõgruerent ad illius ſenſum, in rebus etiã minutiſſimis. X A N. Quibus? E V. Puta, ſi maritus hoc aut illo cibo peculiariter delectetur, ſi cibus placeat hoc aut illo modo coctus, ſi lectus hoc aut illo modo ſtratus. X A N. At quo pacto attemperares te ei, qui domi nõ eſſet, aut eſſet ebrius? E V. Mane, iſthuc ibam. Si quãdo maritus uidebatur admodum triſtis, nec eſſet appellãdi tẽpus, nequaquã ridebã ac nugabar, quẽadmodũ nõnullæ mulieres ſolẽt, ſed ſumebã & ipſa uultum ſubmœſtũ ac ſolicitum. Quẽadmodũ enim ſpeculum, ſi probũ eſt, ſemper reddit imaginẽ intuentis: ita decet matremfamiliãs ad affectum mariti cõgruere, ne ſit alacris illo mœrente, aut hilaris illo cõmoto. Quod ſi quãdo cõmotior erat, aut blando ſermone liniebam, aut ſilentio cõcedebam iracundiæ, donec ea refrigerata, tẽpus ſe daret, uel purgãdi, uel admonendi. Idem faciebam, ſi quando plus æquo potus redibat domũ. Nec id tẽporis, niſi iucunda loquebar illi. Tantum blanditijs pertrahebã ad lectum. X A N. Infelix uero uxorum conditio, ſi iratis ebrijs, & quicquid

Voces. Ad uocẽ hominis eg redduntur mitiores.

Popiſma ſonitus eſt, propemodum imitãs uẽtris crepitũ, qui fit ore aut manibus apte cõploſis nõ ſine humore. Autore Plin. Fulgetras adorare popiſmate gẽtium olim conſenſus erat; unde & illud Ariſtophanis: πρὸς ταῦτα ἐγὼ ταῦτα ἀποπαπαπαπαῖ. De Palpo Horati; Cui male ſi palpere, recalcitrat; palpari autem eſt uola leuiter percutere tergum equi ſe mouentis.

Refrigerata, id eſt, ubi refrixit ſiue deferbuit. Ita Fabius. Refrigerato inuentiõis autore. Sic & recãduiſſe dicitur ira.

Digitized by Google

& quicquid libet patrantibus maritis, tantum obsequen tur. E V. Quasi uero hoc non sit mutuum obsequium. Coguntur & illi multa ferre in moribus nostris. Est ta= men tempus, quum in re seria fas est uxori monere ui= rum, si quid est alicuius momenti, nam ad leuia præstat cõniuere. X A N. Quod tandem? E V. Quum erit ani mo uacuo, nec commotus, nec solicitus, nec potus, tum absq; testibus blande monẽdus, uel rogãdus potius, ut in hoc aut illo melius consulat rei, aut famæ, aut ualetudini suæ. Atq; hæc ipsa admonitio, leporibus ac facetijs erit condienda. Nõnunquam præfatione ab illo stipulari so leo, ne mihi succenscret, si quid stulta mulier admonerẽ, quod ad illius honorẽ, aut ualetudinem, aut salutẽ face= re uideretur. Vbi monuissem, quæ uolebã, amputaui ser= monem illũ, & ad alia iucundiora deflectebam. Est enim ferè hoc nostrũ uitium, mea Xanthippe, ut semel exor= sæ loqui, finem facere nequeamus. X A N. Aiunt. E V. Illud in primis cauebam, ne præsentibus alijs maritum obiurgarẽ, aut ne quid querelarum domo efferrem. Fa= cilius sarcitur, si quid inter duos cõmissum est. Quod si quid extiterit eius generis, ut nec ferri possit nec uxo= ris admonitione sanari, ciuilius est, ut uxor querelã defe rat ad parentes & cognatos mariti, quàm ad suos, & ita querelam tẽperet, ne uideatur odisse maritum, sed ui tium potius mariti. Nec tamen effutiat omnia, ut hic quoq; tacitus agnoscat, & amet uxoris ciuilitatẽ. X A. Philosopham esse oportet, quæ ista præstet. E V. Imò talibus factis maritos ad similem ciuilitatem inuitabimus. X A N. Sunt quos nulla ciuilitate corrigas. E V L.

Conniuere, id est quasi clausis oculis dissimu= lare te uiderẽ quod uides.

Digitized by Google

Equidē nō arbitror, ſed fac eſſe. Primū illud cogita, maritus ferendus eſt, qualis qualis eſt. Præſtabilius igitur eſt ferre uel ſuu ſimilē uel paulo cōmodiorē factū noſtra ciui litate, q̄ noſtra ſæuitia peiorē indies. Quid ſi proferam maritos, q̄ ſimili ciuilitate correxerūt ſpōſas ſuas? Quā to magis decet nos idē præſtare aduerſus maritos? XA. Narrabis igitur exēplū meo marito diſſimillimū. EV. Eſt mihi famuliaritas cū homine quodā nobili, docto, ſin gulariq; morum dexteritate. Is duxerat puellā uirginē, annos natā decē & ſeptē, ruri in parentū ædibus perpe tuo educatā, ut nobiles ferè gaudēt habitare ruri, ob ue natū & aucupiū. Rudē uolebat ille, quo facilius illā ad ſuos mores fingeret. Cœpit eam inſtituere literis ac mu ſica, paulatimq; aſſuefacere, ut redderet ea, quæ audiſſet in cōcione, cæteriſq; rebus formare, quæ poſt eſſent uſui futuræ. Hæc quoniā erāt noua puellæ, quæ domi ſuæ fue rat in ſummo ocio, & inter famulorū colloquia luſuſq; educata, cœperunt eſſe tædio. Detrectabat obſequium, & quum maritus urgeret, illa ſine fine flebat, nonnun quam & in terram abijciebat ſeſe, occipitiū illidens ſo lo, quaſi mortē optans. Earum rerum quum nullus eſſet finis, maritus diſſimulato ſtomacho, inuitabat uxorem, ut animi relaxandi gratia unà proficiſcerētur rus ad ædes ſoceri. Ibi lubens obtemperabat uxor. Eò quum uentum eſſet, maritus reliquit uxorē apud matrem & ſorores. Ipſe cum ſocero prodibat uenatū. Ibi ſubmotis teſtibus denarrat ſocero, ſe ſperaſſe iucundā uitæ ſociā, nūc habe re perpetuo lachrymātē ac ſeſe diſcruciātē, nec ullis mo nitis ſanabilē, orat, ut ſibi adſit in mēdēdo filiæ morbo.

Reddit qui ſoluit, reddit & diſcipulus quum recitat audita. Nam qui docet aut dictat quaſi credit mutuū.

Socer

Socer respondet se semel illi tradidisse filiã, quod si nõ obtemperaret uerbis, uteretur suo iure, & uerberibus eã emendaret. Tum gener. Noui, inquit, ius meũ, sed malim eã tua uel arte uel autoritate sanari, quàm ad hoc extremum remediũ uenire. Socer pollicitus est se curaturum. Post unum atq; alterũ diem captat tempus ac locum, ut solus esset cũ filia. Ibi uultu ad seueritatẽ cõposito, incipit cõmemorare, quàm illa esset infelici forma, quàm nõ amabilibus moribus, quàm sæpe metuisset, ne nullũ illi posset inuenire maritũ. Et tamen ego meo maximo labore, inquit, talem inueni tibi, qualẽ nulla nõ optaret sibi, quantũuis felix. Et tamen tu nõ agnoscẽs quid pro te fecerim, nec intelligens te talẽ habere maritũ, qui nisi esset humanissimus, uix te dignaretur habere in ancillarũ numero, rebellas illi. Ne longũ faciã. Sic incanduit patris oratio, ut uix uideretur manibus tẽperare. Est enim uir ingenio mire uafro, qui citra personã omnẽ, posset quãuis agere Comœdiam. Ibi puella partim metu, partim uerecundia cõmota, accidit ad patris genua, rogans ut præteritorũ uellet obliuisci, se in posterũ memorem fore officij sui. Ignouit pater, pollicitus se quoque fore patrem amantissimum, si quod polliceretur præstaret. XAN. Quid deinde? EVL. Puella digressa à colloquio parentis, redit in cubiculũ, offendit maritum solũ, accidit illi ad genua, & ait: Marite hactenus nõ noui neq; te neq; meipsam, posthac uidebis me aliã factã. Tantũ obliuiscere superiorũ. Hãc uocẽ maritus excepit osculo, & omnia pollicitus est, si illa persisteret eo animo. XAN. Quid? Perstitit? EV. Vsq; ad mortẽ, neq; quicquã erat tam hu-

Semel nõ refertur ad bis, sed declarat totum filiæ ius traditũ sponso.

Nam personati histriones agebant fabulas. Persona aũt est facies appositicia.

mule, quod illa non alacris ac uolens obiret uolente marito. Tantus amor inter eos natus est & cõfirmatus. Post annos aliquot, puella crebro sibi gratulata est, quod cõtigisset tali marito nubere, qui nisi contigisset, eram, inquit, omnium mulierum perditissima. XAN. Taliũ maritorum nõ minus rara est copia, quàm alborum coruorum. EVL. Iam si molestum nõ est, referam tibi quiddã, quod nuper accidit in hac ipsa ciuitate. XAN. Nihil est, quod agam, & perquã grata mihi est tua confabulatio. EVL. Est uir quidam non postremæ nobilitatis. Is, ut solet hoc hoïm genus, plerũq; uenabatur. Ruri incidit in puellam quandã pauperrimæ mulierculæ filiã. In eam cœpit deperire, homo iam prouectioris ætatis. Atq; huius gratia frequenter pernoctabat foris. Prætextus erat uenatio. Vxor huius, mulier insigni probitate, nescio quid suspicans, perueſtigauit furta mariti sui, & eo profecto nescio quò, adijt casam illam rusticanam. Expiscata est de toto negocio, ubi dormiret, unde biberet, quis esset apparatus cõuiuij. Nihil erat ibi supellectilis, sed mera paupertas. Abijt matrona domum, ac mox redijt, secum adducens lectum commodum, & apparatum, uasa aliquot argentea, addidit pecuniam, admonens, ut si quando rediret ille, tractarent eum ciuilius, dissimulans interim sese uxorem esse, ac sororem esse simulans. Post dies aliquot redit eò furtim maritus, uidet auctam supellectilem, & apparatum lautiorem. Rogat, unde is nitor insolitus. Aiunt matronam quandam honestam illi cognatam hæc aduexisse, ac mandasse, ut honestius posthac acciperetur. Ilico tetigit animũ illius suspicio

Acciperetur, tractaretur, quẽ admodũ bene habiti dicũtur. Ita Teren. Accipit hominẽ nemo melius.

suspicio, uxoris hoc esse factum. Reuersus domum, rogat, num illic fuisset, illa nõ negat. Rogauit & quo tandem consilio misisset eò supellectilẽ. Mi uir, inquit, assuetus es uitae commodiori. Videbam illic te durius accipi, putabam esse officij mei, ut quando ita tibi cordi est, lautius illic habereris. XAN. O matronam nimium bonã. Ego citius pro lecto sustrauissem illi fasciculum urticarum, aut tribulorum. EVL. Sed audi finem. Vir perspecta tanta probitate, tantaq; mansuetudine coniugis suae, nunquam deinde usus est furtiuo concubitu, sed domi semet oblectauit cum sua. Scio tibi notum esse Gilbertum Batauum. XAN. Noui. EV. Is, ut scis, florenti aetate, duxit uxorem iam prouectiorem ac uergenti aetate. XAN. Dotem fortasse duxit, non uxorem. EV. Sic est. Is fastidiens uxoris, adamabat mulierculã, cum qua se subinde oblectabat foris. Raro domi prandebat aut cœnabat. Quid tu hic eras facturus? XAN. Quid? Ego illi adamatæ inuolassem in capillos, & maritũ exeuntem ad illam perfudissem lotio, ut sic unctus iret ad conuiuiũ. EVL. At quanto haec prudentius? Inuitabat mulierculã domũ suam. Comiter accipiebat. Ita maritũ quoq; sine uenefícijs domũ pertraxit. Et si quãdo foris cœnabat cũ illa, misit eo missum aliquem elegantiorẽ, iubens ut suauiter uiuerent. XAN. Ego malim mori, quàm esse lena mei mariti. EV. Verũ interim rem ipsam expende. Nonne hoc multo satius erat, quàm si scuitia sua prorsus alienasset maritum, ac totam aetatem in iurgijs exegisset? XAN. Fateor minus esse mali, sed ego non possem. EV. Vnũ adijciã, atq; ita discedã ab exemplis. Hic uicinus noster, uir pro

Vergẽti ætate, inclinata ad senium. Sic ea uoce absolute usus est Sueton.

Inuolassem ĩ cæpillos. Sic pugnant mulieres sic Teren. Alio qui iuolare tõnũquam sonat furari, Catullus Huc redde pallium mihi meũ. quod inuolasti.

Perfudissem lotio. Id accidit Socrati; et olim loti unctiq; ibãt ad conuiuium.

Digitized by Google

uir probus, & integer, sed paulo iracundior, quodã die pulsauerat uxorem suã, fœmininam laudatißimã. Ea se recepit in intimũ cõclaue, atq; illic lachrymans atq; sin gultiens decoquebat animi ægritudinem. Aliquanto post per occasionẽ eodem ingressus est maritus. Reperit uxo rẽ flentẽ. Quid, inquit, hic lachrymas ac singultis, pue rorũ more? Tũ illa prudenter: Quid, inquit, an non hoc satius, ut hic deplorem malũ meũ, quàm si in uia uocife rer, quemadmodum solent aliæ mulieres? Hoc dicto tam uxorio, fractus ac uictus hominis animus, data dextra pol licitus est uxori, se posthac nunquã in illã coniecturum manus, nec fecit. XAN. Ego idem impetraui à meo di uersa ratione. EVL. Sed interim est inter uos bellũ per petuum. XAN. Quid igitur uelles me facere? EV. Pri mum mußanda est tibi omnis iniuria mariti, & animus illius officijs, comitate, mansuetudine, paulatim est conci liandus. Aut uinces tandẽ, aut certe multo commodiore utêris, quàm nunc uteris. XAN. Ille ferocior est, quàm ut ullis officijs mansuescat. EV. Eia, ne dixeris. Nulla est fera tam immanis, quin officijs cicuretur, ne desperes de homine. Fac periculũ menses aliquot. Me accusa, nisi sen seris consiliũ hoc tibi fuisse bono. Sunt etiam quædã uia tia, ad quæ tibi conniuendum est. Illud ante omnia tibi cauendum censeo, ne quid rixæ moueas in cubiculo, aut in lecto, sed curandum est, ut illic omnia sint festiua ac iucũda. Etenim si is locus, qui diluẽdis offensis, sarcien dæq; gratiæ cõsecratus est, lite aut ægritudine quapiã profanetur, iam sublatum est omne remedium beneuolen tiæ reconciliandæ. Sunt enim fœminæ quædam tam mo rosæ,

Mußanda, dissi mulanda, uel ta cite ferenda.

Sacra propha nari dicũtur, lectulus aũt locus est dicatus recõ cinnandæ bene uolentiæ. Hæc est sententia Plu tarchi in præce ptis coniugali bus.

Digitized by Google

rosæ, ut in ipso etiã coitu querantur ac rixentur, eamq; uoluptatem, quæ diluere solet ex animis uirorũ, si quid inerat molesti, morũ fastidio reddant insuauem, pharma cum ipsum uitiantes, cũ licuisset mederi offensis. XAN. Istud mihi frequenter accidit. EVL. Atqui tametsi semper est cauendũ uxori, ne qua re molesta sit uiro, tamen id maxime studere debet, ut in eo cõgressu se uiro præbeat modis ommibus cõmodam & iucundam. XAN. Viro. Mihi cũ beluares est. EV. Mitte male loqui, ferè'no stra culpa uiri mali sunt. Sed ut ad rẽ redeã, qui uersantur in priscis fabulis poëtarũ, narrant Venerem (eam faciunt deam cõnubij præsidem) habere cestũ arte Vulcani confectum. In eo intextũ esse quicquid est anatorij medicamenti, eo se cingit, quoties congressura est cũ marito. XAN. Fabulã audio. EV. Verũ, sed audi, quid sibi uelit fabula. XAN. Dic. EVL. Illud docet, uxorem omnẽ curam adhibere oportere, ut in cõgressu connubiali iucunda sit marito, quo recalescat ac redintegretur amor ille maritalis, & discutiatur ex animo, si quid erat offensionis aut tædij. XAN. Sed unde nobis cestus ille? EVL. Nihil opus ueneficijs aut incantamentis. Nullũ incantamentum efficacius, quàm morum probitas cum suauitate cõiuncta. XAN. Ego tali marito blandiri non possum. EVL. At hoc tua refert, ut desinat esse talis. Si Circes artibus posses maritũ uertere in suem, aut ursum, faceres? XAN. Nescio. EV. Nescis? An malles habere suem maritum, quàm hominẽ? XAN. Equidẽ malim hominẽ. EV. Age, quid si Circes artibus poßes ex temulẽto reddere sobriũ, ex prodigo frugalẽ, ex ceßatore diligentẽ, nonne faceres?

Cestum, id est, cingulum.

Digitized by Google

faceres? XAN. Planè facerem, sed unde mihi istæ artes? EVL. Atqui istas artes habes in te, si modo uelis adhibere. Tuus, uelis nolis, sit oportet. Quo meliorem eum reddideris, hoc magis consulueris tibi. Tu tantũ oculos habes defixos in illius uitia, eáq; tibi exaggerãt odiũ, & hac ansa tantũ arripis illum, qua teneri non potest. Illa potius contemplare, quæ bona sunt in illo, & hac ansa prehende illũ, qua teneri potest. Antequam illi nuberes, tempus erat expendendi, quid haberet malorum. Oportebat enim non oculis solũ, uerumetiã auribus maritum deligere. Nunc medendi tempus est, non accusandi. XAN. Quæ mulier unquam auribus cepit maritum? EVL. Oculis capit, quæ nihil aliud spectat, quàm corporis formam: auribus, quæ diligenter obseruat, quid fama de illo prædicet. XAN. Pulchre mones, sed sero. EVL. At non serum est studere corrigendo marito. Ad eã rẽ cõducet, si quid pignoris ex te natũ fuerit uiro. XAN. Iam natum est. EV. Quando? XAN. Iam pridem. EV. Quot menses sunt? XAN. Fermè septem. EVL. Quid ego audio? Tu nobis trimestris fœtus iocum renouas? XAN. Nequaquam. EVL. Ita necesse est, si tempus à nuptiarum die supputas. XAN. Imò ante nuptias fuerat mihi cum eo colloquium. EVL. An ex colloquio nascũtur pueri? XAN. Fortè solam nactus cœpit alludere, titillans axillas ac latera, quo me prouocaret ad risum. Ego non ferens titillationem, me resupinabam in lectũ, ille incumbens figebat oscula, nec satis scio, quid egerit præterea. Certe paucis post diebus uterus cœpit intumescere. EV. I nunc & maritum contemne, qui si lusitans gi

Et hac ansa. Epictetus scripsit unicuique rei duas esse ansas, alterã qua teneri possit; alterã qua nõ possit, significãs in una quaque re eã aliqd cõmodi, rursum aliqd incõmodi. Stultus arripit ansam malam, sapiens alteram. Huic itaq; nihil non tolerabile. pignus pro

Trimestris fœtus. Alludit ad puerbialẽ uersum q est apud Suetonium. τοῖς εὐτυχῶ σι ☾ ξείμενα πομπία.

tans gignit liberos, quid faciet, cũ ſerio rẽ aget? XAN. Suſpicor & nunc me grauidã eſſe. EVL. Euge, cõtigit felici fundo bonus cultor. XAN. Hac in parte plus præſtat, quàm uellem. EV. Iſta querela tibi cũ paucis uxoribus eſt cõmunis. Sed iam inter uos interceſſerat pactum connubiale? XAN. Interceſſerat. EV. Cuius ig tur pectum eſt. Eſt ne proles maſcula? XAN. Eſt. EVL. Illa uos rediget in gratiam, ſi tu uel paululũ temet accommodes. Quid alij prædicant de tuo marito, ſodales, & quibus cũ habet cõmercium foris? XAN. Prædicant eũ eſſe moribus cõmodiſsimis, comem, liberalem, amicũ amico. EVL. Et iſta mihi bonã ſpem faciunt, illum fore, qualẽ uolumus. XAN. At mihi uni talis non eſt. EVL. Sed tu te illi præbeto, qualẽ dixi, meq; pro Eulalia, uoca Pſeudolaliam, niſi tibi quoq; talis eſſe cœperit. Quin & illud cogita, illũ adhuc iuuenẽ eſſe, nondũ opinor egreſſum annos uiginti quatuor. Nondũ nouit, qd ſit eſſe patrẽ familiãs. Iam nõ eſt tibi cogitandũ de diuortio. XAN. At frequenter cogitaui. EV. Verum ea cogitatio ſi quãdo tibi inciderit in mentẽ: Primũ reputa tecũ, quàm nihil res ſit fœmina, diuulſa à uiro. Summũ decus matronæ eſt, morigeram eſſe ſuo cõiugi. Ita natura cõparatũ eſt, ita uoluit deus, ut mulier tota pendeat à uiro. Tantũ cogita, id qd' res eſt, maritus eſt, alius nõ poteſt obtingere. Deinde ueniat ĩ mentẽ puellus ille duobus cõmunis. Quid de illo ſtatues? Auferes tecũ? fraudabis maritũ ſua poſſeßiõe. Relinques apud illũ ſpoliabis teipſam eo, quo nihil habes ſicharius. Poſtremo dic mihi, habẽs ne, quæ tibi male uelint? XAN. Habeo nouercam germanã, præterea ſocrũ huic ſimili

Eulalia a bene loquẽdo nomẽ habet, pſeudolalia, a mendaci loquacitate.

Nouercam germanam, non de gente aut foro re ſentit, ſed germanã dixit ueram. Nouercarũ aũt eſt odiſſe priuignos.

Digitized by Google

similimam. EVL. Adeo tibi male uolunt? XAN. Cuperent extinctam. EV. Et istæ tibi fac ut in mentẽ ueniãt. Quid enim illis possis facere gratius, quàm si uideant te diutulsam à marito, uiduam, imò plus quàm uiduam uiuere? Nam uiduis licet alteri nubere. XAN. Equidẽ probo tuum consilium, sed tædet diutini laboris. EVL. At repu ta quantum laborum sumpseris: prius quàm hunc psitacũ docueris quædam humana uerba sonare. XAN. Plurimum profecto. EVL. Et piget operam sumere in fingendo marito, qui cum perpetuo suauiter degas ætatẽ? Quantum laboris sumunt homines, ut equum sibi cõmodum reddant? Et nos pigebit adlaborare, ut maritis utamur cõmodioribus? XAN. Quid faciam? EVL. Iam dixi. Cura, ut domi niteant omnia, ne quid sit molestiæ, quod illum exigat ex ædibus. Tu te illi comem præbe, semper interim memor reuerentiæ cuiusdam, quam uxor debet marito. Absit tristicia, sed absit & petulãtia. Nec putida sis, nec lasciua. Sit apparatus domi lautus. Nosti palatum mariti. Quod illi suauissimum est, id coquito. Quin etiam ijs, quos ille amat, comem & affabilem te præbeto. Hos frequenter ad cõuiuium uoca. In cõuiuio facito, ut læta plenáq; hilaritatis sint omnia. Denique si quando ille uino lætior pulsabit suam testudinem, tu uoce accinito. Sic assuefacies maritũ manere domi, & minues impensas. Sic enim ille cogitabit tandẽ: Næ ego insigniter insanio, qui foris magna rei famæq; iactura uiciitem cum scorto, quum domi habeam uxorem multo lepidiorem, meiq; amantiorem, apud quam nitidius ac lautius accipi liceat. XAN. An credis successurum, si tentem?

si tentẽ? EVL. *Me uide. Ad me recipio. Interim & maritum tuũ aggrediar, admonebo & illũ sui officij.* XA. *Laudo cõsiliũ. At uide, ne quid huius rei suboleat ipsi: misceret cœlum terræ.* EVL. *Ne metue. Ita per ambages temperabo sermonẽ, ut ipse mihi narret, quid inter uos sit turbarum. Hoc facto, meo more tractabo illum blandißime, & ut spero, tradam eum tibi cõmodiorẽ. De te per occasionem mentiar, quàm amanter de illo sis loquuta.* XAN. *Christus bene fortunet, quod agimus.* EVL. *Aderit, modo ne desis tibi.*

Miscere cœlũ terræ, de uehementi pertur batione dictum est prouerbiũ. Iuue. Licet & mare cœlo confundas, homo sum.

MILITIS ET CARTVSIANI.

SAlue mi frater. CAR. *Salue & tu germane charißime.* MIL. *Vix te agnosco.* CAR. *Adeó ne consenui intra biẽnium?* MIL. *Nõ, sed caput rasum, noua uestis faciunt, ut mihi uidearis aliud quoddam animal.* CAR. *Itáne non agnosceres uxorem tuã, si tibi occurreret induta noua ueste?* MI. *Nõ, si tali.* CAR. *At ego te probe agnosco, cui nõ solum uestis mutata est, uerũ etiam facies, totusq; corporis habitus. Quot coloribus pictus es? Nulla auis æque uariat plumas suas. Tum quàm omnia secta, quàm nihil iuxta naturam aut morẽ communem. Adde tonsum uerticem, barbam semiraſam, ſyluam quæ supra labrum superius est perplexã, nec aliter hinc & hinc prominentẽ, quàm solẽt in ſelibus pili longiores. Nec una cicatrix fœdauit uultum, ut Samius quißpiã literatus uideri posßis, de quo iocus est prouerbij.* MIL. *Sic decet redire è bello. Sed dic mihi, erat hic tanta bonorum medicorum inopia?* CAR. *Quamobrẽ?* MIL. *Quia nulli cõmiseris ſanandum cerebrum tuum*

Samius literatus, in cicatricosos prouerbiũ, uide Chiliades.

Digitized by Google

prius, quàm in hanc seruitutẽ te præcipitẽ dares. CA. *Ità ne uideor insaniße?* MIL. *Maxime. Quid erat ne-*
Sepeliri ante tempus. Alludit huc, cp dicuntur mundo mortui.
ceße hic te sepeliri ante tempus, quũ eßet unde cõmo-
de uiueres in mundo? CAR. *An nunc non uideor tibi*
in mundo uiuere? MIL. *Non per Iouem.* CAR. *Dic*
quam ob rem? MIL. *Quia nõ licet ambulare, quò ue-*
lis. Huic loco uelut caueæ includeris. Adde raßuram, ue-
ßtem prodigioßam, ßolitudinẽ, pißciũ perpetuum eßum, ut
mirer teipßum non uerti in pißcẽ. CAR. *Si uerterẽtur*
homines in omnia quibus ueßcuntur, tu iam pridẽ por-
cus eßes. Nam ßuilla ßoles delectari. MIL. *Nõ dubito,*
quin iam dudũ pœniteat te instituti: paucos enim com-
perio, quos nõ capiat pœnitudo. CA. *Hoc illis uſu ue-*
nit, qui ße in hoc uitæ genus uelut in puteũ præcipitãt.
Ego deßcendi ßenßim, & conßultò, prius explorato me
ipßo, perßpectáq; tota huius uitæ ratione, iam annos na-
tus uiginti octo, qua ætate ßibi quiſq; notus eße poteſt.
Quod ad locũ attinet, tu quoq; loco anguſto cõclude-
ris, ßi totius mundi conßideres amplitudinẽ. Nec refert,
quàm ßpatioßus ßit locus, modo nihil deßit ad uitæ com-
moditatem. Multi raro aut nunquam exeunt ciuitatem,
in qua nati ßunt. Qui ßi uetarentur exire, magnopere
ßibi diſpliceret, & inceßeret illis mira libido relin-
quendæ ciuitatis. Hic affectus uulgaris eßt, quo ego ca-
reo. Imaginor hic totum eße mundum, & hæc tabula
mihi totum terrarum orbem repræßentat, quem ego co
gitatione iucundius ßimul & tutius perambulo, quàm
is qui nauigauit ad nouas inßulas. MIL. *Hic tu prope-*
modum dicis uerum. CAR. *Raßuram damnare nõ po-*
tes, qui

Digitized by Google

tes, qui uolens tondearis, utiq; commoditatis gratia. Mihi rasura, si nihil aliud, certe reddit caput purius ac fortasse salubrius. Venetiæ quã multi patricij totũ etiã caput radunt? Quid autem habet prodigiosum uestis? Nonne tegit corpus? Ad duplicẽ usum adhibetur uestis, ut depellatur iniuria cœli, eaq; uelet, quæ pudor iubet tegi. An nõ hos usus præbet hæc uestis? Sed offendit color. Quis color magis decet omnes Christianos, quam is qui datus est omnibus in baptismo? Dictum est tibi quoq;: Accipe uestem candidã. Hæc itaq; uestis admonet me, quid promiserim in baptismo, nimirum innocentiæ perpetuũ studium. Porrò solitudinẽ si uocas turbæ fugam, hoc exemplũ est non nostrũ, sed ueterũ prophetarum, atq; etiã philosophorum ethnicorũ, & quibuscunq; bonæ mẽtis cura fuit: imò poëtæ, astrologi, ac similibus artibus dediti, quoties aliquid magni ac supra uulgus hominũ moliũtur, secessum quærere solẽt. Quur autem uoces hanc solitudinem? Vnius amiculi cõfabulatio pellit solitudinis tædium. Hic habeo sodales omnium rerũ, plus quàm sedecim. Ad hæc interrumpunt amici, cerebrus quàm uellem, aut expedit, & tibi uideor in solitudine uiuere? M I L. At non semper licet cum his confabulari. C A. Nec semper expedit. Atque hoc iucundior est cõfabulatio, quod uoluptatis gratiã augeat interrupta copia. M I. Non pessime cõiectas. Nam mihi quoq; suauiores sunt carnes, reuoluto pascha post quadragesimam. C A. Nec interim tamen quum maxime uideor solus, desunt mihi cõfabulones, longe festiuiores ac suauiores istis uulgaribus congerronibus. M I. Vbi sunt?

Interrupta copia. Iuuen. Voluptates cõmendat rarior usus.

Digitized by Google

CAR. Vides hic codicem Euangelicũ. In hoc mecũ fabulatur ille, qui olim additus facũdus comes in uia duobus discipulis proficiscẽtibus in Emauntẽ, effecit ut non sentirent itineris laborem, sed sentirent dulcißimũ cordis ardorem, inhiantes mellitis illius sermonibus. In hoc mihi loquitur Paulus, in hoc Esaias, cæteriq; prophetæ. Hic mecũ confabulatur dulcißimus ille Chrysostomus. Hic Basilius. Hic Augustinus. Hic Hieronymus. Hic Cyprianus, cæteriq; nõ minus eruditi, quã facundi doctores. An nosti ullos tam amœnos confabulones, quos cum his conferas? An in tali sodalitio, quod mihi nunquã nõ adest, reputas obrepere posse solitudinis tædium? MI. Mihi frustra loquerentur non intellecturo. CAR. Iam quid refert, quibus rebus hoc corpusculũ alatur, cui minimo satis fit, si iuxta naturam uiuamus. Vter nostrum habitior, tu qui uescris perdicibus, fasianis, & capis, an ego, qui uiuo piscibus? MIL. Si tibi esset uxor, ut mihi est, minus haberes succi. CA. Et ideo sufficit quilibet cibus & quãtumuis exiguus. MI. Sed interim agitas uitam Iudaicam. CA. Bona uerba, Christianam si nõ assequimur, certe sequimur. MI. In ueste, cibo, preculis cæteriq; ceremonijs ponitis fiduciã, neglecto studio pietatis Euangelicæ. CA. Quid alij faciant, nõ est meum iudicare. Ego his rebus nequaquã confido, minimumq; tribuo, sed in animi puritate & in Christo col loco fiduciam. MI. Cur igitur obseruas? CA. Vt mihi pax sit cũ fratribus meis, & ne cui quoquo modo sim offendiculo. Nolim autem offendere quẽquã ob huiusmodi res leuiculas, quas nihil est negotij seruare. Vt sumus

Digitized by Google

mus homines quacũq; ueſte tecti, minutiſsimarum etiam rerũ ſimilitudo aut diſsimilitudo cõciliat aut dirimit cõ cordiam. Raſum caput aut ueſtis color, non cõmendat me deo. Sed quid diceret populus, ſi comam alerem, aut tuam iſtam ueſtem ſumerem? Reddidi tibi rationem mei conſilij, nunc quæſo, ut mihi uiciſsim tui conſilij ratio= nem reddas, dicasq; ubi ceſſarint omnes boni medici, quum relicta domi uxore iuuencula & liberis, profici ſcereris in militiam, uili ſalario cõductus ad iugulandos homines, idq; tuã quoq; capitis periculo? Neq; enim tibi res erat cũ fungis aut papaueribus, ſed cum armatis uiris. Vtrũ uero putas infelicius, iugulare Chriſtianum hominẽ ob mercedulã à quo nunquã ſis læſus, an teipſum ſimul & corpus & animã in æternum exitiũ mittere? MIL. Fas eſt occidere hoſtẽ. CAR. Fortaſsis eſt, ſi impetat patriã tuã. Tum pium uideri poteſt, pugnare pro liberis & uxore, pro parẽtibus & amicis, pro aris & focis, pro trãquillitate publica. Quid iſtuc ad tuã militiam mercenariã? Ego, ſi periſſes in hoc bello, nõ redemiſſem animã tuã uitiosa nuce. MIL. Nõ? CAR. Non, ita me Chriſtus bene amet. Iam utrũ exiſtimas durius, obedire bono uiro, quem nos Priorẽ uocamus, qui uocet ad preces, ad ſacram lectionẽ, ad doctrinam ſalutarem, ad pſallendũ deo, an obedire barbaro cuipiã Centurioni, qui ſæpe magnis ac nocturnis itineribus uocet quò lubet, ac reuocet: qui bombardarum ictibus obijciat, qui iubeat te ſtare loco, aut occiſurum, aut occidendum? MI. Minus narras, quàm res habeat malorũ. CAR. Si quid ego deflexero à diſciplina huius

Fungi fragiles ſunt, & papaue= ra, ſolent deco= lari baculo.

Pro aris & fo cis, uerba ſunt hiſtoricis peculia ria. Per aram ſi= gnificant religio nem deorũ, per focũ rem dome= ſticam. Nam & focus ſacer erat latribus.

Digitized by Google

instituti, pœna est admonitio, aut aliud leue quiddam. Tibi si quid cõmittas aduersus leges imperatorias, aut pendendũ est, aut nudo inter intentatas in te lanceariũ cuspides eundũ. Nam plecti capite beneficiũ est. MIL. Non possum refragari ueris. CAR. Iam cultus iste satis indicat te non multum nummorum referre domum. MIL. Nummorũ mihi iam pridẽ ne pilus quidem fuit: Imò multum æris alieni cõflaui. Proinde huc deflexi, ut me instruas uiatico. CAR. Vtinã huc deflexisses, cum properares in sceleratã istã militiam. Sed unde tanta nu ditas? MIL. Rogas unde? Quicquid ex salario, quicquid ex prædationibus, sacrilegijs, rapinis, furtis parare licuit, id totũ absumebatur in uina, scorta & aleã. CAR. O te miserum. Et interim uxorcula, cuius gratia deus iussit relinqui patrem & matrem, domi mœrebat deserta cum paruis liberis. Et interea tibi uidebaris uiuere, in tantis miserijs, in tantis sceleribus? MIL. Hoc fallebat sensum malorũ, quod innumeros haberem malorũ socios. CAR. Quin illud uereor, ne uxor te nõ agnoscat. MIL. Qui sic? CAR. Quia sic cicatrices pinxerunt tibi nouam faciem. In fronte quam fossam habes? Videtur tibi exectum fuisse cornu. MIL. Imò si rem nosses gratulareris mihi hanc cicatricem. CAR. Quã ob rem? MIL. Minimo minus aberat, quin perierim. CAR. Quid erat mali? MIL. Cuidam tendenti rupta est balista chalybea, eius fragmentum insilijt in frontem. CAR. Et in bucca cicatricem habes palmo longiorẽ. MIL. Hoc uulnus accepi in pugna. CAR. Bellica? MIL. Non. Inter aleam ortum est dissidium. CAR. Iam & in men

Digitized by Google

in mento uideo nescio quid gemmarum. MI. Nihil est. CAR. Suspicor tibi contractam scabiem, quam uocāt Hispanicam. MI. Recte diuinas mi frater. Tertium ea laboraui usq; ad uitæ periculum. CAR. Vnde hoc mali accidit tibi, ut sic incuruus incedas, quasi esses nonagenarius, aut quasi messor quispiam, aut quasi delumbatus esses fuste? MI. Morbus ita contraxit neruos. CAR. Næ hic magnificam passus es metamorphosim. Antehac eras eques, nunc ex Centauro factus es animal semireptile. MIL. Hæc nimirum est alea Martis. CART. Imò hæc est insania tuæ mentis. Quas uero manubias uxori tuæ, liberisq; tuis referes domum? lepram? Nam ista scabies, nihil aliud est, quàm lepræ species. Nisi qd ideo non uitatur, quia multorum est communis, præcipuæ nobilium. At ob hoc ipsum magis debebat uitari. Nunc istud malum affricabis ijs, qui tibi debuerāt esse charissimi. Et ipse per omnem uitam putre cadauer circumferes. NI. Quæso te frater ut desinas, satis malorū est, etiam si non accedat obiurgationis molestia. CA. Quotam autem malorum partem commemoraui? Ista corporis duntaxat sunt. Iam animam uero qualem reportas, quanta scabie putrem, quot uulneribus sauciam? MIL. Tam puram refero, quàm est cloaca Parisijs in uia, quæ dicitur uulgo Maberti, aut latrina publica. CAR. Vereor ne multo peius oleat apud deū, & angelos eius. MIL. Sed iam rixæ satis est. Dic aliquid de sarciendo uiatico. CAR. Mihi nihil est quod dem, experiar quid uelit Prior. MIL. Atqui si quid daretur, essent tibi paratæ manus. Nūc multæ obstant difficulta-

tes, quando mumerandum est aliquid. CAR. Quid alij faciant ipsi uiderint, mihi nec ad accipiendum, nec ad dandum sunt manus. Verum de his à prandio. Nũc tempus monet, ut accumbamus.

Pseudocheus, fusor mẽdaciorum.

Philetymus, amãs ueritatis.

PSEVDOCHEI ET PHILETYMI.

VNDE tibi scatet tanta mendaciorũ uis? P S. Vnde suppetũt araneæ fila? P H. Nõ est igitur artis, sed naturæ? P S. A natura profecta sunt semina. Ars & usus auxere facultatẽ. P H. Non te pudet? P S. Nõ magis quã coccycẽ suæ cantionis. P H. At tibi in manu est mutare cantionẽ tuã, & in hoc est homini data lingua, ut uera prædicet. P S. Imò ut cõducibilia. At nõ semper expedit uera dicere. P H. Ita nõnunquã cõducit habere manus furaces. Et hoc uitiũ esse tuo cognatũ, testatur etiã populare proucrbium. P S. Vtrunq; uitium honestis nititur autoribus. Illud habet Vlyssem tantopere laudatũ ab Homero, hoc Mercurĩ etiam deum, si poëtis credimus. P H. Cur igitur uulgus execratur mendaces, fures etiã subiguntur in crucẽ? P S. Non ideo quod mentiantur, aut furẽtur, sed quod insscite mẽtiãtur aut furentur, uel quia præter naturã, uel quia non satis callentes artem. P H. Est ne scriptor quispiam, qui tradit artẽ mentiendi? P S. Bonã artis partem monstrauere tui rhetores. P H. Hi quidem tradũt artem bene dicendi. P S. Verum, sed bona pars bene dicendi est, scite mentiri. P H. Quid est scite mentiri? P S. Vis definiam? P H. Volo. P S. Est ita mentiri, ut lucro sit, nec deprehendi poßis. P H. At quotidie deprehendũtur multi. P S. Isti nõ sunt artifices absoluti. P H. Es igitur tu absolutus artifex? P S.

Propemo

Propemodum. P H. *Experire an mę poßis mentiẽdo fallere.* P S. *Et te quoque poßim uir optime, ſi libeat.* P H. *Dic igitur aliquod mendacium.* P S. *At iam dixi.* Non *deprehendiſti?* P H. Non. P S. *Age fac ſis attentus. Nunc incipiam mentiri.* P H. *Sum attentus, dic aliquid.* P S. *At iam iterum mentitus ſum, te non deprehendente.* P H I. *Equidem nihil adhuc audio mendacij.* P S. *Audiſſes, ſi calleres artem.* P H I. *Proinde commonſtra tu.* P S. *Primum appellaui te uirum optimum. An nõ iſthuc eſt infigne mendacium, quum ne bonus quidem ſis, & ſi bonus eſſes, optimus dici non poßis, quum ſint innumeri te meliores?* P H. *Hic planè fefelleras.* P S. *Iam fac periculum, an poßis alterum mendacium ex te deprehendere.* P H I. *Non poßum.* P S. *Hic deſidero ingenium, quod alibi præſtas.* P H. *Fateor, oſtende tu.* P S. *Quum dicerem: Nunc incipiam mentiri, nonne magnifice mentiebar, quum tot annos aſſueuerim mentiri, & paulo ante quàm hoc dicerem, eſſem mentitus?* P H I. *Mirum præſtigium.* P S. *Sed nunc ſaltem monitus arriges aures, ut deprehendas mentientem.* P H. *Arrexi. Dic.* P S. *Imò iam dictum eſt, & tu meum mendacium es imitatus.* P H. *Tu mihi perſuadebis, quod nec aures habeam, nec oculos.* P S. *Quum homini ſint aures immobiles, ut nec arrigi poßint, nec demitti, mentiebar te arrecturũ aures.* P H. *Talibus mendacijs plena eſt omnis hominum uita.* P S. Non *talibus tantum, ò bone. Nam hæc ludicra ſunt. Sunt quæ rem adferant.* P H. *Turpius eſt lucrum ex mendacio, quàm ex lotio.* P S. *Verum eſt, inquam, ſed ijs qui mentiendi neſciunt artem.* P H. *Quam igitur tu calles artem?*

Ex Iotio. Alludit ad Veſpaſian; dictum; Lucri bonus odor ex re qualibet. Nã is uectigal collegit ex lotio, re male olẽte, at non male olebat pecunia.

artem? P S. Non æquum est, ut te gratis doceam. Numera & audies. P H. Non emo malas artes. P S. Donas igitur gratis fundum tuum? P H. Non sic insanio. P S. At ego ex hac arte mea certiores capio fructus, quàm tu ex tuo fundo. P H. Manebit tibi ars tua. Tantum profer specimẽ, ut intelligam non omnino uanum esse, quod dicis. P S. Accipe igitur specimen. Multis multorum negocijs memet admisceo. Emo, uendo, recipio, sumo mutuo, accipio depositum. P H. Quid tum postea? P S. Atque hic potissimum capto eos, à quibus non facile deprehendar. P H. Quos? P S. Stupidos, obliuiosos, incogitantes, longe semotos, & mortuos. P H. Certum est, mortuos neminẽ redarguere. P S. Si quid cui uendo in diem, diligenter annoto in libellis rationum. P H. Quid deinde? P S. Vbi reddẽda est pecunia, plus imputo merciũ emptori, quàm acceperit. Is si incogitãs est, aut obliuiosus, mihi certũ est lucrum. P H. Quid si deprehendat? P S. Profero librum rationalem. P H. Quid si is doceat & euincat, se nõ accepisse, qd' imputas? P S. Reclamo quantum possum. Nam in hac arte prorsus inutilis est pudor. Deniq; extrema ancora est, ut aliquid cõminiscar. P H. Quid palàm deprehensus? P S. Nihil est facilius. Errauit famulus, aut ipse lapsus sum memoria. Scitũ est multas simul miscere rationes. Hic facilius est imponere. Exempli causa: Sunt quædam dispũcta, quod soluta sit pecunia. Sunt alia, pro quibus nihil numeratũ est. Hæc in posterioribus codicillis misceo, sic ut nihil dispungam. Vbi supputatur, contendimus, & uinco plerunq;, uel periurio. Est & hoc artis, ferè rationem ineo cum accincto

Specimẽ. i. gustum siue exemplum.

Extrema ancora, i. supremũ refugium. Vide uerb. de sacra ancora.

Digitized by Google

accincto ad iter & imparato. Nã mea mihi semper parata sunt. Deponitur aliquid apud me, seruo clàm apud me, nec reddo. Lõgũ est priusquàm resciscat ille, ad quẽ res missa est. Tandem si non licebit inficiari, dico mihi perisse, aut contendo me misisse, quod non misi, incuso aurigas. Postremo si uitare non possum, quin reddam, reddo accisum. PHI. Bella uero ars. PSE. Nonnunquam eodem nomine bis accipio pecuniam, si liceat. Primum domi, deinde illic quò proficiscor. Et nusquam nõ sum. Interim tempus inducit obliuionem. Confunduntur rationes. Aliquis moritur, aut suscipit longinquam peregrinationem, ut omnia pessimè cadant, saltem interim usus sum aliena pecunia. Nor. nullos etiam capto specie benignitatis, ut faueant mentienti, sed semper de alieno. De meo nec matri darem terũcium. Quanquam autem in singulis uideatur lucrum exiguũ, ex multis tamẽ (multis enim memet, ut dixi, miscco) nascitur aceruus haud quaquà pœnitendus. Porrò ne deprehendar, quum multæ sunt technæ, tum illa præcipua. Omneis omnium epistolas, quas possum intercipio, resigno ac lego. Si quid obfuturum suspicor, premo, aut si reddo, reddo suo tempore. Ad hæc inter longo semotos interuallo mendacijs meis sero simultatem. PHI. Quis istinc usus? PS. Geminus. Primum, si nõ præstatur, quod alterius nomine promisi, & quo nomine munus etiam accepi, nam fumos huiusmodi magno uendo, fingo per illum aut illum stetisse, quo minus perfectum sit. PHI. Quid si neget ille? PSEVD. Is procul abest, puta Basileæ. Ego polliceor in Anglia. Deinde fit, ut orta simultate neuter alteri

Eodẽ nomine. Nomẽ hic titulus est debiti; uti de & p debitoribus accipiunt nomina.

Fumos huiusmodi. Vide proverb. Fumos uẽdere.

Digitized by Google

Ficum ficũ, scapham. Græca uox ambigua est, sed opinor melius uerti per ligonẽ à σκά πτω, quod est fodio.

alteri credat, si quid incuser. Habes specimẽ artis. PH. At istam artẽ nos crassiores solemus uocare furtũ, qui ficum uocamus ficũ, & scapham scapham. P S. O homi nem iuris Cæsarei rudem. An licet intendere actionem furti ei, qui suppresit depositum, aut qui abiurat mutuum, aut simili techna imposuit? P H I. Oportuit. P S. Proinde uide prudentiam artificum. Ex his plus est lucri, aut certe tantundem, & minus est periculi. P H I. Male sit tibi cum tuis technis ac mendacijs. Non enim libet dicere uale. P S E. Tu ringere cum tua pannosa uerita te, ego interim suauiter agam cum meis furtis ac mẽdacijs, dextro Vlysse ac Mercurio.

Vlysse ac Mercurio. Vlysses ab Homero fingitur uafer ac mendax. Mercurius adfert lucrum, uafer & ipse ac furax.

NAVFRAGIVM.

ANTONIVS, ADOLPHVS.

ANT. Horrenda narras. Est isthuc nauigare? Prohibeat deus, ne mihi quicquam unquam tale ueniat in mẽtẽ. AD. Imò quod hactenus memorani lusus merus est, præ his quæ nunc audies. ANT. Plus satis malorũ audiui: inhorresco te memorante, quasi ipse periculo interfim. ADO. Imò mihi iucundi sunt acti labores. Ea nocte quiddã accidit, qd magna ex parte spem salutis admit nauclero. AN. Quid obsecro? AD. Nox erat sublustris, & in summo malo stabat quidã è nautis in galea, sic enim uocãt opinor, circũspectãs, si quã terrã uideret. Huic cœpit assistere sphæra quædã ignea. Id nautis tristissimũ ostentũ est, si quãdo solitarius ignis est: felix, quũ gemini. Hos uetustas credidit Castorẽ & Pollucẽ. AN. Quid illis cũ nautis, quorũ alter fuit eques, alter pugil? AD O. Sic uisum est poëtis, Nauclerus qui

Horrenda narras. Ex abrupto incipit colloquiũ more comœdiarum.

Nox erat sublustris, quæ nõnihil habebat lucis.

Castorem & Pollucẽ, Vide Plin. lib. 2. cap. 37.

clauo

clauo aßidebat: Socie, inquit (nam eo nomine se mutuo compellant nautæ) uidés ne, quod sodalitium tibi claudat latus? Video, respondit ille, & precor, ut sit felix. Mox globus igneus delapsus per funes deuoluit sese usq; ad nauclerum. A N T. Num ille exanimatus est metu? AD. Nautæ assueuere mõstris. Ibi pauliſper cõmoratus uoluit se p margines totius nauis. Inde per medios foros dilapsus euanuit. Sub meridiẽ cœpit magis ac magis increscere tẽpestas. Vidisti ne unquã Alpes? A N. Vidi. A D. Illi montes uerrucæ sunt, si conferãtur ad undas maris. Quoties tollebamur in altum, licuisset lunam digito cõtingere: quoties demittebamur, uidebamur deh iscente terra rectà ire in tartara. A N. O insanos, qui se credunt mari. A D. Nautis frustra luctantibus cũ tempestate, tandem nauclerus totus pallens nos adijt. A N. Is pallor præsagit aliquod magnum malum. A D. Amici, inquit, desij esse dominus nauis meæ. Vicere uenti, reliquum est, ut spem nostram collocemus in deo, et quisq; se paret ad extrema. A N. O uere Scythicam concionem. A D. In primis autem, inquit, exonerãda est nauis. Sic iubet necessitas, durum telum: præstat consulere uitæ dispẽdio rerum, quàm simul cũ rebus interire. Persuasit ueritas: proiecta sunt in mare plurima uasa, plena precio sis mercibus. A N. Hoc erat uere iacturam facere. A D. Aderat Italus quidã, qui legatũ egerat apud regem Scotiæ. Huic erat scrinũ plenũ uasis argẽteis, anulis, pãno, ac uestimentis fericis. A N. Is nolebat decidere cũ mari? A D. Non, sed cupiebat aut perire cum amicis opibus suis, aut simul cũ illis seruari. Itaq; refragabatur.

Claudat latus, id ẽ, astet lateri. Sic Horat. Ut ne tegã spurco Damæ latus?

Fori sunt tabulata nauis acuelluti tectum.

Verrucæ, id est turbercula. Sic Cato ni fallor, collem Verrucam appellauit.

Scythicã cõcionẽ, id est, durã, uide proberbiũ σκυθῶν χεῖρις.

Durum telum. Alludit ad illud Plinij Maximũ telũ necessitas; rursum ad illud, τῇ ἀνάγκῃ οὐδὲ οἱ θεοὶ μάχονται.

Iacura dãnum est, & iacturã facere dicitur, qũs dãno afficit, hic erat uera iacura a iaciẽdo dicta.

Decidere ẽ pacisci portiõe rerũ, ut reliqua maneãt salua.

Amicis opibus, pro adamatis.

AN.

Digitized by Google

A N. Quid nauclerus? A D. Per nos, inquit liceret tibi cũ tuis perire solũ, sed æquũ non est, ut nos oẽs tui scrinij causa periclitemur. Alioqui te unà cũ scrinio dabimus in mare præcipitẽ. A N. Orationẽ uere nauticam.

Vere nautica.

Semper nautæ fingũtur immanes. Quale est elementum tales sunt & illi.

A D. Sic Italus quoq; iacturã fecit, multa mala precans & superis & inferis, qd̃ suã uitã elemẽto tam barbaro credidisset. A N. Agnosco uocẽ Italicã. A D. Paulopost uẽti nihilo mitiorẽs facti nostris muneribus, rupere funes, disiecere uela. A N. O calamitatem. A D. Ibi rursus nos adit nauta. A N. Cõcionaturus? A D. Salutat: Amici, inquit, tẽpus hortatur, ut unusquisq; deo se cõmẽdet, ac morti se præparet. Rogatus à quibusdam nauticæ rei nõ ĩperitis, ad quot horas se crederet posse tueri nauẽ, negauit se posse polliceri quicquã, sed ultra tres horas nõ posse. A N. Hæc cõcio durior etiã erat priore. A D. Hæc ubi loquutus est, ubet ĩcidi funes oẽs, ac malũ usq; ad thecã, cui inseritur, incidi serra, ac simul cũ antẽnis deuolui in mare. A N. Cur hoc? A D. Quoniã sublato aut lacero uelo, erat oneri nõ usui, tota spes erat in clauo. A N. Quid interea uectores? A D. Ibi uidisses miserã rerũ faciẽ, nautæ canẽtes Salue regina, implorabant matrẽ uirginẽ, appellantes eã stellam maris, reginã cœli, dominã mundi, portam salutis, alijsq; multis titulis illi blandientes, quos nusquam illi tribuunt sacræ literæ. A N T. Quid illi cum mari, quæ nunquã opinor nauigauit? A D. Olim Venus agebat curam nautarũ, quia nata credebatur ex mari. Ea quoniã desijt curare, suffecta est huic matri nõ uirgini, uirgo mater. A N T. Ludis. A D. Nonnulli procumbentes in tabulas adorabant ma-

Vocẽ Italicã.

Nam Itali magno stomacho barbarũ uocãt, quicquid est peregrinum.

Calamitatẽ, quod est culmorũ, trahit ad instrumẽta nauis.

re,

Digitized by Google

re, quicquid erat olei effundētes in undas, non aliter illi blādientes, quàm solemus irato principi. ANT. Quid aiebant? AD O. O clementißimum mare, ô generosißimum mare, ô ditißimū mare, ô formosißimum mare, miteſce, ſerua. Huiuſmodi multa occinebant ſurdo mari. AN. Ridicula ſuperſtitio. Quid alij? AD O. Quidam nihil aliud quàm uomebant, plerique uota nuncupabāt. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos uirgini Vualſangamicæ, ſi uiuus attigiſſet terram. Alij multa promittebāt ligno crucis, quod eſſet in tali loco, alij rurſum quod eſſet in tali loco. Idē factū eſt de Maria uirgine, quæ regnat multis in locis, & putāt uotum irritum, niſi locum exprimas. ANT. Ridiculum, quaſi diui nō habitent in cœlis. AD. Erant, qui ſe promitterēt fore Cartuſianos. Erat unus, qui polliceretur ſe aditurū diuum Iacobū, qui habitat Compoſtellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantū lorica ferrea tecto, ad hæc cibo emendicato. AN. Nemo meminit Chriſtophori? AD. Vnū audiui nō ſine riſu, qui clara uoce, ne non exaudiretur, polliceretur Chriſtophoro, qui eſt Lutetiæ in ſummo tēplo, mons ueruus quā ſtatua, cereū tantum, quātus eſſet ipſe. Hæc quū uociferās, quantum poterat, idētidē inculcaret, qui fortè proximus aßiſtebat illi notus, cubito tetigit eū, ac ſubmonuit: Vide quid polliceaeris, etiā ſi rerū oīm tuarū auctionē facias, non fueris ſolueundo. Tū ille uoce iam preßiore, ne uidelicet exaudiret Chriſtophorus: Tace, inquit, fatue: an credis me ex animi ſentētia loqui? Si ſemel contigero terrā, nō daturus ſum illi cādelam ſebaceam. AN. O craſſum ingenium, ſuſpicor

Quicquid erat olei. Ea natura eſt olei, ut lucē adferat ac tranquillet oīa, etiā mare, quo non aliud elementū implacabilius.

Auctionē. uēditionis genus, in quo a licitantibus intenditur pretium.

Batauum, uulgari ioco Batauí dicitur crassi.

cor fuisse Batauum. A D O. Nõ, sed erat Zelãdus. AN. Miror nulli in mentẽ uenisse Paulum apostolũ, qui ipse olim nauigarit, et fracta naui desilierit in terrã. Is enim haud ignarus mali, didicit miseris succurrere. A D. Pauli nulla erat mentio. A N. Precabantur interim? A D O. Certatim. Alius canebat Salue regina, alius Credo ĩ deũ. Erãt qui peculiares quasdã preculas habebãt, nõ dissimiles magicis, aduersus pericula. A N. Vt afflictio facit religiosos. Rebus secundis nec deus, nec diuus quisquã nobis uenit in mentẽ. Quid tu interea? Nulli diuorum nuncupabas uota? A D. Nequaquam. A N T. Cur ita? AD. Quia nõ paciscor cũ diuis. Quid est enim aliud, quã cõtractus iuxta formulã? Do, si facias: aut, faciam, si facias. Dabo cereũ, si enatem. Ibo Romã, si serues. A N T. At implorabas alicuius diui præsidium? A D O. Ne id quidẽ. A N. Quamobrem autem? A D. Quia spacioſum est cœlum. Si cui diuo commendaro meam salutem, puta sancto Petro, qui fortasse primus audiet, quod adstet ostio, prius quàm ille conueniat deũ, prius quàm exponat causam, ego iam periero. A N. Quid igitur faciebas? A D. Rectà adibam ipsum patrem, dicens: Pater noster qui es in cœlis. Nemo diuorũ illo citius audit, aut libẽtius donat, qd' petitur. A N. Sed interea nõ reclamabat tibi cõscientia? Nõ uerebaris appellare patrẽ, quem tot sceleribus offenderas? A D. Vt ingenue dicam, deterrebat nonnihil conscientia, sed mox recipiebam animum, ita mecũ cogitans: Nullus est pater tam iratus filio, quin si uideat eum periclitantem in torrente, aut lacu, capillis arreptũ eiiciat in ripam. Inter omneis nullus se tranquillius agebat,

agebat, quàm mulier quædã, cui erat infantulus in ſinu, quem lactabat. ANT. Quid illa? ADO. Sola nec uociferabatur, nec flebat, nec pollicitabatur. Tantũ complexa puellũ, precabatur tacite. Interea dum nauis ſubinde illideretur uado, nauclerus metuens, ne tota ſolueretur, rudẽtibus eam cinxit à prora & à puppi. AN. O miſera præſidia. AD. Interim exoritur quidã ſacrificus, ſenex, annos natus ſexaginta, nomẽ erat Adamus, is abiectis ueſtibus uſq; ad induſiũ, abiectis etiã ocreis, & calceis, iußit, ut omnes itidẽ pararemus nos ad natãdũ. Atq; ita ſtãs in medio nauis, cõcionatus eſt nobis ex Gerſone quinq; ueritates de utilitate cõfitẽdi, hortatus omneis, ut ſe q̃ſq; præpararet & uitæ & morti. Aderat & Dominicanus quidã. His cõfeßi ſunt, qui uolebãt. AN. Quid tu? AD. Ego uidẽs omnia plena tumultus, tacite cõfeßus ſum deo, dãnãs apud illũ meã iniuſtitiã, & implorãs illius miſericordiã. AN. Quò migraturus ſi ſic periſſes? AD. Hoc cõmittebã iudici deo. Neq; enim uolebã eſſe mei ipſius iudex. Tamẽ bona quædã ſpes interim habebat animũ meũ. Dum hæc agũtur, redit ad nos nauta lachrymabũdus: Paret, inquit, ſe quiſq;, nam nauis nõ erit nobis uſui ad quartã horæ partẽ. Iam enim locis aliquot cõuulſa hauriebat mare. Paulopoſt nauta renũciat nobis, ſe uidere procul turrim ſacrã, adhortãs, ut diui, quiſq; eſſet eius tẽpli præſes, auxiliũ imploraremus. Procũbũt omnes, & orãt ignotũ diuũ. AN. Si nomine cõpellaſſetis eum, audiſſet. AD. Erat ignotum. Interim nauclerus quantũ poteſt eò nauim dirigit iam lacerã, iam undiq; cõbibentem undas, ac planè dilapſurã, ni rudẽtibus

fuiſſet ſubcincta. ANT. Dura rerum cõditio. AD. Eò prouecti ſumus, ut eius loci incolæ proſpicerent nos pe riclitantes. Ac procurrentes cateruatim in extremũ lit= tus, ſublatis togis & galeris in lãceas, inuitabãt ad ſeſe, ac iactatis in cœlũ brachijs, ſignificabant ſe deplorare noſtram fortunam. AN. Expecto quid euenerit. AD. Iam mare totã nauim occuparat, ut nihilo tutiores eſſe= mus futuri in naui quàm in mari. AN. Hic ad ſacrã an= coram confugiendũ erat. ADO. Imò ad miſerã. Nautæ ſcapham exonerant aqua, ac demittũt in mare. In hanc omnes ſeſe conãtur cõijcere, nautis magno tumultu re= clamãtibus, ſcaphã nõ eſſe capacẽ tantæ multitudinis: ar riperet ſibi quiſq;, quod poſſet, ac nataret. Res non pa= tiebatur lẽta cõſilia, alius arripit remũ, alius contũ, alius alueũ, alius ſitulam, alius tabulam, ac ſuo quiſq; præſidio nitẽtes, cõmittunt ſe fluctibus. AN. Quid interim acci dit illi mulierculæ, quæ ſola nõ eiulabat? AD. Illa omniũ prima peruenit ad littus. AN. Qui potuit? AD. Impo ſueramus eam repandæ tabulæ, & ſic alligaueramus, ut nõ facile poſſet decidere. Dedimus illi tabellã in manũ, qua uice remi uteretur. Ac bene precãtes expoſuimus in fluctus, conto protrudentes, ut abeſſet à naui, unde erat periculũ. Illa læua tenens infantulũ, dextra remigabat. AN. O uiraginẽ. AD. Quũ iam nihil ſupereſſet, qui= dam auulſit ligneã ſtatuã uirginis matris, iam putrẽ atq; excauatam à ſoricibus, eamq; complexus cœpit natare. AN. Scapha peruenit incolumis? AD. Nulli prius pe= riere. Porrò triginta ſeſe in eam cõiecerant. AN. Quo malo fato id factum eſt? AD. O. Prius quàm poſſet ſe liberare

liberare à magna naue, illius uacillatione subuersa est. A N. O factum male. Quid tum? A D. Ego dum alijs consulo, penè perieram. A N. Quo pacto? A D. Quia nihil supererat aptũ natationi. A N. Illic subera fuissent usui. A D. In eo rerum articulo, maluissem uile suber, quàm candelabrũ aureum. Circumspiciẽti, tandem uenit in mentem de ima mali parte. Eam quoniam solus eximere nõ poteram, ascisco socium. Huic ambo innixi, cõmittimus nos mari: sic ut ego dexterũ cornu tenerem, ille læuum. Dum sic iactamur, sacrificus ille cõcionator nauticus, mediũ iniecit se in humeros nostros. Erat autem ingenti corpore. Exclamamus, quis ille tertius? Is perdet nos omneis. Ille cõtra placide: Sitis, inquit, bono animo: sat spacij est, deus aderit nobis. A N T. Cur ille tam sero cœpit esse natator? A D. Imò futurus erat in scaphula una cum Dominicano. Nam omnes hoc honoris illis deferebãt, sed quanquã erant inuicẽ cõfessi in naui, tamen obliti, nescio quid, circunstantiarum, rursus ibi in ora nauis confitẽtur, & alter alteri manum imponit, interim scapha perit, nam hæc mihi narrauit Adamus. A N. Quid actum de Dominicano? A D O. Is ut idem narrabat, implorata diuorũ ope, abiectis uestibus, nudum se cõmisit natationi. A N. Quos diuos inuocabat? A D. Dominicum, Thomam, Vincentiũ, & nescio quem Petrum, sed in primis fidebat Catharinæ Senensi. A N T. Christus illi nõ ueniebat in mentẽ? A D. Ita narrabat sacrificus. A N. Melius enatasset, si nõ abiecisset sacram cuculla. Ea depositã, qui potuit illũ agnoscere Catharina Senẽsis? Sed perge narrare de te. A D. Dum adhuc uol

Digitized by Google

ueremur iuxta nauim arbitrio fluctuum huc & illuc se uoluentem, clauus illisus fregit fœmur eius, qui tenebat læuum cornu. Sic ille reuulsus est, sacrificus precatus illi requiem æternã, successit in locũ illius, adhortãs me, ut magno animo tuerer cornu meũ, ac strenue mouerẽ pedes. Interim potabamus multũ aquæ salsæ. Adeo Neptunus nobis nõ balneum tantũ salsum, sed potionẽ etiã salsam tẽperarat. Quãquam sacrificus ei rei mõstraret remediũ. A N. *Quod obsecro?* A D. *Quoties unda nobis occurreret, ille opposuit occipitiũ, ore clauso.* A N. *Strenuũ senem mihi narras.* A D. *Vbi iam aliquãdiu sic natantes nõnihil promouissemus, sacrificus quoniã erat miræ proceritatis: Bono, inquit, es animo, sentio uadum. Ego nõ ausus tantũ sperare felicitatis, lõgius, inquã, absumus à littore, q̃ ut uadũ sperandũ sit. Imò, inquit, sentio pedibus terrã. Est, inquã, fortassis è scrinijs aliquod, quod huc deuoluit mare. Imò, inquit, scalptu digitorum planè sentio terrã. Quum adhuc aliquandiu natassemus, ac rursus sentiret uadũ: Tu fac, inquit, quod tibi uidetur factu optimũ, ego tibi cedo malum totum, & uado me credo, simulq; expectato fluctuũ decessu, pedibus sequutus est, quanto potuit cursu. Rursus accedentibus undis, utraq; manu cõplexus utrũq; genu, obnitebatur fluctui, occultans sese sub undis, quẽadmodum solent mergi & anates. Rursus abeunte fluctu, promicabat & currebat. Ego uidẽs hoc illi succedere, sum imitatus. Stabãt in harena, qui porrectis inter se prælõgis hastilibus fulciebãt sese aduersus impetũ undarum uiri robusti, & fluctibus assueti, sic ut ultimus hastam porrigeret annatanti. Ea*

contacta,

Digitized by Google

contacta, omnibus in littus se recipiẽtibus, tutò pertrahebatur in siccum. Hac ope seruati sunt aliquot. ANT. Quot? ADO. Septem, uerũ ex his duo soluti sunt tempore, admoti igni. ANT. Quot eratis in naui? ADO. Quinquaginta octo. ANT. O sæuum mare, saltẽ decimis fuisset cõtentum, quæ sufficiunt sacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit. ADO. Ibi experti sumus incredibilem gẽtis humanitatem, omnia nobis mira alacritate suppeditantis, hospitium, ignem, cibum, uestes, uiaticum. ANT. Quæ gens erat? RDO. Holladica. ANT. Ista nihil humanius, quum tamen feris nationibus cincta sit. Nõ repetes opinor posthac Neptunum. AD. Non, nisi mihi deus ademerit sanã mentem. AN. Et ego malim audire tales fabulas, quàm experiri.

DIVERSORIA.

BERTVLPHVS, GVILIELMVS.

BER. Cur ita uisum est pleriſq; biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus nõ conquiesco, donec peruenero quò constitui. GVIL. Imò ego admiror, quenquam illinc auelli posse. BERT. Quamobrem tandem? GVIL. Quia illic locus est, unde non poterant auelli socij Vlyssis, illic Sirenes. Nemo domi suæ tractatur melius, quàm illic in pandocheo. BER. Quid fit? GVIL. Ad mensam semper astabat aliqua mulier, quæ conuiuium exhilararet facetijs ac leporibus. Et est illic mira formarum felicitas. Primum adibat materfamiliãs, quæ salutabat, iubens nos hilares esse, & quod apponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia, mulier elegans, moribus ac lingua adeo fe-

ſtiuis, ut poſsit uel ipſum Catonẽ exhilarare. Nec conſũ bulantur ut cum hoſpitibus ignotis, ſed ueluti cum olim notis ac familiaribus. BER. Agnoſco Gallicæ gẽtis hu manitatẽ. GVI. Quoniam autẽ illæ nõ poterant adeſſe perpetuo, quod eſſent obeunda munia domeſtica, reli= quiq; cõuiuæ conſalutandi, cõtinenter adſtabat puellula quædã ad omneis iocos inſtructa. Vna ſatis erat omniũ iaculis excipiendis. Hæc ſuſtinebat fabulã, donec rediret filia. Nam mater erat natu grãdior. BER. Sed qualis erat tandẽ apparatus? Nam fabulis non expletur uẽter. GVI. Profecto lautus, ut ego mirer illos tam uili poſſe accipere hoſpites. Rurſus peracto cõuiuio, lepidis fabulis alunt hominẽ, ne quid obrepat tædij. Mihi uidebar domi eſſe, nõ peregre. BER. Quid in cubiculis? GVI. Illic nuſquam nõ aderãt aliquot puellæ, ridẽtes, laſciuientes, luſitantes. Vltro rogabant, ſi quid haberemus ueſtiũ ſor didarũ. Eas lauabant, ac lotas reddebant. Quid multis? Nihil illic uidimus præter puellas ac mulieres niſi in ſtabulo, quanquã & huc frequẽter irrũpebant puellæ. Abeũtes ita cõplectuntur, tantoq; affectu dimittũt ac ſi fratres eſſent omnes aut propinquæ cognationis. BER. Fortaſsis iſti mores decent Gallos, mihi magis arrident Germaniæ mores, utpote maſculi. GVI. Mihi nũquam cõtigit uidere Germaniam. Quare te quæſo, ne grauere cõmemorare, quibus modis accipiant hoſpitẽ. BER. An ubiq; ſit eadem tractandi ratio, neſcio. Quod ego uidi, narrabo. Aduenientẽ nemo ſalutat, ne uideantur ambire hoſpitẽ. Id enim ſordidũ & abiectũ exiſtimant, & indi gnũ Germanica ſeueritate. Vbi diu inclamaueris, tandem

aliquis

Digitized by Google

aliquis per feneſtellam æſtuarij (nam in his degunt ferè uſq; ad ſolſtitiũ æſtiuum) profert caput, nõ aliter quàm è teſta proſpicit teſtudo. Is rogandus eſt, an liceat illic diuerſari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi ſit ſtabulum, mota manu cõmonſtrat. Illic licet tibi tuum equũ tractare tuo more. Nullus enim famulus manũ admouet. Si celebrius eſt diuerſoriũ, ibi famulus cõmonſtrat ſtabulũ, atq; etiam locum equo minime commodum. Nam cõmodiora ſeruãt uẽturis, præſertim nobilibus. Si quid cauſeris, ſtatim audis: ſi non placet, quære aliud diuerſoriũ. Fœnum in urbibus ægre ac perparce præbent, nec multo minoris uendunt quàm ipſam auenam. Vbi cõſultum eſt equo, totus cõmigras in hypocauſtum, cum ocreis, ſarcinis, luto, id eſt unum omnibus cõmune. GVI. Apud Gallos deſignant cubicula, ubi ſeſe exuant, extergant, calfaciant, aut quieſcant etiam, ſi libeat. BER. Hic nihil tale. In hypocauſto exuis ocreas, induis calceos, mutas, ſi uoles, induſiũ, ueſtes pluuia madidas ſuſpẽdis iuxta hypocauſtiũ, ipſe te admoues, ut ſicceris. Eſt & aqua parata, ſi libeat lauare manus, ſed ita munda plærunq;, ut tibi poſt alia quærenda ſit aqua, qua lotionem eam abluas. GVIL. Laudo uiros nullis delicijs effœminatos. BER. Quod ſi tu appuleris ad horam à meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. GVIL. Quam ob rem? BER. Nihil apparant, niſi uideant omnes, ut eadem opera miniſtretur omnibus. GVI. Quærunt compendium. BER. Tenes. Itaq; frequẽter in idem hypocauſtum conueniunt octoginta aut nonaginta, pedites,

equites, negociatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, sani, ægroti. GVI. Isthic uere cœnobiū est. BER. Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat perones aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quàm olim in turri Babel. Quod si quem conspexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis non nihil præ se ferat, in hunc intēti sunt omnes defixis oculis, cōtemplantes, quasi nouum aliquod animātis genus adductum sit ex Africa, adeo, ut postea quàm accubuerint, reflexo in tergum uultu, cōtinentur aspiciant, nec dimoueāt oculos, cibi immemores. GVI. Romæ & Lutetiæ, ac Venetiæ, nemo quicquam miratur. BERT. Nefas est interim tibi quicquā petere: ubi iam multa est uespera, nec sperātur plures aduenturi, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, uultu toruo, sordido ue stitu. GVI. Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse à poculis. BER. Is circumactis oculis tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto, quo plures adesse uidet, hoc uehemētius accēditur hypocaustū, etiā si alioqui sol æstu sit molestus. Hæc apud illos præcipua pars est bonæ tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis nō assuetus uapori, aperiat rimam fenestræ ne præfocetur, protinus audit: claude: si respōdeas, non fero: audis: quære igitur aliud diuersorium. GVI. Atqui mihi nihil uidetur esse periculosius, q̄ tam multos haurire eūdē uaporē, maxime resoluto corpore, atq; hic capere cibū, & horas cōplures cōmorari. Iam enim omitto ructus alliatos, & uētris flatū, halitus putres. Multi sunt, qui morbis

Cœnobium, id est, uitæ communio.

Ex Africa. Vide prouerbiū, Africa semper aliquid affert noui.

Digitized by Google

morbis occultis laborant, nec ullus morbus non habet suum contagiū. Certe pleriq; scabiē habent Hispanicā, siue ut quidā uocant Gallicā, quū sit omniū nationū cō munis. Ab his opinor non multo minus esse periculi, q̄ à leprosis. Iam tu diuina, quantū discriminis sit in pesti lentia. BER. Sunt uiri fortes, ista rident, ac negligunt. GVIL. Sed interim multorū periculo fortes sunt. BER. Quid facias? Sic aßueuerūt, & cōstantis est animi, non discedere ab instituto. GV. Atqui ante annos uiginti quinq; nihil receptius erat apud nos, quàm thermæ publicæ. Eæ nunc frigent ubiq;. Scabies enim noua docuit nos abstinere. BER. Sed audi cætera. Post redit ille barbatus Ganymedes, ac linteis insternit mēsas, quot putat esse satis illi numero. Sed ò deū immortalē, quā nō Mi lesijs, canabea diceres ex antennis detracta. Destinauit enim unicuiq; mēsæ, ut minimū octo. Iam q̄bus est notus mos patrius, accumbūt, ubi cuiq; libitū fuerit. Nullū enī discrimē inter pauperē ac diuitē, inter herū ac famulū. GV. Hæc est illa uetus æqualitas, quā nūc è uita submouit tyrannis. Sic opinor uixisse Christū cū suis discipulis. BER. Postquā accubuerūt oēs, rursum prodit tortuus ille Ganymedes, ac denuo dinumerat sua sodalitia. Mox reuersus apponit singulis pinaceū ligneū, & cochleare ex eodē argento factū, deinde cyathū uitreum, aliquanto post, panē. Eū sibi quisq; per ociū repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nōnunquam sedetur fermē horæ spatio. GVIL. Nullus hospitū interim efflagitat cibū? BER. Nullus cui notū sit regionis ingeniū. Tandē apponitur uinū, deus bone, quàm nō fumosum. Nō aliud

Ironice dixit Ganymedem, quod hīc puer delicatus loui sit & pocu-lis.

Milesia texta mollia.

oportebat bibere Sophistas. Tanta est subtilitas & acrimonia. Quod si quis hospes, etiã oblata priuatim pecunia roget, ut aliunde paretur aliud uini genus, primum dissimulant, sed eo uultu, quasi interfecturi. Si urgeas, respondẽt: Hic diuersati sunt tot comites & Marchiones, neq; quisquã questus est de uino meo, si nõ placet, quære tibi aliud diuersoriũ. Solos enim nobiles suæ gentis habent pro hominibus, & horũ insignia nusquã nõ ostẽtant. Iam igitur habent offam, quã obijciãt latranti stomacho: mox magna pompa ueniunt disci. Primus fermè habet offas panis madefactas iure carniũ, aut si dies est pisculentus, iure leguminũ. Deinde aliud ius, post aliqd carnium recoctarũ, aut salsamentorũ recalfactorũ. Rursum pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec pro hc domuto stomacho, apponant carnes assas, aut pisces elixos, quos nõ possis omnino cõtemnere. Sed hic parci sunt, & subito tollunt. Ita totũ conuiuiũ tẽperant quẽadmodum solent actores fabularũ, qui scenis admiscent choros, ita isti alternis miscent offas ac pultes. Curãt autem, ut extremus actus sit optimus. GVIL. Et hoc est bo ni poëtæ. BER. Porrò piaculũ sit. Si quis interim dicat, tolle hunc discũ, nemo uescitur. Desidendum est usq; ad præscriptũ spatium, quod illi clepsydris, ut opinor, metiuntur. Tandẽ prodit ille barbatus, aut pãdocheus ipse, uestitu minimũ à famulis differens. Rogat ecquid animi nobis sit. Mox adfertur uinũ aliquod generosius. Amãt autem eos, qui bibunt largius, cũ nihilo plus soluat ille, qui plurimũ hauserit uini, quàm qui minimũ. GVI. Mirum gentis ingenium. BER. Cũ nonnunquam sint qui duplo

Extremus actus sit optimus. Sententia Cicer. est. Alluditur ad actus fabulæ, quorũ ultimus est quintus. Vide prouerb. Supremũ fabulæ actum.

Digitized by Google

duplo plus absumant in uino quàm soluãt pro cõuiuio. Sed antequam finiã hoc conuiuium, dictu mirũ, quis sit ibi strepitus ac uocũ tumultus, postquã oẽs cœperũt incalescere potu. Quid multis? Surda omnia. Admiscent se frequenter ficti moriones, quo genere hominũ cũ nullũ sit magis detestandũ, tamen uix credas, quantopere delectentur Germani. Illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu, faciunt, ut hypocaustũ uideatur corruiturũ, neq; quisquam alterũ audiat loquentem. At interea uidentur sibi suauiter uiuere. Atq; illic desidendũ est uolẽti nolẽti usq; ad multam noctẽ. GVIL. Nunc tandẽ absolue cõuiuium. Nam me quoq; tædet tam prolixi. BER. Faciam. Tandem sublato caseo, qui uix illis placet, nisi putris ac uermibus scatens, prodit ille barbatus, adferens secum pinacium escariũ, in quo creta pinxit aliquot circulos ac semicirculos. Id deponit in mensa, tacitus interim ac tristis, Charontem quempiã diceres. Qui agnoscunt pictũram, deponũt pecuniã, deinde alius atq; alius, donec expleatur pinaciũ. Deinde notatis qui deposuerũt, supputat tacitus. Si nihil desit, annuit capite. GVI. Quid si quid superfit? BER. Fortasse redderet, & faciũt hoc nõnunq;. GVI. Nemo reclamat iniquæ rationi? BER. Nemo, qui sapit. Nã protinus audiret: Quid tu es hominis? Nihilo plus solues, quàm alij. GV. Liberum hominũ genus narras. BER. Quod si quis ex itinere lassus, cupiat mox à cœna petere lectũ, iubetur expectare, donec cæteri quoq; eant cubitum. GVIL. Videor mihi uidere ciuitatẽ Platonicam. BER. Tum suus cuiq; nidus ostẽditur, & uere nihil aliud quàm cubiculum: tantũ enim ibi lecti sunt, & præterea

Pinacium. i. tabellã, à pinax Græco, tabula.

Platonicã, ubi æqualia sũt omniũ omnia.

Digitized by Google

præterea nihil, quo uteris, aut quod fueris. GVIL. *Illic mundicies est.* BER. *Eadē quæ in conuiuio, lintea forte lota ante mēses sex.* GVIL. *Quid interim fit de equis?* BER. *Ad eandē disciplinā tractantur, ad quā homines.* GVIL. *Sed est eadē ubiq; tractatio?* BER. *Alicubi cuilior est, alicubi durior quàm narraui. Verum in genere talis est.* GVIL. *Quid si ego tibi nūc narrem, q̄bus modis hospites tractētur in ea parte Italiæ, quā Longobardiam uocāt, rursus in Hispania, deinde in Anglia, & in Vualia? Nā Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinēt, ut ex his duabus gentibus mixti. Vuali se prædicant αὐτόχθονας Anglos.* BER. *Quæso te, ut narres. Nam mihi nunquam cōtigit eas adire.* GVI. *In præsentia non est ociū. Nam nauta iussit, adessem ad horam tertiā, nisi uellē relinqui, & habet sarcinulā. Aliás dabitur opportunitas ad satietatem usq; garriendi.*

Id est, indigenas. Aiūt enim Anglos cæteros ex Gallis, & mox ex Saxonibus esse mixtos.

ADOLESCENTIS ET SCORTI. LVCRETIA SOPHRONIVS.

LVC. Euge mi lepidissime Sophroni, tandē nobis reddi tus es. Nā mihi uideris abfuisse seculū. Prima fronte uix te agnoscebā. SOPR. *Quā ob rē mea Lucretia?* LVC. *Quia pro imberbi nobis redisti barbatulus. Quid rei est meum corculū? Nā uidere solito toruior.* SOPH. *Cupio tecum seorsum colloqui familiarius.* LVC. *Au, au, nō sola sumus mea mētula?* SO. *Secedamus in locū secretiorem.* LVC. *Age concedamus in cubiculum interius, si quid libet.* SO. *Nondum hic locus mihi uidetur satis secretus.* LV. *Vnde iste nouus pudor? Est hic Museion. ubi repono mundū meū, locus adeo obscurus, ut uix ego te ui*

Digitized by Google

te uiſura ſim, aut tu me. SOPH. Circũſpice rimas oẽs. LVC. Rima nulla eſt. SO. Nullus eſt in propinquo, qui nos exaudiat? LV. Ne muſca quidem, mea lux. Quid cõtaris? SO. Fallemus hic oculos dei? LV. Nequaquam, ille perſpicit omnia. SO. Et angelorum? LV. Illorum oculos non licet effugere. SO. Qui fit igitur, ut non pudeat homines id facere coram oculis dei ac teſtibus ſanctis angelis, quod puderet facere in conſpectu hominũ? LVC. Quid hoc nouæ rei eſt? ueniſti huc concionatu-rus? Indue cucullam Franciſcanam, conſcende ſuggeſtũ, & audiamus te barbatule. SO. Ne iſtud grauarer facere, ſi te queam ab iſto uitæ genere reuocare, nõ ſolum tuo ppißimo, uerum etiam miſerrimo. LV. Quam ob rẽ ò bone? uictus alicunde parandus eſt. Sua quẽq; alit ars, hoc eſt noſtrum opificiũ, hic fundus noſter. SO. Optarim mea Lucretia, ut excuſſa pauliſper iſta animi temulentia, rem ipſam mecũ conſideres. LV. Serua concionẽ tuam in aliud tempus. Nunc uiuamus mi Sophroni. SO. Tu quæſtus gratia facis, quicquid facis. LV. Non multum aberraſti à ſcopo. SO. Nihil decedet tuo lucro. Dabo quadruplum, ut auſcultes tantum. LV. Dic quæ uoles. SO. Primum illud mihi reſponde: Habẽs ne, quæ tibi male uolunt? LV. Non unam. SO. Et quas tu uiciſſim odiſti? LVC. Vt merentur. SO. Proinde ſi poßis illis facere rem gratam, faceres ne? LV. Citius muſcerem illis toxicum. SO. Atqui cogita nunc, an illis quicquam potueris facere gratius, quàm quod uident te uiuere hanc uitam dedecoroſam, ac miſerrimam. Quid autem poteras facere moleſtius ijs, qui tibi bene uolũt? LV. Sic erat fatum

Fundus. i. reditus. Nã fructus annuos reddit fundus.

Viuamus', pro gaudeamus, ſiue læte agamus

fatum meum. SOPH. Iam quod esse solet omnium difficillimum ijs, qui deportãtur in insulas, aut relegãtur ad extremos orbis barbaros, hoc tu tibi tuapte spõte sumpsisti. LVC. Quid nam est istud? SO. An non sponte nũciasti omnibus affectibus, patri, matri, fratribus, sororibus, amitæ, materteræ, cæterisq;, quoscũq; tibi natura cõiunxit? Nã & illos tui pudet, nec tu sustines in illorũ uenire conspectũ. LV. Imò feliciter commutaui affectus meos: pro paucis enim nunc habeo plurimos, quorum tu es unus, mihi fratris loco semper habitus. SO. Mitte ios cos, ac rẽ ipsam, ut habet, expende serio. Quæ tam multos habet amicos, ea nullum habet amicum, mihi crede Lucretia. Nam qui ad te commeant, non habent te pro amica, sed pro matula potius. Vide quò te ipsam deieceris misera. Christus te tam charam habuit, ut te suo sanguine redemerit, ut te cœlestis hæreditatis consortẽ esse uoluerit, & tu te facis cloacam publicam, ad quam cõmeant quilibet sordidi, impuri, scabiosi, suamq; spurcitiem in te repurgant. Quod si nondũ eius lepræ contagium, quàm uocant scabiem Hispanicam, attigit te, non diu poteris effugere. Quod si fiat, quid te infelicius, etiã si cætera essent secunda, puta, res & fama? Quid aliud eris, quàm uiuum cadauer? Matri grauabaris esse morigera: nunc seruis lenæ turpissimæ. Parentis audire monita tædebat: hic sæpe tibi uapulandum est ab ebrijs & insanis scortatoribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quo uictũ quæreres: hic quos tumultus, quæ peruigilia sustines? LVC. Vnde nobis hic concionator nouus? SOPH. Iam mihi & illud fac cogites. Iste formæ flos, qui

qui tibi conciliat amatores, breui defluxerit. Quid tum facies misera? Quod sterquiliniũ te fuerit abiectius? fies ex meretrice lena. Nõ omnibus cõtingit ista dignitas. Et si cõtingat, quid sceleratius, aut quid diabolicæ maliciæ uicinius? LV. Vera sunt mi Sophroni propemodũ quæ dicis omnia. Sed unde tibi ista noua sanctimonia, qui soleas esse nugator omniũ nugacißimus? Nemo te uno frequentius aut intempestiuius huc cõmeabat. Audio te fuisse Romæ. SO. Fui. LV. Atqui inde solent redire deteriores. Quo pacto tibi diuersum accidit? SO. Dicã, quia non eodem animo, modoq; Romã adij. Cæteri ferè ideo eunt Romã, ut redeãt deteriores, & ad eã rẽ ibi suppetunt affatim occasiones. Ego cũ probo uiro profectus sum, cuius hortatu pro lagena libellũ mecũ attuli nouũ testamentũ ab Erasmo uersum. LV. Ab Erasmo? Aiunt illũ esse sesquihæreticũ. SO. Nũ & huc peruenit illius uiri nomẽ? LV. Nullũ celebrius apud nos. SO. Vidistin' hominẽ? LV. Nunquam, sed optarim uidisse, de quo tam multa audiui mala. SO. Fortaßis à malis. LV. Imò à uiris reuerẽdis. SO. A quibus? LV. Nõ expedit dicere. SO. Quam ob rẽ? LV. Quia si tu effutires, & res permanaret ad illos, meo quæstui non minima portio decederet. SO. Ne metue, lapidi dixeris. LV. Admoue aurem. SO. Inepta, qd opus, est admota aure, cũ simus soli, an ne deus exaudiat? Proh deũ immortalẽ, uideo te piã meretricẽ, quæ mẽdicos subleues eleemosyna. LV. At ego ex istis mẽdicis plus capio lucri, q̃ ex uobis diuitibus. SO. Spoliant matronas bonas, ut effundãt in meretrices malas. L. Sed perge de libro. SO. Faciã, & præstat. Ibi me docuit Paulus, qui

Admoue aurẽ. Est hoc usu receptum, ut res silẽdas, etiã si duo soli sint ĩ agro, tamen qui loquitur, dicat uoce submissiore, cũ nihil sit opus.

Mendicos subleues. Videt significasse nescio qd de monachis mendicatẽ professis.

Digitized by Google

lus, qui nescit mentiri, quod nec scorta, nec scortatores regni cœlestis hæreditatẽ cõsequẽtur. Hoc ubi legissem, sic cœpi cogitare apud me: Modica res est, quã expecto ex hæreditate paterna. Et tamẽ malim renũciare scortis omnibus, quàm à patre exhæredari. Quanto magis cauendũ est, ne me exhæredet pater cœlestis? Et aduersus exhæredantem aut abdicantẽ patrem, aliquod præsidiũ porrigunt humanæ leges. Aduersus exhæredantem deũ nihil est suffugij. Itaq; mihi protinus interdixi omnem scortorũ usum. LV. Si quidẽ poßis continere. SO. Bona continentiæ pars est, ex animo continentẽ esse uelle. Postremo supereſt extremũ mali remediũ, uxor. Romæ in pœnitentiarij sinum totũ Augiæ stabulum effudi. Is multis prudẽter hortatus ad puritatẽ animi & corporis, ad sacram lectionẽ, ad crebras preces, ad uitæ sobrietatem: pro pœna nihil aliud indixit, quàm ut flexis genibus ad summũ altare dicerẽ psalmum: Miserere mei deus: & si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuipiã Carolinę unũ. Admiranti mihi quod pro tot scortationibus tantillũ pœnæ infligeret, satis facete respõdit: Fili, inquit, si uere pœnitet, si uitã cõmutas, nihil moror pœnam. Sin perges, ipsa libido tandem abs te plus satis pœnarũ exiget, etiam si sacerdos nõ indicat. Me uide lippũ, tremulum, incuruũ. At olim talis eram, qualem te hactenus fuisse prædicas. Sic ego respui. LV. Ergo ut uideo, perdidi meũ Sophronium. SO. Imò lucrifeciſti. Nam ante perierat, nec sibi amicus, nec tibi. Is nunc te uere amat, ac tuam sitit salutẽ. LV. Quid igitur suades mi Sophroni? SO. Vt quàm primũ te subducas ab ista uita. Adhuc puella es. Quod

Augiæ stabulũ. Vide prouerbiũ de diu colligis sordibus.

Digitized by Google

es. Quod contractum est labis, potest elui. Aut nube marito, nos aliquid ad dotẽ conferemus, aut cõfer te in collegiũ aliquod sacrũ, quod lapsas recipit, aut cõmutato loco dedas te in familiã alicuius honestæ matronæ. Ad horũ quodlibet offero tibi operã meã. LV. Amabo te mi Sophroni, circũspicito, sequar tuum consilium. SO. Sed interim hinc te submoueto. LV. Hui, tam cito? SO. Cur non potius hodie quàm cras, si dilatio damnũ habet, mora periculũ? LV. Quò me uertam? SO. Colliges omnẽ mundum tuum, eum trades mihi uesperi: famulus clàm deferet ad fidelem matronam. Aliquanto post ego te producam, ueluti deambulandi gratia. Apud eam matronam latitabis meo sumptu, donec tibi prospexero, id fiet breui. LV. Age mi Sophroni, trado me totam in tuã fidem. SO. Gaudebis olim facto.

CONVIVIVM POETICVM.

Hilarius, Leonardus, Crato, Conuiuæ, Margareta, Carinus, Eubulus, Sbrulius, Parthenius, Mus seruus Hilarij. HIL.

LEuis apparatus, animus est lautissimus. LEO. Cœnam sinistro es auspicatus omine. HI. Imò absit omen triste. Sed cur hoc putas? LEO. Cruenti iambi haud congruunt conuiuio. CRATO. Euge, certum est adesse Musas, effluunt carmina imprudentibus. HIL. Si rotatiles trochæos mauelis, en accipe. Vilis apparatus hic est, animus est lautissimus. Quanquã & iambi olim ad rixas, ac pugnas nati, post didicerũt omni seruire materiæ. O pepones, habetis pe-

Digitized by Google

Lactucas sessiles, qđ non erigant sese, sed humi spargãt sese.

pones in horto nostro natos. En lactucas sessiles, succo tenerrimo, suo nomini respondentes. Has delicias quis sanus nõ præferat apris, murenis, & attagenis? CRA. Si licet in conuiuio poëtico uera loqui, quas tu lactucas uocas, betæ sunt. HIL. Hoc omen auertant superi. CRA. Sic res habet, uide figuram. Tum ubi succus lacteus, ubi molles aculei? HI. Facis, ut addubitem. Heus accerse huc famulam. Margareta, Tisiphone, quid tibi uenit in mentem, ut pro lactucis nobis apponeres betas? MAR. Data opera feci. HIL. Quid ais uenefica? MAR. Volebam experiri, an inter tot poëtas esset, qui lactucam dignosceret à beta, nam scio te non posse dignoscere. Dicite mihi bona fide, quis animaduertit esse betas? CONVI. Crato. MAR. Facile diuinabam non fuisse poëtam. HIL. Si quid tale posthac designaris, ego te pro Margareta uocabo Bliteam. CONV. Ha ha he. MAR. Istæ nomenclaturæ nec obesiorẽ me reddũt, nec macilentiorem, sæpe uicies in die mihi commutat nomen. Vbi quid cupit eblandiri, uocat me Galateam, Euterpen, Calliopen, Callirhoën, Melissam, Venerem, Mineruam. Quid non? Vbi quid stomachatur, repente fio Tisiphone, Megera, Alecto, Meduſa, Baucis, aut aliud, quicquid illi suggesserit splendida bilis. HIL. Abi hinc cum tuis betis, Blitea. MAR. Quorsum attinebat huc euocare? HI. Vt redires, unde uenieras. MAR. Vetus dictum est: Procliuius est euocare cacodæmonẽ, quàm abigere. CON. Ha ha he, appositè. Vt tibi res habet Hilari, opus est aliquo carmine magico, quo illã hinc abigas. HIL. Habeo in promptu.

Blitea, alludit ad gẽmã laudatissimã, & Græci betã appellãt βλίτον. Vnde bliteos appellamus stultos ac nihili, eo quod beta uilis & insipida herba est.

Galateã a colore lacteo. Euterpen a delectãdo, musæ nomẽ est. Calliopen a pulchritudine uocis. Callirhoẽ, nympha, quod pulchre fluat. Melissa, apis, opinor fuisse ancillã Chrylippi. Baucis, anus & paupercula, apud Ouidium.

Splendida bilis. Alluſit ad illud Horat. siue aliud nomẽ, iussit quod splendida bilis, id est insania.

Digitized by Google

Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος ὑμᾶς διώκει. M'AR. Quid ais Aesope? CR. Caue tibi Hilari, impinget colaphũ, sic abegisti tuo Græco carmine. O magũ egregiũ. HI. Quid tu credis Crato esse hanc? Ego tali carmine abegissem decẽ magnos cacodæmones. MA. Pili nõ facio tuos uersus Græcanicos. HI. Adhibẽdus est igitur, ut uideo, bombus magicus, aut si nec hic sufficiet, Mercurij caduceũ. CA. Mea Margareta, scis poëtarũ genus esse afflatũ, nõ ausim dicere furiosum. Rogo te, ut istã rixã in aliud tẽpus proroges, nosq; hac cœna, uel mea causa suauiter tractes. MA. Quid mihi cũ istius uersiculis? Sæpenumero cũ est eũdum ad macellũ, nõ habet qd' numeret, & iterim cantillat uersiculos. CR. Sic sunt poëtæ. Sed age fac sodes, qd' dico. MA. Equidẽ faciã in tuã gratiã, quoniã noui te probũ, qui nũquã cõtrueris cerebrũ tuum in eiusmodi deliramẽtis, ac demiror, quo fato in hũc incideris chorũ. CR. Vnde id cõie ctas? Quia nasus obesior, & oculi nitentes, & corpus succulentũ. Nũc mihi huius nasum cõtẽplare, & risum Sardoniũ. CR. Sed obsecro meũ suauiũ, ut istam iram mihi cõdones. MA. Abeo, nec postulo ut quisquã cæterorũ hoc nomine mihi gratias agat. HI. Abijt ne iam? MA. Nõ tã procul quin audiat te. MVS. Iam est in culina, secũ nescio quid murmurans. CR. Famulam habes minime mutã. HI. Aiunt bonã famulã oportere tribus dotibus esse prædità, ut sit fidelis, ut sit deformis, ut sit ferox, quã uulgo malã uocãt. Fidelis nõ diminuit rem, deformẽ non ambiunt proci, ferox facile tuetur ius heri sui. Nã aliquoties opus est nõ solũ lingua, uerũ etiã manibus.

Φεύγετε &c. Hoc carmẽ Plinii indicat usurpari solere in magicis remediis, id est, fugite Cantharides, lupus crudelis uos persequit. Cantharis infecti genus, uenenũ habens letale.

Mercurij caduceũ. Hac uirga dat & adimit somnos, hac animas euocat orco; & rursum quas uelit ĩ Tartara mittit. Lege Vergiliũ in iiij. Aenei.

nibus. Hæc mea è tribus duas habet uirtutes, deformis iuxta ac mala, de fide dubito. C R. Linguam audiuimus, sed ego metuebã tibi à manibus. H I. Admouete manus peponibus, de lactucis actũ est. Etenim si nũc iuberẽ apponi lactucas, sat scio carduos apponeret. Sũt & meloues, si quis hoc genere magis capitur. En fici recentes: modo decerptos à matre, testatur lac in pedũculo. A ficis solet aqua sumi, ne quid oblimẽt stomachũ. En habetis è limpidißimo fonticulo uinã ac frigidißimã, utilem & uino diluendo. C R. At ego nescio, utrũ utro diluã, uinũ aqua, an aquã uino, adeo mihi uinum hoc uidetur haustũ ex eodẽ fonticulo Musarũ. H I. Tale uinũ cõducit acuendis ingenijs poëtarũ, uos craßi craßis delectamini. C R. Vtinã Craßus essem ille beatus. H I. Ego malim esse Codrus, aut Ennius. Quãdoquidẽ mihi cõtigit habere cõuiuas tã multos, tamq; insigniter eruditos, nõ cõmittã ut nihilo doctior eos dimittã. Est locus in prologo Eunuchi, qui multos torquet. Nã plerique codices sic habẽt: Sic existimet, sciat, respõsum, non dictũ esse, quia læsit prior. Qui bene uertendo, & eas describẽdo male, &c. In his uerbis desidero sensum argutũ ac Terentio dignũ. Nec enim ideo læsit prior, quia male uertit Græcas fabulas, sed quia Terẽtianas carpserat. EV. Iuxta uulgo iactatum prouerbiũ, qui peßime canit, primus incipiet. Cũ essem Londini apud Thomam Linacrum, uirũ sic in omni genere philosophiæ doctißimũ, ut nihilo secius has grãmaticorũ minutias ad unguem calleat, ostendit mihi codicem mira uetustate, in quo sic habebatur scriptum: Sic existimet, sciat

Respon

Digitized by Google

Responsum non dictum esse, quale sit, prius
Qui bene uertendo, & eas describendo male,
Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.
Idem Menandri phasma nunc nuper dedit. Sic autẽ ordinãdus est sermo, ut quale sit, indicet subij-
ciendum exemplum prioris dicti. Minitabatur se uicis-
sim reprehensurum aliquid in fabulis eius, à quo fuerat
reprehẽsus. Atq; hic negat uideri debere cõuicium, sed
responsum. *Qui lacessit, iacit dictum: qui regerit la-*
cessitus, respondet. Huius rei promittit exemplũ. *Quale*
sit, quod Græcis dicitur, οἷον: Latinis, *quod genus, aut*
uelut, siue uidelicet, aut puta. Deinde subijcit reprehen
sionẽ, in qua, *prius, aduerbiũ respõdet ad alterũ aduer*
biũ, ueluti diuersum, quod sequitur, nuper, quẽadmodũ
pronomẽ, qui, respondet ad dictionẽ, idẽ. Veteres enim
Lauinij fabulas in totũ dãnat, quoniam iam exciderant
ex hominum memoria. In his quas nuper dedisset, certa
notat loca. Mihi uidetur hæc germana lectio, uerusq;
Comici sensus, nisi qd dissentit senatus populusq; poẽ-
ticus. CON. Imò pedibus oẽs in tuã discedimus sentẽ-
tiam. EVB. At ego uicissim à uobis quiddam leue ac fa
cillimũ discere cupiã, quo pacto metiendus sit hic uersi
culus: Ex Græcis bonis, Latinas fecit nõ bonas. Micate
digitis. HI. Opinor more ueterum elidi, s. ut secundo
loco sit anapestus. EV. Accederẽ, nisi casus auferendi
desineret in is, natura longam. Itaq; submota consonan-
te, nihilo minus manet longa uocalis. HI. Vera prædi-
cas. CR. Si quis illiteratus & ignotus ingrederetur,
planè crederet nos iter nos micatione digitorũ rustico

Digitized by Google

rum ludũ renouare. LEO. Nos quantũ uideo, frustra micamus digitis. Tu si potes, expedi. EV. Videte quãtula res nõnunquã torquet homines, etiã eruditos: præpositio, expertinet ad finem carminis præcedentis:

* Qui bene uertendo, & eas describendo male, ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

Ita nihil est scrupuli. LEO. Sic est p Musas. CA. Quãdoquidẽ cœpimus micare digitis, uelim ut aliqs mihi uersum hũc ex Andria, digerat in suos pedes: Sine inuidia laudẽ ueniam, & amicos pares. Nã mihi sæpe tẽtãti nõ succeßit. LEO. Sine ir, iambus est: uidia, anapestus: laudem in, spõdeus: ueniam, anapestus: & ami, rursus anapestus. CA. Habes iã pedes quinq;, & supsunt tres syllabæ, quarũ prima est longa, ut nec iambũ facere possis, aut tribrachyn. LE. Profecto uera prædicas. Hæremus in uado, quis nos expediet? EV. Nemo melius quãm qui iniecit in hoc uadũ. Age Carine, ne cela, si quid habes, inter cãdidos amiculos. CAR. Nisi me fallit memoria, uideor mihi quiddã tale legisse apud Priscianũ, qui docet apud Latinos Comicos, u, cõsonantem perinde elidi ut uocalẽ, quẽadmodũ frequẽter in hac dictione, enimuero, sic ut pars enie, faciat anapestũ. LEO. Itaq; metire nobis. CAR. Faciam: Sine inidi, proceleumaticus est, nisi magis elidi i, per synæresim: ut quũ Vergilius aureo ponit in fine carminis heroici, pro auro. Quod si placet, erat primo loco tribrachys: a lau, spõdeus est: dinueni, dactylus: as & a, dactylus: micos, spondeus: pares, iambus. SB. Carinus nos explicuit ex hoc sanè uado. Sed est in eadẽ scena locus, quẽ haud scio, an quis-

quam

quam animaduerterit. HIL. Obsecro profer. SE. Illic huc in modũ loquitur Sumo: Sine ut eueniat, quod uolo. In Pamphilo ut nihil sit moræ, restat Chremes. HIL. Quid hic te offendit? SBRVLIVS. Quum sine sit minitãtis, nihil hic sequitur, quod faciat ad minas. Proinde suspicor à poëta scriptum fuisse: Sin eueniat, quod uolo, ut sin respondeat ad si, quod præcesit:

Si propter amorem, uxorem nolit ducere.

Proponit enim senex duas partes inter se diuersas. Si Pamphilus ob amorẽ Glycerij recusat nuptias, erit, qd' cũ illo expostulẽ: Sin ille non recusarit, tum mihi restat exorãdus Chremes. Porrò hypbaton longius fecit iterpellatio Sosiæ, & stomachus Simonis in Dauum. HI. Mus porrige mihi codicẽ. CR. Cõmittis tu nuri codicem? HI. Tutus quàm uinum. Dispereã nisi uerũ dixit Sbrulius. PAR. Trade mihi codicẽ, ut ostẽdã aliũ scrupulũ. In prologo Eunuchi, uersus hic nõ cõstat: Habeo alia multa, quæ nũc cõdonabũtur. Quãquàm enim Comici Latini præcipue sumũt sibi multã libertatẽ in hoc genere carminis, tamen nusquam memini illos senarium claudere spondeo, nisi forte legendum est cõdonabitur, ἀπροσώπως, aut cõdonabimus, mutato numero personæ. MAR. O mores uere poëticos. In ipso limine conuiuij micant digitis, & librũ adhibent. Lusus & literas præstat seruare in mẽsas secũdas. CRA. Nõ oĩno pessimũ cõsilium dat Margareta, obtemperabitur. Placato stomacho reuocabimus lusum, iterim digitis micabimus in disco. HI. Videte luxũ poëticũ. Habetis triplex ouorum genus, elixa, assa, frixa, omnia recentissima sunt,

Micant digitis; rusticorũ lusus est, uulgaris etiã Italiæ. Vide prouerbiũ. Dignus qui cũ in tenebris mices. Metiebant uersus sublatis ac repressis digitis. id mulier putat esse micare digitis.

Digitized by Google

intra biduum nata. PAR. *Ego butyri esum nõ fero: si frixa sunt oleo, perplacebunt.* HI. *Abi puer, disce ex Margareta, in utro frixa sint.* MVÇ. *In neutro, inquit.* HI. *Nec in butyro, nec in oleo? In quo igitur?* MVÇ. *In lixiuio, ut ait.* CR. *Qualis percontatio, talis responsio. Quid negocij est dignoscere butyrum ab oleo?* CAR. *Præsertim his, qui tam facile discernũt lactucam à beta.* HI. *Habetis ouationẽ, sequetur aliquãdo triũphus, heus puer, circumfer oculos. Nihil ne uides hic deesse?* MVÇ. *Permulta.* HI. *Hæc oua desiderant condimentum, quo tẽperetur calor.* MVÇ. *Quod uis?* HI. *Dic ut ex cõtusis uitis clauiculis mittat nobis succũ.* MVÇ. *Dicã.* HI. *Quid huc redis inanis?* MVÇ. *Negat è clauis succũ exprimi solere.* HI. *O fabulã.* SB. *Certe fabulis cõdiemus oua nostra. In Epodis Horatianis, offendi locũ quendam, non deprauatum, quod ad scripturam attinet, sed deprauate interpretatum, nec à Mancinello solum, cæterisq; recẽtioribus, uerũ etiam ab ipso Porphyrione. Locus est in carmine, quo canit palinodiam Canidiæ ueneficæ.*

Tuusq; uenter Pactumeius, & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,
Vtcunq; fortis exilis puerpera.

Existimãt enim oës hic, exilis nomẽ esse, cũ sit uerbũ. Adscribã uerba Porphyrionis, si tñ illius esse credẽdũ est: Exilẽ autẽ, inquit, sub illa specie, quasi puerperio fœta sit deformis, per exilitatẽ corporis maciẽ naturalem dicit. Pudẽdus lapsus, si uir tantus non sensit metri legẽ reclamare huic sensui. Neq; enim quartus locus admittit spondeum. Verum poëta iocatur illã uere peperisse, quãquam

Vitis clauiculis. Natura addidit uitium palmitibus laqueos quosdã quibus repit, & alligat sese, has Plinius uocat clauiculas lib. 23. in Prologo.

E clauis, peruerse respõdet, quasi paruos clauos insserit contundi.

Digitized by Google

quã quàm non diu languisset ac decubaßet à partu: sed statim exilisset è lecto, quemadmodum solent quædã fœtes puerperæ. H I. Habemus tibi gratiam Sbruli, qui tam laute condieris oua nostra. L E. Isti non dißimile est, quod legitur in primo Odarum lib. Odæ initium est: Tu ne quæsieris. Sic autem habet constans lectio: Neu Babylonios tentaris numeros, ut melius quicquid erit pati. Hunc locum ita transiliunt ueteres interpretes, quasi nihil habeat scrupuli. Solus Mancinellus sentiens oratio nem imperfectam, iubet addi poßis. S B. Habes aliquid hac de re compertius? L E. Nescio, sed mihi uidetur Horatius Græci sermonis idioma reddidisse, quod nullus poëtarum facit libentius, aut frequentius. Nam Græcis est familiare aparemphaton adiungere huic dictioni ὡς & ὥς ε. Sic Horatius, ut pati, pro, ut patiaris. Quanquam quod diuinat Mancinellus, non est prorsus absurdum. H I L. Mihi uehementer arridet, quod dicis. Curre μῦς, & adfer, si quid est reliquum. C R. Quid istuc est nouarum deliciarum? H I. Hic est cucumis sectus in laminulas. Hoc est ius ex coctis intestinis cucurbitæ. Cõducit lubricandis intestinis. S B R. O cænam uere medicam. H I. Boni consulite. Mox aderit gallina ex corte nostra. S B. Cõmutabimus tibi nomẽ, & pro Hilario uocabimus Apitiũ. H I. Age nunc ridete, quantum uoletis, cras fortasse serio laudabis hãc cœnã. S B. Qui sic? H I. Cũ senseris tibi probe conditum esse prandium. S B. Fame? H I. Scilicet. C R A. Scis Hilari, quid prouinciæ te uellẽ suscipere? H I. Sciam, si dixeris. C R A. Chorus canit hymnos quosdã nõ indoctos, sed per indoctos multis

ἀπαραξέμφατον. Id est, infinitum, ut pati.

Fame? Alluſit ad dictũ Socratis, qui dixit, famẽ esse cõdimẽtum omnũ & iucundissimũ & minimo parabile.

Digitized by Google

locis deprauatos. Eos cuperem tua opera nobis restituî: ut autem exemplum proferam, ita canimus: Hostis Herodes impie, Christum uenire quid times? Ordo dictionis unius inuersus geminum uitium inuexit carmini. Nã hostis cum trochæum efficiat, nullum habet locum in carmine iambico: & Hero, spondeus, non recipitur in sede secunda. Nec dubium est, quin uersus ita primũ scriptus sit: Herodes hostis impie. Iam epithetum impie, mollius coheret cum hostis, quàm cum Herodes. Porrò quoniã Herodes dictio Græca est, η uertitur ε in casu uocandi, ut Σωκράτης, ὦ Σώκρατες, quemadmodũ & in ἀγάμεμνον ω mega recti casus uertitur in o micron. Rursum ita canimus hymnum: Iesu corona uirginum, Quẽ mater illa cõcepit: Quæ sola uirgo parturit. Dubiũ nõ, quin concipit sit pronunciandum. Nam temporis hypallage gratiã etiam addit sermoni. Ridiculum aũt est nos offendi in cõcipit, quum sequatur parturit. HIL. Istius generis & ipse permulta offendi, nec pigebit olim huic rei aliquot dierũ opellam dare. Nam mihi uidetur Ambrosius in hoc carmine nõ parum habere gratiæ. Adeo ferè finit dimetrum dictione trisyllaba, & cæsuram ferè collocat in fine dictionis. Id crebrius apud eũ fit, quàm ut casus uideri possit. Si quæritis exẽplũ: Deus creator, hic est pẽthemimeris, accinitur omniũ: poliq; rector, accinitur uestiẽs: diẽ decoro, accinitur lumine: noctẽ sopori, accinitur gratia. Sed adest gallina satis obesa, quæ mihi totis decem annis peperit oua, & excluſit pullos. CR. Indigna erat, quæ necaretur. CA. Si licet aliquid admiscere de studijs seuerioribus, habeo, qd' proponam.

HIL.

Digitized by Google

HI. Modo ne nimiũ sit tetricũ. CA. Non est. Cœpi nu per legere Senecæ epistolas, & in ipso statim portu, qd' aiunt, impegi: locus est in prima epistola. Et si uolueris, iquit, attẽdere, magna uitæ pars elabitur male agẽtibus: maxima nihil agẽtibus: tota aliud agẽtibus. In hac sentẽtia affectat nescio quid argutiæ, quod ego nõ satis assequor. LE. Diuinabo, si uoles. CA. Maxime. LE. Nemo perpetuo peccat. Et tamẽ luxu, libidine, ambitiõe, cæterisq; uitijs, magna uitæ pars perit. Sed multo maior uitæ portio perit nihil agẽtibus. Porrò nihil agere dicũtur, nõ qui uiuũt in ocio, sed qui rebus friuolis, & nihil ad felicitatẽ cõducentibus occupãtur. Inde prouerbium: Satius est cessare, quàm nihil agere. Sed tota uita perit aliud agẽtibus. Aliud agere dicitur, qui nõ est attentus ad id, qd' agit. Perit igitur tota uita, quoniã cum uacamus utijs, aliud agimus: dũ uacamus friuolis, aliud agimus: dũ studemus philosophiæ, quoniã id facimus supine & oscitãter, aliud agimus, parũ attẽti uelut ad rẽ mini me seriã. Hæc interpretatio si parũ arridet, numeretur hæc sentẽtia Senecæ inter eas, quas in hoc scriptore dãnat. A. Gellius ut friuole argutas. HI. Mihi sanè satis arridet. Sed interim strenuæ ad gallinã. Nolim uos fãlli, nihil præterea parati est. Quadrat enim ad id, qd' præcessit. Turpissima est iactura, quæ per negligẽtiam fit. Id autẽ declarat hac trimẽbri sentẽtia. At paulo post uideor mihi uidere mẽdum: Mortem nõ prospicimus. Magna pars eius iam præteriit. Nam legendum arbitror, mortẽ prospicimus. Prospicimus enim quæ pcul absunt, quũ mors magna ex parte præterierit nobis: LE. Si sibi permit

Nihil agere.

Aliud agere.

Prospicimus, quæ a fronte sunt, sed pcul. respicimus a tergo relicta.

Digitized by Google

permittunt philosophi, ut aliquando diuertant in prata Musarum, fortasse non uidebitur absurdum, si nos aliquando uel animi gratia diuertamus in illorum regionem. H I. Quid ni? L E. Quum nuper relegerē librum Aristoïelis, qu m inscripsit περὶ τῶν ἐλέγχων, quod argumentum est rhetoribus cum philosophis magna ex parte commune: comperi insignes errores interpretum. Locus Aristotelis. Neq; dubitandū est, quin hic qui Græce nesciunt, in multis locis egregie deliraṛint. Aristoteles enim proponit huiusmodi genus ambigui, quod nascitur ex uoce, quæ eadem declarat diuersa, ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπισάμενοι, τὰ γὰρ ἀπρσοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. τὸ γὰρ μανθάνειν ὁμώνυμον τό τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπισήμῃ καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. Id uerterunt hunc in modum: Quoniā discunt scientes. Nam secundum os grammatici discunt. Discere enim æquiuocum ad intelligere eum, qui utitur disciplina, & accipere disciplinam. H I. Visus es mihi nunc Hebraice loqui, non Latine. L E. Est ne quisquam uestrum qui audiuit hic ullam uocē æquiuocā? H I. Nullam. L E. Quid igitur stultius, quā id uelle uertere, qđ uerti non poterat? Neq; enim quemadmodum Græcis Μανθάνειν. μανθάνειν sonat μαθεῖν, & μαθητεύειν, ita Latinis discere, doctrinam accipere, aut tradere. Quanquam an hoc sit uerum nescio, magis arbitror sic manthanin esse Cognoscere. anceps apud Græcos, quemadmodum cognoscere apud Latinos. Cognoscit enim qui nouit, & cognoscit iudex qui discit causam. Sic opinor Græcis μανθάνειν dicitur præceptor, qui exigit prælecta pueris, & pueri quibus præle

Digitized by Google

prælegitur. Quã uero uenuste reddidit, τὰ δ' ἀπροσ-
ματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί. Nam
secundum os grammatici discunt, quum uertere debue-
rit: Nam Grammatici quæ dictant docent. Hic inter-
pretis erat aliud exemplum supponere, quod non eadem
uerba, sed eandem rei speciem exhiberet. Quanquam
hoc loco suspicor etiam in Græca scriptura nonnihil
esse mendæ, scribendum autem, ὁμώνυμον δέ τε
ξυνιέναι καὶ τῷ λαμβάνειν. Paulo post subijcit
aliud exemplum ambigui, quod nascitur non ex uario
uocis eiusdem significatu, sed ex diuersa connexione: τὸ
βόλεσθαί λαβεῖν με τοὺς πολεμίους, uelle me accipe-
re, pugnates. Sic enim uertit, pro eo qđ erat, uelle me ca
pere hostes, & si legas βόλεσθε, sermo fit dilucidior:
Vultis me capere hostes. Nam pronomẽ potest præce-
dere uerbum, capere, & potest sequi. Si præcedat, hic
erat sensus: Vultis, ut ego capiam hostes? Si sequatur,
erit hic: Vultis, ut hostes me capiant? Subijcit eiusdẽ ge
neris aliud exemplũ: ἆρ' ὅτις γινώσκει τὸ γινώσκειν;
id est. An quod quis nouit, hoc nouit? Ambiguitas est in
τὸ. Id si sumatur accusandi casu, sensus erit: Quicquid
alicui cognitum est, id illi cognitum esse. Sin nominandi
casu, sensus hic erit: Quam rem quis intelligit, ea in-
telligit: quasi cognosci non possit, nisi quod uicissim co
gnoscat. Rursus aliud subijcit: ἆρα ὅτις ὁρᾷ. τὸ ὁρᾷ;
ὁρᾷ δὲ ὁμ κίονα, ὥστε ὁρᾷ ὁ κίων. An quod quis ui-
det, id uidet? Sed uidet columnam, columna igitur ui-
det. Rursus in τὸ est ambiguitas, quã prius indicaui-
mus. Verũ hæc utcunque reddi poterãt latinis auribus.

Quod.

Digitized by Google

Quod sequitur, nullo modo reddi poterat, ἆρα ὃ σὺ φὴς εἶναι, τοῦτο σὺ φὴς εἶναι. φὴς δὲ λίθον εἶναι, σὺ ἄρα φὴς λίθον εἶναι. Quod illi sic reddiderunt: Putas quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse: dicis autem lapidem esse, tu ergo lapis dicis esse. Obsecro, quis omnino sensus humanus ex his uerbis percipi possit? Ambiguitas enim ex parte pendet ex idiomate Græci sermonis, quæ est in maiore ac minore, quanquã in maiore est & alia ambiguitas, in duabus dictionibus. ὃ & τοῦτο, quæ si capiantur nominandi casu, sensus erit: Quicquid te dicis esse, hoc tu es. Sin accusandi, sensus erit: Quamcũq; rem tu dicis esse, eam dicis esse, & ad hunc sensum subsumit: λίθον φὴς εἶναι. Sed ad priorem colligit, σὺ ἄρα φὴς λίθον εἶναι. Græci sermonis proprietatem semel au-
Catulli locus sus est imitari Catullus: Phaselus iste, quem uidetis hospites, Ait fuisse nauium celerrimus. Sic enim ferebatur hic uersus in antiquioribus æditionibus. Hoc ignorato, necesse est multis modis delirare eos, qui in hæc loca scribunt commentarios. Ne id quidem quod inibi continenter sequitur, Latino potest esse perspicuũ. καὶ ἆρα ἐστὶ σιγῶντα λέγειν, σιτῶν γάρ ἐστι, τὸ σιγῶντα λέγειν, τότε τὸν λέγοντα σιγᾶν, & τὸ τὰ λεγόμενα. Id reddiderunt hunc in modum: Et putas est tacentem dicere. Duplex enim est, tacentem dicere, & hũc dicere tacentem, & quæ dicuntur. An non hæc Sibyllæ fõlijs obscuriora? H I. Mihi nec Græca satis liquent. L. Exponam pro mea diuinatione? An possibile est tacẽtem dicere? Hæc interrogatio duplicem habet sensum, quorum alter est falsus & absurdus, alter esse potest uerus.

Nam

Digitized by Google

Nam fieri nõ po teſt,ut qui loquitur,non dicat ea,quæ loquitur,hoc eſt,ut loquendo taceat. Sed fieri poteſt, ut is qui loquitur,taceat eum qui loquitur. Quanquã hoc exẽplũ recidit in alterã formã,quã paulo poſt ſubijcit. Rurſum illud admiror,qd'mox in genere ambiguitatis, quæ naſcitur ex pluribus dictionibus cõiunctis,mutarint Græci uocẽ ſeculi ĩ literas ἐπίσαθ τὰ γράμματα, cũ Latini codices habeant,ſcire ſeculum. Hinc enim duplex ſenſus naſcitur, uel ut ipſum ſeculũ ſciat aliqd, uel ut aliquis ſciat ſeculũ. Verum hoc mollius eſt in αἰῶνα ſiue in κόσμον, quàm in γράμματα. Nam literæ dicũtur abſurde ſcire quippiam. Verum nihil abſurdi ſit,ſi quis dicat,aliquid noſtro ſeculo notum eſſe. Aut aliquẽ noſſe ſuum ſeculum. Iam aliquãto poſt ubi proponit exẽplũ ambigui ex accentu,nõ ueritus eſt interpres pro uerbis Homeri ſupponere Vergiliana,quũ eadem fuerit neceſsitas ĩ illo exẽplo. Quicquid dicis eſſe,hoc es. Ex Homero refert Ariſtoteles: οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ. Si οὗ aſpiretur ac circũflectatur,ſonat, cuius computreſcit pluuia. Sin οὗ ſit exile & acutum, ſonat,non computreſcit pluuia. Atque hoc quidem ſumptũ eſt ex Iliados ϕ. Alterum eſt: δῖ δόμεν δέ οἱ εὐχωλὰς ἀρέσθαι. Accentu collocato ſuper penultimam, ſonat,concede illi. Sin ſuper primam δῖ δομεν, ſonat damus. At poëta nõ ſentit Iouem dicere,concedimus illi: ſed Iupiter mãdat ipſi ſomnio,ut illi ad quem mittitur, concedat potiri uoto. Dictum eſt enim, δῖ δόμεν pro δῖ δόναι. Pro his duobus Homericis, ſubiecerunt hæc ex noſtris poëtis, uclut illud ex Odis Horatij,

Me

Me tuo. Horatius diuisit, ut subaudias, amici eo.

Me tuo longas pereunte noctes.
Lydia dormis.

Etenim si accentus sit in, me, correpto: & tu, sit graue, unica dictio est, métuo, id est, timeo. Quãquam hæc ambiguitas pendet non solum ex accentu, uerum etiam ex compositione. Alterum supposuerunt ex Vergilio.

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nymbi.

Quanquam hæc quoque ex cõpositione nascitur ambiguitas. H I. Sunt ista quidẽ arguta dignáq; cognitu Leonarde, sed interim uereor, ne cui conuiuiũ hoc sophisticũ uideatur magis quàm poëticũ. Aliás si uidebitur uel totũ diem uenabimur Elenchos in Elenchis. L. Hoc est, in luco ligna, ĩ mari quæremus aquã. H I. Vbi est meus Mus? M V S. Adest. H I L. Mone Margaretã, ut tradat bellaria. M V S. Abeo. H I. Rursum ades uacuus? M V. Negat se de bellarijs cogitasse, et ait satis diu sessum esse. H I. Vereor ne si diutius hic philosophemur. illa nobis mẽsam subuertat, quẽadmodũ Xanthippe Socrati. Cõsultius est igitur, ut bellaria sumamus in horto, ibi simul & ambulabimus, et libere nugabimur. Interea sibi quisque decerpat ex arbore, qd' lubet. C O N. Placet cõsiliũ. H I. Est illic fonticulus, quouis uino suauior. C A. Qui fit, ut hortus tuus magis niteat, quàm aula? H I L. Quia hic uersor frequentius, Si quid arridet hic, ne parcite nostris opibus hortẽsibus. Iã si satis uidetur deambulatũ, quid si considamus huc sub tilia, & Musas cieamus? P A R T. Age fiat. H I L A. Thema suppeditet hortus ipse. P A R T. Si præcesseris, sequemur. H I. Age faciã. Præpostere facit, cui uarijs delicijs nitet hortus,

Elenchos. id est redargutiones ἔλεγχος enĩ redarguere.

tus, quum animũ habeat nullis disciplinis, nullis uirtutibus excultum. LEO. *Credemus adesse Musas si reddideris eandem sententiam carmine.* HIL. *Hoc mihi longe procliuius prosam orationẽ uertere carmine, quàm argentum commutare auro.* LE. *Dic igitur.* HIL.

Cui renitet hortus undiquaq; floſculis,
Animumq; nullis expolitum dotibus,
Squalere patitur, is facit præpoſtere.
Habetis carmen Muſis & Apolline nullo.
Sed elegans fuerit, ſi ſinguli hanc ſententiam diuerſo genere carminis reddatis.

Et Apollini nullo. Alluſit ad illud Martialis; Muſis & Apolline nullo. Quid ſcribis uerſus hoc Ciceronis habes.

LEON. *Qui uicerit, quid præmij feret?* HI. *Hũc calathum onuſtũ malis, aut prunis, aut ceraſijs, aut meſpilis, aut piris, aut ſi qd aliud magis adblãditur.* L. *Quis erit arbiter certaminis?* HI. *Quis niſi Crato? Et idcirco ſolus nõ certabit, quo magis auſcultet.* CR. *Vereor ne talẽ ſitis habituri iudicẽ, qualẽ olim habebãt coccyx & luſcinia, iter ſe de canẽdi gloria decertãtes.* H. *Sat eſt ſi placeo oĩbus.* CON. *Placet arbiter, incipe Leonarde.* LE.

Adblanditur. i. placet, ſicut arridere dicitur, quod placet.

Coccyx, qui latine dicitur Cuculus pennul. pdu. Nouus eſt Apologus de certamine canẽdi iter luſcinia & cuculum, aſino iudice.

Cui tot delicijs renidet hortus,
Herbis, floribus, arborumq; fœtu.
Et multo & uario, nec excolendum
Curat pectus, & artibus probatis
Et uirtutibus, is mihi uidetur
Læuo iudicio, parumq; recto.

Arrodit unguẽ. Geſtus eſt cogitantis. Perſius. Nec pluteũ cedit, nec demorſos ſapit ungues. Idẽ; Chæreſtratus unguẽ arrodẽs ait hoc

DIXI.

HIL. *Carinus arrodit unguem. Expectamus aliquid elaboratum.* CAR. *Nulla adeſt Muſa.*
Cura cui eſt, ut niteat hortus floſculis ac fœtibus,

Digitized by Google

Negligenti excolere pectus disciplinis optimis,
Hic labore, mihi ut uidetur, ringitur præpostero.
HIL. Non frustra arrosus est unguis. EVB. Quoniam
ordo me uocat, ne nihil adferam:
Qui studet, ut uarijs niteat cultissimus hortus
Delicijs, patiens animum squalere nec ullis
Artibus expoliens, huic est præpostera cura.
HIL. Non est quur extimulemus Sbrulium. Nam ille
sic scatet uersibus, ut plerunq; uel imprudens effundat
carmina. SBRVLIVS.
Cui uernat hortus cultus & elegans,
Nec pectus ullis artibus excolit,
Præpostera is cura laborat.
Sit ratio tibi prima mentis. PAR.
Quisquis accurat uarijs ut hortus
Floribus uernet, neq; pectus idem
Artibus sanctis colit, hunc habet præ
postera cura.
HIL. Nunc experiamur, cui hortus suppeditet plures
sententias. LE. Quid ni faciat tã dues? Vel hoc rosetum
mihi suggeret, quod dicã. Vt breuis est rosæ nitor, ita fu
gax est iuuẽtus: properas carpere rosam prius quã mar
cescat, magis adnitendũ est, ne sine fructu tibi effluat iu
uẽtus. HI. Thema satis aptũ carmini. CAR. Vt inter ar
bores suus cuiq; fœtus est, ita inter homines suæ cuiq; do
tes sunt. EV. Vt terra si excolatur, uarias opes gignit
in usus humanos, neglecta spinis ac uepribus obducitur:
ita hominis ingenium si excolatur optimis studijs, pluri
mas ædit uirtutes: sin nẽgligas, uarijs occupatur uitijs.

Sbr.

Digitized by Google

SB R. *Hortus quotannis colẽdus eſt, ut niteat: Animus ſemel excultus honeſtis ſtudijs, perpetuo floret ac uernat.* PART. *Vt amœnitas hortorũ nõ auocat animũ ab honeſtis ſtudijs, ſed ad hæc inuitat potius: ita quærendi ſunt luſus ac ioci, qui nõ abſunt à literis.* HI. *Euge uideo examen ſententiarũ. Nũc ad uerſus. Sed ante q̃ id aggrediamur, mea ſentẽtia fuerit exercitatio nec inelegãs, nec infrugifera, ſi primã ſentẽtiã toties reddamus Græcis uerſiculis, quoties reddidimus Latinis. Hic auſpicabitur Leonardus, iã olim familiaris Muſis Græcanicis.* LE. *Ineptiam, ſi iubes.* HI. *Iubeo atq; impero.* LEO.

ὦ κἄκιστός ἐσιμ ἄνθεσιμ γελῶμ καλοῖς,
Ο δὲ νῶς μάλ' ἀυχμῶμ, τοῖς καλοῖς μαθήμασι
Οὐκ ἔσι κόμψος, οὔτος οὐκ ὀρθῶς φρονεῖ,
Περὶ πλείονος ποιῶμ τὰ φαῦλ' ἢ κρείττονα.

Ego præſidem egi, ſuccedet qui uolet. HIL. *Carinus.* CAR. *Imò Hilarius.* LEO. *Sed uideo Margaretam interuenire, adfert neſcio quid deliciarum.* HIL. *Si id ſe cerit, me fefellerit mea furia. Quid adfers?* MAR. *Sinapi, quo condiatis ueſtra bellaria. An non pudet hic garrire in multam noctẽ, & poſtea uos poëtæ multa blateratis in loquacitatem fœminarũ?* CRA. *Haud male monet Margareta, iam tempus eſt, ut ſuum quiſq; nidum adeat. Aliàs in hoc pulcherrimo certaminis genere, uel ſolidum diem conſumemus.* HIL. *Sed cui addicis præmium?* CRA. *In præſentia quidẽ mihi ipſi addico. Nullus enim uicit præter unũ me.* HI. *Qui uicisti, qui non certaueris?* CR. *Vos certaſtis, at non decertaſtis. Ego quod nemo ueſtrum potuit, uici Margaretam.* CA. *Hi-*

Ego præſulem. Alluſit ad ſalios ſacerdotes Martis, ni fallor, q̃ ſaltabant in pompa; præſul autẽ, qui ſaltat primus. Eſt in q̃buſdã choreis mos, ut unus ſolus auſpicet ſaltationem, un de quiſq; alijs contantibus rẽ cœpit, dicit incepiſſe choreã.

Digitized by Google

lari, æquum postulat, auferat calathum.

AVLVS, BARBATIVS. AVLVS.

Puerorum. In libello cui titulus Cato, nã is pueris prælegitur.

PVerorum est cantilena: Saluta libenter. Verũ haud scio, an mihi fas sit tibi dicere salutẽ. BAR. Equidem malim qui det salutem, quàm qui dicat. Sed quã ob rem isthuc ais Aule? AVL. Quam ob rem? Quia si scire

Veioues, sũt Iones sinistri & noxij. Sic uocunt poẽtæ Numen leuum, Veiouem.

uis, oles aut sulphur, aut fulmen Iouis. BAR. Sunt & Veioues, sunt bruta fulmina multum etiam origine diſsidentia à fatidicis. Nã, ut suspicor, tu de anathemate sentis. AVL. Rem coniectas. BAR. Audiui quidem horrẽda

Bruta fulmina. Vide Pli. lib. 2. cap. 43. Bruta, quia sine ratione ueniunt, nec quicquã portẽdunt.

tonitrua, fulminis ictum non sensi. AV. Qui sic? BAR. Quia nihilo peius cõcoquo, neq; irrequietius dormio. AV. Sed hoc periculosius solet esse malũ, quia non senti

Fatidica, prædicunt aliquid.

tur. Verũ hæc bruta fulmina, quæ tu uocas, feriunt montes & maria. BAR. Feriunt, sed irritis ictibus. Est & fulgur è uitro seu uase æreo. AVL. Certe territat & hoc.

Montes & maria &c. Refert Plinij uerba ex loco quem modo citaui.

BAR. Verũ, sed pueros. Solus deus habet fulmen, quo ſeriat animam. AV. Quid si deus est in suo uicario? BAR. Vtinam sit. AV. Imò multi demirantur te iam dudũ nõ

Fulgur e uitro. Vide puerbiũ.

esse quouis carbone atriorẽ. BAR. Finge me talẽ. Atqui tanto magis erat optanda salus perdito, si placet euãgelica doctrina. AV. Optanda quidẽ, at nõ dicẽda. BAR.

Carbone atriorem. Videtur innuere quempiã excõicatum.

Quur ita? AVL. Quo pudescat ictus fulmine, ac resipiscat. BAR. Si sic nobiscũ egissет deus, perieramus oẽs. AV. Quã ob rem? BAR. Quia quũ essemus inimici dei, cultores idolorũ, militantes in castris satanæ, hoc est, modis omnibus excõmunicatißimi, tum ille maxime nobiscũ confabulatus est per filiũ suũ, suoq; colloquio nos restituit in uitã, quũ essemus mortui. AVL. Ista quidẽ uere narras.

narras. BAR. Imò male ageretur cũ omnibus ægrotis, si medicus fugeret alloquium, quoties ingens morbus graꝛuat miserũ. Imò tum maxime cõueniebat adesse medicũ. AVL. At ego metuo, ne tu mihi citius affles aliquid tui mali, quàm fiat, ut tuo morbo medear. Nonnunquam usu uenit, ut pro medico fiat palæstrites, qui uisit ægrotũ. BAR. Ita quidem usu uenit in corporũ morbis. Verum in animi malis est tibi parata antidotus aduersus omne contagium. AV. Quæ nam? BAR. Adamantinũ proposi tum, nõ diuelli à sententia semel infixa. Deinde quur pa læstram metuis, ubi res uerbis agitur? AV. Est aliquid, quod dicis, si modo spes sit profectus. BAR. Prouerbio dicitur, donec spirat homo, sperandũ esse. Et iuxta Paulum: Charitas nescit desperare, quia sperat omnia. AV. Nõ pessime moncs, atq; hac spe puto mihi fas esse, tecũ miscere sermonẽ aliquantisper. Ac si pateris, medicum agã. BAR. Licet. AV. Vulgo sunt inuisi percontatores. Et tamen in medicis probantur, qui percõtantur de singulis. BAR. Percontare à cœlo usq; ad terram, si libet. AV. Experiar, modo fidẽ des, te responsurũ ex animo. BAR. Do, modo sciam, qua de re uelis percontari. AV. De symbolo Apostolorũ. BAR. Audio militare uerbũ, nec recuso haberi pro hoste Christi, si quid hic fefellero. AV. Credis in deũ patrẽ omnipotentem, qui condiderit cœlũ ac terrã? BAR. Et quicquid cœlo terraq; cõtineretur, atq; etiã mentes angelicas. AV. Quũ Deũ dicis, quid sentis? BAR. Sentio mentẽ esse quandã æternã, quæ nec initiũ habuerit, nec finẽ sit habitura: qua nihil esse potest nec maius, nec sapiẽtius, nec melius. AV. Ista

Palæstrites. i. lutator, nimirum quũ iuisit phreneticum.

A cœlo usquè ad terram. Plautinum prouerbium, a capite usq; ad pedes.

Militare uerbũ. Qui baptizantur, dant nomẽ imperatori Christo, cuius sacramentis autorãtur. Et symbolum apud milites signũ est, qđ inter ipsos conuenit, siue id uocale est siue mutum.

Deus pater.

Digitized by Google

quidem satis pie. BAR. Quæ nutu suo omnipotenti condidit quicquid est rerũ uisibiliũ, aut inuisibiliũ: quæ sapientia mirabili moderatur, ac gubernat uniuersa, sua bonitate pascit ac seruat omnia, atq; hominũ genus collapsum gratuitò restituit. AV. Sunt quidẽ ista tria præcipua in deo, sed quid fructus capis ex istorũ cognitione? BAR. Quũ omnipotentẽ cogito, me totũ illi summitto, ad cuius maiestatẽ nihil est hominũ aut angelorũ sublimitas. Deinde plena fiducia credo, qđ ab illo factũ tradunt sacræ literæ, simulq; futurũ, quicquid ille promisit, quãdo nutu quicquid uult potest, quantũuis homini uideatur impossibile. Ita fit, ut meis uiribus diffisus, totus ab illo pendeã, qui potest omnia. Vbi sapientiam illius intueor, nihil tribuo meæ sapientiæ, uerũ credo omnia rectissime iustissimeq; ab eo fieri, etiamsi iuxta sensum humanũ uideantur absurda aut iniqua. Quũ bonitatem cõsidero, uideo nihil esse in me, qđ illius gratuitæ beneficentiæ nõ debeã, & nullũ arbitror esse tantũ crimen, qđ ille nolit ignoscere resipiscẽti: neq; quicq̃ esse, quod ille nõ sit largiturus cũ fiducia petẽti. AV. Num satis esse putas, qđ credis illũ esse talẽ? BAR. Nequaq̃. Sed syncero affectu totam fiduciã ac spem in illũ unum trãsfero, detestans satanã omnemq; idololatriã, & quicquid est artium magicarũ. Illũ solũ adoro, nihil illi nec præferẽs, nec æquans, nõ angelũ, nõ parẽtes, nõ liberos, non uxorẽ, non principẽ, nõ opes, nõ honores, nõ uoluptates, paratus & uitã illius causa perdere, si iusserit, certus eum non posse perire, qui se totũ illi tradiderit. AV. Nihil igitur colis, nihil times, nihil amas, nisi unũ deum?

Digitized by Google

dæum? BAR. Si quid uereor, si quid metuo, si quid amo præter eũ, eius causa amo, metuo, colo, omnia ad illius gloriam referens, semper illi gratias agẽs, siue læta contingunt, siue tristia: siue mori datur, siue uiuere. AV. Sana quidẽ est hactenus tua oratio. De secũda persona qd sentis? BAR. Scisciture. AV. Credis Iesum fuisse deũ & hominẽ? BAR. Maxime. AV. Qui fieri potuit, ut idẽ sit deus immortalis, & homo mortalis? BAR. Isthuc illic facile fuit efficere, qui quicquid uult, potest. Et ob diuinã naturam, quã eandẽ habet cũ patre, quicquid magnitudinis, sapiẽtiæ & bonitatis attribuo patri, idẽ tribuo & filio: quicquid debeo patri, debeo & filio, nisi quod ita uisum est patri, ut per filiũ cõderet ac donaret nobis omnia. AV. Quur igitur sacræ literæ filium magis appellant dominũ, quàm deũ? BAR. Quia deus autoritatis est nomen, quæ patri cõuenit, dñs redẽptoris & assertoris. Quanquam & pater redemit per filiũ, & filius deus est ex deo. AV. Ergo & in Iesu collocas tuã fiduciam? BAR. Quid ni? AV. Sed propheta maledictũ dicit, qui fidit in homine. BAR. Sed huic uni homini data est omnis potestas in cœlo & in terra, ut in nomine eius flectatur omne genu, cœlestiũ & inferorũ. Quanquam nec in hoc fiduciæ spei q; meæ sacrã, ut aiũt, ancorã figerẽ, ni deus esset. AV. Quur eũ filiũ appellat? BAR. Ne qs somniet esse creaturã. AV. Quur unicum? BAR. Vt discernat naturæ filiũ à filijs adoptiuis, cuius cognominis honorẽ nobis etiã impartit, ut neminẽ præter hũc alium expectemus. AV. Quur eũ qui deus erat, hominẽ fieri uoluit? B. Vt homines homo recõciliaret deo. AV. Credis

Filius.

Ne quis somniet &c. Arrius docuit filiũ dei etiam iuxta perfectissimam naturam fuisse creaturam. At qui natura filius est gignitur ex substantia patris. Dei substantia indiuisibilis est, eandem igitur oportet esse patris & filij, de diuinis personis loquor.

conceptum citra uirilem operam, opificio ſpiritus ſanctiſ ac natũ ex incorrupta uirgine Maria, de illius ſubſtantia ſumpto mortali corpore? BAR. Maxime. AV. Cur ſic naſci uoluit? BAR. Quia ſic decebat naſci deũ, ſic decebat naſci, qui noſtræ conceptionis ac natiuitatis ſordes purificaret. Hominis filius naſci uoluit deus, ut nos in illũ renaſcentes, efficeremur filij dei. AV. Credis illum uerſatum in terris, ea geſſiſſe miracula, ea docuiſſe, quæ prodita ſunt literis Euangelicis? BAR. Certius quam te credo eſſe hominẽ. AV. Non ſum inuerſus Apuleius, ut ſuſpiceris aſinũ latere ſub hominis ſpecie. Sed credis hunc eundem eſſe Meßiam illũ, quem delinia-

Apuleius. Nam is mẽtem homi nis tegebat ſub aſiniana ſpecie quũ multi ſint qui ſub humana ſpecie tegũt aſinum.

rant figuræ legis, quem promiſerant oracula prophetarum, quem tot ſeculis expectarãt Iudæi? BAR. Nihil habeo perſuaſius. AV. Credis huius doctrinam ac uitã ſufficere ad perfectam pietatem? BAR. Admodũ. AV. Credis eundem uere comprehenſum à Iudæis, uinctum, colaphis & alapis cæſum, conſputum, irriſum, flagellatum ſub Pontio Pilato, ac deniq; ſuffixum in crucem, atque inibi mortuum? BAR. Maxime. AV. Credis illum ab omni lege peccati cuiuſcunq; fuiſſe immunem? BAR. Quid ni agnum abſque macula? AVL. Credis illum ſua ſponte hæc omnia perpeßum? BAR. Imò libenter, atq; etiam ſitienter, ſed ex uoluntate patris. AVL. Quur pater filium ſuum unicum innocentem, ſibiq; chariſſimũ, hæc tam atrocia pati uoluit? BAR. Vt hac uictima nos nocentes ſibi reconciliaret, in illius nomen collocantes fiduciam ac ſpem noſtram. AV. Cur deus paſſus eſt, ſic collabi totum humanũ genus? Et ſi paſſus eſt, nõ potuit

alia

Digitized by Google

alia uia ſarciẽdi ruinã noſtram? B A R. Hoc mihi perſuaſit, nõ humana ratio, ſed fides, nulla ratione potuiſſe fieri melius, neq; ad ſalutẽ noſtram utilius. A V. Quur hoc mortis genus illi potiſſimũ placuit? B A R. Quia iuxta mundũ erat probroſiſſimũ, quia diri lentiq; crucia tus: quia cõueniebat illi, qui porrectis in omnẽ mũdi plagam mẽbris, omneis orbis nationes inuitaret ad ſalutem, & homines terrenis curis affixos euocaret ad cœleſtia. Deniq; ut referret nobis ſerpentẽ æneum, quem Moſes ſuſpẽderat in ſtipite, ut quicunq; defigerẽt in illum oculos, ſanarẽtur à uulnere ſerpẽtum, fidemq; prophetæ liberaret, qui prædixerat: Dicite in nationibus, regnauit à ligno deus. A V. Quur & ſepeliri uoluit, idq; tam accurate? oblitus unguẽtis, incluſus nouo monumẽto è ſolido uiuoq; ſaxo excíſo: obſignato oſtio, adhibitis etiã cuſtodibus publicis? B A R. Quo magis cõſtaret eſſe uere mortuum. A V. Quur nõ ſtatim reuixit? B A R. Hac ipſa de cauſa. Etenim ſi mors fuiſſet ambigua, fuiſſet & ambigua reſurrectio: ſed hãc uoluit eſſe certiſſimã. A V. Credis huius animã deſcẽdiſſe ad inferos? B A R. Hãc particulam nõ fuiſſe quondã additã, nec in ſymbolo Romano, nec in ſymbolo Oriẽtalium eccleſiarum, teſtis eſt Cyprianus, nec recẽſetur apud Tertullianum uetuſtiſſimum ſcriptorem. Ego tamen & hoc firmiter credo, uel quia congruit cum prophetia pſalmi: Non derelinques animã meam in inferno. Et rurſus: Domine eduxiſti ab inferno animã meam: uel quia Petrus apoſtolus in epiſtolæ prioris, de cuius autore nunquam fuit dubitatũ, capite tertio ſcripſit hunc in modũ: Mortificatus quidẽ carne, uiuificatus

Viuo ſaxo. Ex ſaxa naſcantur & augeſcãt incertũ. Viua tamen ſaxa dicũtur, quæ nondũ ſuo loco ſunt amota.

uiuificatus autem ſpiritu, in quo & his qui in carcere erant, ſpiritu ueniens, prædicauit. Verũ ut credo deſcendiſſe ad inferos, ita non credo illic aliquid eſſe paſſum: deſcẽdit enim, non ut illic cruciaretur, ſed ut nobis frangeret regnũ ſatanæ. A V. Nihil adhuc impium audio. Sed mortuus eſt, ut nos peccato mortuos, reuocaret ad uitam. Cæterum quur reuixit? B A R. Tribus potiſſimũ de cauſis. A V. Quibus? B A R. Primũ ut nobis certam ſpem faceret reſurrectionis. Deinde, ut ſciremus eum immortalem eſſe, nec unquam moriturum, in quo præſidia ſalutis noſtræ collocauimus. Poſtremo, ut nos quoq; per pœnitentiã mortui peccatis, per baptiſmũ una cum illo ſepulti, per gratiam eius reuocemur ad uitæ nouitatem. A V. Credis ne, quod idem corpus, quod mortuũ fuit in cruce, quod reuixit in ſepulchro, quod uiſum & contrectatum eſt diſcipulis, ſubuexerit in cœlum? B A R. Maxime. A V. Quur uoluit relinquere terras? B A R. Vt illũ omnes ſpiritualiter amaremus, neq; quiſquam in terris ſibi Chriſtũ proprie uindicaret, ſed omnes ex æquo tolleremus animos in cœlum, ſciẽtes illic eſſe caput noſtrũ. Etenim ſi nunc homines tantopere ſibi placẽt obueſtis colorẽ ac figurã, quumq; ſic quidã oſtentent ſanguinẽ aut præputiũ Chriſti, & lac matris uirginis: quid credis futurũ, ſi manſiſſet in terris ueſtitus, comedẽs, loquens, quæ diſſidia paraſſent iſta corporis peculiaria? A V. Credis illic immortalitate donatũ aſſidere dextrũ patri? B A. Quid ni? ut rerũ omniũ dominũ, & totius regni paterni conſortem. Hoc ipſe diſcipulis promiſerat futurũ, atq; hoc ſpectaculũ exhibuit Stephano martyri ſuo.

Digitized by Google

ſuo. A V. Quur hoc exhibuit? B A R. Ne nos ulla in re trepidaremus, gnari quàm potentẽ patronũ ac dominum habeamus in cœlis. A V. Credis illũ eodẽ corpore redituruũ, ut iudicet uiuos & mortuos? B A R. Quàm habeo certum eſſe hactenus peracta, quæ prophetæ de Chriſto prædixerãt, tam habeo certũ, & fore quicquid in poſterum uolut nos expectare. Prior aduẽtus exhibitus eſt iuxta uaticiniũ prophetarũ, quo uenit humilis, ut nos inſtitueret ac ſeruaret. Exhibebitur & ſecũdus, quo ueniet ſublimis in gloria patris: ante cuius tribunal ſiſti cogẽtur omnes homines cuiuſcũq; nationis, cuiuſcũq; ſtatus, ſiue reges, ſiue plebei, ſiue Græci, ſiue Scythæ, nec ſolũ hi, quos aduẽtus ille deprehendet uiuos, uerum etiã omnes qui ab initio mũdi uſq; ad illud tẽpus mortui fuerint, ſubito reuiuiſcẽt, & ſuo quiſq; corpore conſpiciet iudicẽ. Aderunt & angeli beati, tanq; famuli fideles, aderũt & dæmones iudicãdi. Tũ è ſublimi pronũciabit illã ineuitabilẽ ſentẽtiã, quæ diabolũ cum his qui illi adhæſerũt, tradet æternis ſupplicijs, ut poſtea nulli poſſint nocere: pios transferet in cõſortiũ regni cœleſtis, tutos ab omni moleſtia: quãquã huius aduẽtus diem nobis ignotũ eſſe uoluit. A V. Nihil adhuc audio morbi. Veniamus igitur ad tertiã perſonã. B A R. Vt uidetur. A V. Credis in ſpiritũ ſanctũ? B A. Credo hunc eſſe uerũ dcũ unà cum patre & filio. Credo hoc ſpiritu afflatos fuiſſe, q nobis ueteris ac noui teſtamẽti libros tradiderũt, ſine cuius opere nemo peruenit ad ſalutẽ. A V. Quur appellatur ſpiritus? B A. Quia quẽadmodũ corpora noſtra uiuũt halitu, ita tacito ſancti ſpiritus afflatu uiuificãtur animi noſtri. A V. Spiritusſanctus.

An non

An nõ licet patrẽ uocare ſpiritũ? B A R. Quid ni? A V. An nõ igitur cõfunduntur perſonæ? B A R. Non. Nam pater ſpiritus dicitur, quod ſit incorporeus, id quod omnibus perſonis eſt cõmune iuxta naturã diuinam. Sed tertia perſona dicitur ſpiritus, quod alicunde ſpiret, & per animos ſeſe transfundat inſenſibiliter, uelut à terra ſeu fluuijs ſpirãt auræ. A V. Quur perſonæ ſecũdæ tribuitur nomẽ filij? B A R. Ob perfectã naturæ & uoluntatis ſimilitudinem. A V. Eſt filius ſimilior patri quàm ſpiritus ſanctus? B A R. Non iuxta naturã diuinã, niſi quod hoc magis refert proprietatẽ patris, quod ab ipſo quoq; procedat ſpiritus ſanctus. A V. Quid igitur prohibet ſpiritum ſanctum appellari filium? B A R. Quia nuſquam hũc lego genitũ, nec huius lego patrẽ: ſpiritũ & procedentem lego. A V. Quur ſolus pater dicitur deus? B A R. Quod hic ſimpliciter ſit autor omnium, quæ ſunt. A V. Credis in ſanctã Eccleſiam? B A R. Nõ.

Credere ecclesiam.

A V. Quid ais? nõ crediſ? B A R. Credo ſanctam eccleſiam, quæ eſt corpus Chriſti, hoc eſt, cõgregatio quædã omniũ per uniuerſum orbẽ, qui conſentiũt in fide Euangelica, qui colunt unum deum patrẽ, qui totã ſuam fiduciam collocant in eius filio, qui eodẽ huius ſpiritu aguntur, à cuius cõſortio reſecatur, quiſquis admittit crimen letale. A V. Quur horres dicere: Credo in ſanctã eccleſiam? B A. Quia me docuit diuus Cyprianus, in ſolum deum eſſe credẽdũ, in quo ſimpliciter omnẽ fiduciam reponimus. Eccleſia uero, quanquam non conſtat niſi ex bonis, tamen ex hominibus conſtat, qui ex bonis poſſunt fieri mali, qui falli poſſunt & fallere. A V. Quid ſentis de com

de cõmunione ſanctorum? B A R. Hic articulus omni- Sanctorum
no nõ attingitur apud Cyprianũ, quum ille nominatim communio.
indicet, quid in quibus eccleſijs plus habeatur aut minus.
Sic enim ille cõnectit. Seqtur nãq; poſt hũc ſermonẽ, ſan
ctã eccleſiã, remiſſionẽ peccatorũ, huius carnis reſurre=
ctionẽ. Ac nõnullis uidetur hæc pars nõ eſſe diuerſa à ſu
periore, ſed explicare & infigere, quod modo dictum
erat, Sanctã eccleſiam: ut nihil aliud ſit eccleſia, q̃ unius
dei, unius euãgelij, unius fidei, unius ſpei profeßio, eiuſ=
dẽ ſpiritus, eorundẽ ſacramẽtorũ participatio: breuiter,
talis quædã cõmunio bonorũ omniũ inter omnes pios,
qui fuerũt ab initio mũdi uſq; ad finẽ, qualis eſt mẽbro=
rum corporis inter ipſa ſocietas, ſic ut aliorũ benefacta
ſubueniãt alijs, donec uiua ſunt mẽbra corporis. Cæterũ
extra ſocietatẽ hanc ne propria quidẽ benefacta condu
cunt cuiquam ad ſalutẽ, niſi recõcilietur ſanctæ cõgrega
tioni: & ideo ſequitur, remiſſionẽ peccatorũ, quia extra Remiſſio pec
eccleſiã nõ eſt ulla peccatorũ remiſſio, quantũuis homo catorum.
maceret ſe pœnitẽtia, aut exerceat opera miſericordiæ.
In eccleſia, inquam, non hæreticorũ, ſed ſancta, hoc eſt,
ſpiritu Chriſti cõgregata eſt remiſſio peccatorũ per ba
ptiſmum, & poſt baptiſmũ per pœnitentiã & claues ec
cleſiæ datas. A V. Iſta ſunt adhuc ſani hominis. Credis
ne futurã carnis reſurrectionem? B A R. Fruſtra crede Carnis re=
rem cætera, ſi hoc quod eſt omniũ caput, non crederem. ſurrectio.
A V. Quid ſentis, quum dicis carnem? B A. Corpus hu
manũ, humana anima animatum. A V. Num unaquæq;
anima recipiet ſuũ corpus, qd' exanime reliquerat? B A.
Idẽ hoc, unde demigrarat. Et ideo in ſymbolo Cypriani
additum

additiũ est, huius carnis. AV. Qui fieri potest, ut corpus iam toties ex alijs in alia uersum, possit idẽ reuiuiscere? BA. Qui potuit, quicquid uult, ex nihilo creare, an huic difficile sit, quod ex sua forma mutatũ est, in pristinã naturã restituere? Nõ anxie disputo, quibus modis id fiat. Mihi satis est, qđ qui promisit hoc futurũ, sic uerax est, ut mẽtiri non possit: sic potẽs est, ut quicquid uelit, nutu ualeat efficere. AV. Quid opus erit tum corpore? BA. Vt totus homo glorietur cum Christo, qui hic totus afflictus erat pro Christo. AV. Quid sibi uult qđ addit:

Vita æterna. Et uitã æternã? BA. Ne quis suspicetur nos sic reuicturos, quẽadmodũ sub uernũ tẽpus reuiuiscũt ranæ, rursus morituræ. Nam hic duplex mors est, corporis bonis ac malis omnibus cõmunis, & animi. Mors autẽ animi peccatũ est. At post resurrectionẽ pijs erit æterna uita, tum corporis tum animi. Nec enim corpus erit amplius obnoxiũ morbis, senio, fami, siti, dolori, lassitudini, morti, aut ulli incõmodo, sed spirituale factũ spiritus arbitrio mouebitur. Nec animus deinceps ullis uitijs aut doloribus sollicitabitur, sed sine fine fruetur summo bono, qui est deus. Cõtra, impios mors æterna possidebit tũ corporis tum animi. Nã & corpus habebũt ad æternos cruciatus immortale, & animũ peccatorũ stimulis semper afflictũ absq; spe ueniæ. A. Credis hæc ex animo, ac serio. BA. Sic, inquã, ut mihi minus certũ sit, te mecũ colloq. A. Ego quũ essem Romæ, nõ omneis repi æque syncere credẽtes. B. Imò si excutias, repias & alibi multos, qbus hæc nõ æque persuasa sunt. A. Quũ in tam multis & arduis cõsentias uobiscũ, quid obstat, quo minus totus sis noster?

BAR.

Digitized by Google

BAR. Istud ex te audire cupio. Nã ipse mihi uideor orthodoxus, etiã si uit. meã nolim præstare, tametsi sedulo conor, ut professioni respõdeat. AV. Vnde igitur tantum bellũ inter uos & orthodoxos? B A. Exquire. Sed heus medice, si non pœnitet huius procœmij, sumes nobiscum prãdiolũ, & à prãdio per ociũ percõtaberis de singulis, præbebo brachiũ utrũq;, inspicies excremẽtatũ craßiora, tum liquidiora. Deniq; facies, si uidebitur, totius huius pectoris anatomiam, quo certius de me iudices. A V. At religio est tecum mẽsam habere cõmunẽ. B A. Atqui id solẽt medici, quo melius obseruẽt, qd affectẽt aut peccẽt ægroti. A V. Sed uereor, ne uidear fauere hæreticis. BA. Imò nihil est sanctius, q̃ fauere hæreticis. AV. Qui sic? BA. Nonne Paulus optauit anathema fieri pro Iudæis plus q̃ hæreticis? An non fauet ille, qui studet, ut qs ex malo fiat bonus, ex mortuo uiuus? AV. Maxime. B A. Sic igitur faue, nec erit qd metuas. A V. Nunquã audiui ægrotũ cõmodius respõdentẽ. Age duc me ad prãdiũ. BA. Medice accipieris, & ut decet apud ægrotũ, & sic curabimus corpuscula cibo, ut nihilo secius animus idoneus sit ad disputãdũ. A. Fiat bonis auibus. B. Imò malis piscibus fiet, nisi fortè nũc oblitus es esse diẽ Veneris. A. Id qdẽ est præter symbolũ nostrũ.

Orthodoxus, id est rectæ opinionis, cui contrariũ est hæreticũ uocabulũ.

Præstare dicitur, qui suo periculo uitiũ aut corripit aut defendit.

ΓΕΡΟΝΤΟΛΟΓΙΑ, siue ὄχημα.

EVSEBIVS, PAMPIRVS, POlygamus, Glycion. EVSE.

QVas nouas aues hic ego uideo? Nisi me fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, uideo tres uetteres congerrones meos considentes, Pampirum, Polygamum, &

Bonis auibus, id est feliciter, alter arripuit iocum ex ambiguo.

Præterſymbolum. Rursum iocus est ex ambiguo. Nã in symbolo apostolorum nulla mentio est de piscibus, & dicũtur symbola conuiuiorum.

Eusebius, pius.

Pampirus, omnia expertus.

Polygamus, q sæpe duxit uxorem.

Glycion, dulcis siue dulcior.

Nouas aues, alludit ad peregrinas aues. Rara auis.

Vitreis oculis, significat uitrea perspicilla, & fascinatio est, in oculis.

mum, & Glycionẽ. Certe ipsi sunt. PAM. Quid tibi uis cum tuis uitreis oculis fascinator? Congredere propius Eusebi. POL. Salue multũ exoptate Eusebi. GL. Bene sit tibi uir optime. EV. Saluete uos omnes una salute pariter mihi charissima capita. Quis deus aut casus deo felicior nos cõiunxit. Nam nemo, credo, uidit alium annis, opinor, iam quadraginta. Mercurius caduceo suo non potuisset melius nos in unum cõtrahere. Quid hic agitis? PAM. Sedemus. EV. Video, sed qua de causa? POL. Operimur currũ, qui nos deuehat Antuuerpiã. EV. Ad mercatũ? POL. Scilicet, sed spectatores magis quàm negociatores. Quanq; alij aliud est negocij. EV. Et nobis eodẽ est iter. Verũ quid obstat, quo minus eatis? POL. Nondũ cõuenit cum aurigis. EV. Difficile genus hominũ. Sed uis ne, ut illis imponamus? POL. Liberet, si liceret. EV. Simulemus nos uelle simul abire pedites. POL. Citius credãt cancros uolaturos, quàm nos tam grandes pedibus hoc iter confecturos. GLY. Vultis rectũ uerumq; cõsiliũ? POL. Maxime. GLY. Illi potant. Id quo faciunt diutius, hoc plus erit periculi, necubi nos deijciãt in lutum. POL. Admodũ diluculo uenias oportet, si sobriũ aurigã uelis. GL. Quo maturius perueniamus Antuuerpiã, nobis quatuor solis currum stipulemur. Contẽnendũ censeo tantillum pecuniæ. Hoc dãni multis cõmoditatibus pẽsabitur. Sedebimus cõmodius, ac mutuis fabulis suauissime trãsigemus hoc iter.

In plaustro. Alludit ad prouerbium, E plaustro loqui.

POL. Rectè suadet Glycion, ut in uehiculo quoq; iucũdus comes pro uehiculo sit. Quin & iuxta Græcorũ prouerbium, liberius loquemur, nõ de plaustro, sed in plaustro.

GLY.

Digitized by Google

GLY. Transegi, cõscẽdamus. Vah, nũc mihi libet uiuere, posteaquã ex tãto iteruallo uidere cõtigit mihi charissimos olim sodales. EVS. Ac mihi uideor repubescere. POL. Quot annos supputatis, ex quo Lutetiæ cõuiximus? EV. Arbitror haud pauciores quadraginta duobus. PA. Tum uidebamur omnes æquales. EVS. Ita fermè eramus, aut si quid erat discriminis, perpusillũ erat. PAM. At nũc quãta inæqualitas? Nã Glycion nihil habet senij, & huius auus uideri queat Polygamus. EV. Profectò sic res habet. Quid rei in causa? PA. Quid? Aut hic cessauit, ac restitit in cursu, aut ille anteuertit. EV. Ohe, nõ cessant anni, quãtumuis cessant homines. PO. Dic bona fide Glycion, quot annos numeras? GL. Plures quã ducatos. PO. Quot tandẽ? GLY. Sexaginta sex. EV. O uere τιθωνῦ γῆρας, quod aiũt. PO. Sed quibus tandẽ artibus remoratus es senectutẽ? Nam neq; canicies adest, neq; rugosa cutis, uigẽt oculi, nitet utrinq; dentiũ series, color uiuidus est, corpus succulentũ. GL. Dicam artes meas, modo tu uicißim narres nobis artes tuas, quibus senectutẽ accelerasti. POL. Recipio me facturũ. Dic igitur, quò te cõtulisti relicta Lutetia? GL. Rectà in patriã. Illic cõmoratus fermè annũ, dispicere cœpi de deligẽdo uitæ genere, quã ego rẽ nõ leue momentũ habere credo ad felicitatẽ. Circũspiciebam, quid cuiq; succederet, quid secus. POL. Miror tibi tantum fuisse mẽtis, quũ Leutetiæ nihil fuerit te nugacius. GL. Tum ferebat ætas. Et tamẽ ὸ bone, nõ hic meo marte rẽ omnem geßi. POL. Mirabar. GLY. Prius quàm quicquam aggrederer, adij quendã è ciuibus natu grandẽ,

τιθωνῦ γῆρας de longæua, sed florida senectute. Vide prouerbiũ.

Vtrinq; i. superne & inferne. est enim gemina series.

Ferebat, id est, Postulabat.

Digitized by Google

~~longo rerũ usu prudẽtißimũ, ac totius ciuitatis testimo~~ nio probatißimũ, ac meo q̃dem iudicio etiã felicißimũ. EVS. Sapiebas. GLY. Huius usus cõsilio, duxi uxorẽ. POL. Pulchre dotatã? GLY. Dote mediocri, ac planè iuxta prouerbium, τὸ κατ' ἐμαυτόν. Nã & mihi res erat mediocris. Ea res mihi planè ceßit ex animi sententia. POL. Quot annos tum eras natus? GLY. Viginti fermè duos. POL. O te felicẽ. GLY. Nõ totũ hoc fõr tunæ debeo, ne quid erres. POL. Qui sic? GLY. Dicã, ~~alij prius diligunt, quã deligãt.~~ Ego iudicio delegi, quã diligerem. ~~Et tñ hãc magis duxi ad posteritatem, quàm~~ ad uoluptatem. Cum ea uixi suauißime annos nõ plures octo. POL. ~~Reliquit orbũ?~~ GL. Imò ~~supersũt quadriga libe~~ rorũ, filij duo, filiæ totidẽ. POL. ~~Priuatus ne uiuis, an magistratu fungeris?~~ GLY. Eſt mihi munus publicum, poterãt cõtingere maiora. Verũ hoc mihi delegi, quod tantũ haberet dignitatis, ut me uindicaret à cõtẽptu, cæterũ minime molestis negocijs obnoxiũ. Ita nec eſt, qd' quiſquã obijciat, me mihi uiuere, & eſt, unde nõnunquã & amicis dem operã. Hoc cõtentus, nihil unquã maius ambij. Verũ ſic geßi magiſtratũ, ut illi ex me dignitas accreuerit. Hoc ego pulchrius duco, quàm ex muneris ſplendore dignitatem mutuo ſumere. EV. Nihil uerius. GL. Sic itẽr ciues meos cõſenui charus omnibus. EV. Iſtuc uero difficillimũ eſt, quum nõ abs re dictũ ſit, qui neminẽ habet inimicũ, eum nec amicũ habere quenquã: & felicitatis ſemp inuidiã eſſe comitem. GLY. Inſignẽ felicitatem comitari ſolet inuidia. Mediocritas tuta eſt. Et hoc mihi perpetuũ ſtudiũ fuit, ne q̃d mei cõmodi ex aliorum

Id eſt, pro mea ſorte. Vide prouerbiũ. Pittaci, æqualẽ tibi ducito.

Digitized by Google

aliorum incõmodis cõparārem. Illā quam Græci uocāt ἀπραξίαν, quantū licuit, amplexus sum. Nullis negocijs ingeßi memet, sed præcipue cõtinui me ab his, quæ sine offensa multorum ſuſcipi nõ poterant. Itaq; ſi uuādus erit amicus, ſic illi benefacio, ut hac de cauſa nullū mihi parem inimicū. Et ſi quid ortū fuerit ſimultatis alicunde, aut purgatione lenio, aut officijs extinguo, aut diſſimulatione patior intermori. A cõtentione ſemp abſtineo. Quæ ſi ĩciderit, malo rei quàm amicitiæ facere iacturā. In cæteris Mitionem quendā ago, nulli lædo os, arrideo omnibus, ſaluto ac reſaluto benigniter, nullius animo repugno, nullius inſtitutū, aut factū damno, nemini me præfero, patior ſuū cuiq; pulchrū eſſe. Quod tacere uelim, nemini credo. Aliorum arcana nõ ſcrutor: & ſi quid forte noui, nunquàm effutio. De his qui præſentes nõ ſunt, aut taceo, aut amice loquor ac ciuiliter. Magna pars ſimultatum inter homines naſcitur ex linguæ intẽperātia. Alienas ſimultates nec excito, nec alo, ſed ubicunq; datur opportunitas, aut extinguo, aut mitigo. His rõnibus hactenus uitaui inuidiā, ac beneuolentiā ciuiū meorū alui. PAM. Nõ ſenſiſti grauem cœlibatum? GLY. Mihi quidẽ nihil unquā accidit acerbius ĩ uita, uxoris morte, ac uehemẽter optaſſem illā unà mecū cõſeneſcere, liberiſq; cõmunibus frui, ſed quãdo aliter uiſum eſt ſuperis, iudicaui ſic magis expedire utriq;, neq; cauſam putaui, quur me inani luctu diſcruciarẽ, præſertim quū is nihil prodeſſet defunctæ. POL. Nũquám ne inceßit libido repetẽdi matrimonij, præſertim quū iſtud tibi feliciter ceßiſſet? GLY. Inceßit, ſed liberorum cauſa duxe

ἀπραξία Id eſt otiū, ſiue abſtinentia a negocijs. Hinc uerſus prouerbialis ἀνάπαυσίς ὅλη τῶν, καὶ κῶν, ἀπραξία.

Mitionẽ, ex Adelphis Terẽtij.

ſa duxeram uxorẽ, liberorũ cauſa rurſus nõ duxi. PO. At miſerũ eſt cubare ſolũ totas noctes. GLY. Nihil eſt difficile uolenti. Tum cogita, quãtas etiã habeat cõmoditates cœlibatus. Quidã omni ex re decerpũt, ſi qd eſt ĩcõmodi, qualis fuiſſe uidetur Crates ille, cuius titulo ſertur epigrãma uitæ mala colligens. Nimirum his placet illud: Optimũ nõ naſci. Mihi magis arridet Metrodorus, undequaq; decerpẽs, ſi quid ineſt boni. Sic enim fit uita dulcior. Et ego ſic induxi animũ, ut nihil uehemẽter uel oderim, uel expetã. Ita fit, ut ſi quid obtingat boni, nõ efferar aut inſoleſcã: ſi quid decedat, non admodum crucier. PAM. Næ tu philoſophus es uel ipſo Thalete ſapientior, ſiquidẽ iſthuc potes. GL. Si quid ægritudinis obortũ eſt animo, ut multa fert huiuſmodi uita mortaliũ, protinus eijcio ex ãio, ſiue ſit ira ex offenſa, ſiue quid aliud indigne factũ. POL. At ſunt quædã iniuriæ, quæ uel placidiſſimo moueant ſtomachũ. Tales ſunt fre quẽter & famulorũ offenſæ. GL. Nihil ego patior reſidere in ãio meo. Si mederi queam, medeor: ſin minus, ſic cogito, qd proderit me ringi, re nihilo melius habitura? Quid multis? Patior, ut hoc mox ĩpetret à me rõ, quod paulo poſt tẽpus eſſet impetraturũ. Certe nullus eſt tãtus animi dolor, quẽ patiar mecũ ire cubitũ. EV. Nihil mirũ, ſi tu nõ ſeneſcis, qui tali ſis animo. GLY. Atq; adeo, ne qd reticeã apud amicos, cũ primis caui, ne quid flagitij cõmitterem, qđ uel mihi uel liberis meis ꝓbro eſſe poſſet. Nihil enim irrequietius ãiò ſibi male cõſcio. Quod ſi quid culpæ admiſſum eſt, nõ eo cubitũ prius quã me deo recõciliaro. Veræ tranquillitatis, ſeu ut

Vide prouerb. Optimum non naſci.

Græce

Græce dicã. εὐθυμίαϛ fons eſt bene cõuenire cũ deo. Nã qui ſic uiuũt, his nec hoĩes magnopere nocere poſſunt. E V. Num qñ te cruciat metus mortis? G L. Nihilo magis quàm macerat dies natiuitatis. Scio moriendũ. Iſta ſolicitudo fortaſsis adimat mihi aliquot uitæ dies, certe nihil poſsit adijcere. Itaq; totã hãc curã ſupis cõmitto. Ipſe nihil aliud curo, quã ut bene ſuauiterq; uiuã. Nõ põt autẽ ſuauiter, niſi q bene. P A M. At ego ſeneſcerẽ tædio, ſi tot annos degerẽ in eadẽ urbe, etiã ſi Romæ cõtingat uiuere. G L. Habet quidẽ loci mutatio uoluptatis nõnihil, longinquæ uero peregrinationes, ut prudẽtiã addũt fortaſsis, ita plurimũ habẽt periculorũ. Mihi uideor tutius totũ orbẽ obire in tabula Geographica: neq; paulo plus uidere i hiſtorijs, quàm ſi uiginti totos annos ad Vlyſsis exẽplũ p omneis terras mariq; uolitarẽ. Habeo prædiolũ, qd abeſt ab urbe nõ plus quam duobus milibus paſſuũ. Ibi nõnunquã ex urbano fio ruſticus. Atq; ibi recreatus, redeo nouus hoſpes in urbem, nec aliter ſaluto ac ſalutor, quã ſi renauigaſſem ex inſulis nup iuẽtis. E V. Nõ adiuuas ualetudinẽ pharmacis? G L. Nihil mihi rei cũ medicis. Nec incîdi uenã unquã, nec deuoraui catapotia, nec hauſi potiones. Si qd oboritur laſsitudinis, moderatione uictus, aut ruſtica tione ppello malũ. E V S. Nihil ne tibi cũ ſtudijs? G L. Eſt. Nã in his eſt præcipua uitæ oblectatio. Verum his oblecto me, nõ macero. Siquidẽ uel ad uoluptatẽ ſtudeo, uel ad utilitatẽ uitæ, nõ aũt ad oſtẽtationẽ. A cibo ſumpto aut paſcor literatis fabulis, aut lectorẽ adhibeo. Nec unquàm incũbo libris ultra horã. Tum ſurgo, & arre-

εὐθυμίαϛ id eſt, animi trãquilitas.

Catapotia, Græce trochiſci, ſiue pilulæ quas deglutimus.

Laſsitudinis. Laſsitudo nulla de cã oborta, ſignificat morbũ inſtare iuxta me dicos.

Digitized by Google

pta testudine pauliſper obambulãs in cubiculo, uel cãtil lo, uel reputo mecũ qd legerim, & ſi ĩ promptu eſt cõ gerro, refero, mox ad librũ redeo. EVS. Dic mihi bo na fide: Nullá ne ſentis incõmoda ſenectutis, quæ ferũ tur eſſe plurima? GLY. Somnus aliquãto deterior eſt, nec pinde tenax memoria, niſi qd ĩfixero. Liberaui fidẽ meã. Expoſui uobis magicas artes meas, quibus alo iu uentutẽ meã. Nunc referat nobis pari fide Polygamus, unde tantũ collegerit ſenij. POL. Equidẽ nihil cælabo tam fidos ſodales. EVS. Narrabis etiã taciturus. POL. Quũ agerẽ Lutetiæ, quàm nõ abhorruerim ab Epicu ro, noſtis ipſi. EV. Sanè meminimus, ſed arbitrabamur te mores eos unà cũ adoleſcẽtia Lutetiæ relicturũ. PO. Ex multis quas illic adamarã, unã mecũ abduxi domũ, eamq; grauidã. EVS. In ædes paternas? POL. Rectà, ſed mẽtitus eam eſſe cõiugẽ cuiuſdã amici mei, qui mox eſſet uenturus. EVS. Id credidit pater? POL. Imò rẽ olfecit intra quatriduũ. Mox ſæua iurgia. Nec tamẽ in terim temperabã à cõuiuijs, ab æa, cæterisq; malis ar tibus. Quid multis? Quũ pater non faceret obiurgandi finẽ, negãs ſe tales gallinas alere uelle domi, ac ſubinde minitans abdicationẽ, uerti ſolũ, & cũ gallina mea gal lus aliò demigraui. Ea mihi genuit aliquot pullos. PA. Vnde res ſuppetebat? POL. Nõnihil furtim dabat ma ter, ac præterea cõflatũ eſt æris alieni plus ſatis. EVS. Reperiebãtur tam fatui, ut tibi crederẽt? POL. Sũt qui nullis credãt libẽtius. PAM. Quid tandẽ? POL. Tan dem ubi pater ſerio pararet abdicationẽ, interceſſerunt amici, ac bellũ hoc his legibus cõpoſuerunt, ut noſtratẽ uxorem

Liberaui fidẽ. Id eſt, pſolui qd debui. Etenim q ꝓmittit, obſtrin git fidem ſuam.

Gallinas. Nã ponunt oua, & obſtrepunt fœ minæ.

Verti ſolũ, de exulibus, ꝓprie dicitur, qui de migrant in aliã regionem.

Digitized by Google

uxorẽ ducerem, cũ Galla diuortium facerẽ. E V S. Erat uxor? P O L. Interceſſerãt uerba futuri tẽporis, ſed acceſſerat cõgreſſus præſentis tẽporis. E V S. Qui licuit igitur ab illa diuertere? P O. Poſt reſcitũ eſt meæ Gallæ, Gallũ eſſe maritũ, unde pridẽ ſe ſubduxerat. E V. Ergo nunc habes uxorẽ? P O L. Nõ niſi præter hanc octauã. E V S. Octauã? Nõ ſine augurio dictus es Polygamus. Fortaſsis ſteriles oẽs deceſſere. P O L. Imò nulla nõ reliquit aliquot catulos domi meæ. E V S. Ego malim toti dẽ gallinas, quæ mihi ponerẽt oua domi. Nõ tædet Polygamiæ? P O. Adeo tædet, ut ſi hæc octaua moreretur hodie, perendie ducerẽ nouã. Imò hoc me male habet, qd' non liceat habere binas aut ternas, quũ unus gallus gallinaceus tot gallinas poſsideat. E V S. Equidẽ haud miror gallinacee, ſi parũ pinguiſti, quodq; tantum ſenij tibi collegeris. Nihil enim æquæ accelerat ſenectutem, quàm ĩmodicæ atq; ĩtẽpeſtiuæ cõpotationes, ĩpotẽtes amores mulierũ, & ſalacitas ĩmoderata. Sed qs alit famiſiã? P O L. Ex obitu parentũ acceſsit res mediocris. Et gnauiter laboratur manibus. E V S. Deſciuiſti igitur à literis? P O L. Planè ab equis, quod aiunt, ad aſinos, ex heptatechno factus monotechnus faber. E V S. Miſer, toties tibi ferẽdus erat luctus, toties cœlibatus. P O. Nũquã uixi cœlebs ultra dies decẽ, ſempq; noua nupta ueterẽ luctũ expulit. Habetis bona fide uitæ meæ ſummã. Atq; utinã Pãpirus narret nobis ſuæ quoq; uitæ fabulã, q ſatis belle portat ætatẽ. Nã ni fallor me duobus aut tribus annis eſt grãdior. P A. Dicã equidẽ, ſi uobis audire uacat tale ſomniũ. E V. Imò uolupe fuerit audire. P A.

Futuri tẽporis. Alludit ad ſententiã iurecõſultorũ, quã ſequunt & Theologi. Si quis dicat puellæ, ducãte, & mox habeat rẽ cũ illa, ratũ eſt matrimoniũ, pinde quaſi dixiſſet, duco te. Hoc reti'multi adoleſcẽtes capiunt, magno ſuo malo diſcentes hoc ſophiſma.

Ab equis ad aſinos, i. a melioribus ad deteriora. Vide prouerbium.

Heptatechno i. ſeptem artium perito. Tot cĩ numerant artes liberales.

Digitized by Google

Vbi domũ rediſſem, ſtatim pater ſenex urgere cœpit, ut aliqd uitæ genus amplecterer, unde nõnihil quæſtus accederet rei familiari. Ac poſt longã cõſultationẽ placuit negociatio. P O L. *Miror hoc uitæ genus arriſiſſe potiſſimũ.* P A M. *Eram natura ſitiens cognoſcẽdi res nouas, uarias regiones, urbes, linguas, ac mores hominũ. Ad id maxime uidebatur appoſita negociatio. Quibus ex rebus naſcitur & prudẽtia.* PO. *Sed miſera, uidelicet quæ plerunq; magnis malis ſit illis emenda.* P A M. *Sic eſt. Itaq; pater numerauit ſortẽ ſatis amplã, ut dextro Hercule, ac bene fortunãte Mercurio, negociationẽ auſpicarer. Simulq; ambiebatur uxor cũ ampliſſima dote, ſed ea forma quæ uel indotatã cõmẽdare poterat.* E V. *Succeſſit?* P A M. *Imò prius quàm redirẽ domũ, perijt & ſors & uſura.* E V. *Naufragio fortaſſis.* P. A M. *Plane naufragio. Nam impegimus in ſcopulũ quauis Malea periculoſiorẽ.* E V. *In quo mari occurrit iſte ſcopulus, aut quod habet nomen?* P A M. *Mare nõ poſſum dicere, ſed ſcopulus plurimorũ ĩfamis exitijs, Latine dicitur alea, quomodo uos Græci nominatis, neſcio.* E V S. *O te ſtultum.* P A M. *Imò ſtultior pater, qui tantã ſummã crederet adoleſcẽti.* G L Y. *Quid deinde factũ eſt?* P A M. *Nihil actũ, ſed cœpi cogitare de ſuſpendio.* G L. *Adeón erat pater ĩplacabilis? nã res ſarciri poteſt, & uenia datur ubiq; protopiro, multo magis Pampiro debebatur.* P A M. *Verũ fortaſſe narras, ſed iterim miſer excidi ab uxore. Nã parentes puellæ ſimulatq; cognouerunt hæc auſpicia, renũciarũt affinitatẽ. Et amabam, ut qui perditiſſime.* G L Y. *Miſeret me tui. Sed quid interim conſilij*

Dextro Hercule. Retulit uerba Perſij. Herculi uoueba tur decima bonorũ pars, ita illo fauente putabatur res dome ſtica proſperari.

Malea periculoſiorẽ. De Malea promõtorio naufragijs infami, uide puerb. Maleam legẽs.

Protopiro, ui de prouerbium. συγγνώμη πρωτοπείρῳ id eſt, primũ experienti ignoſcẽdum.

tentatum

Digitized by Google

tentatũ est? P A M. Id quod solet in rebus desperatis. Pater abdicabat, perierat res, perierat uxor, undique audiebam, gurges, nepos, heluo. Quid plura? Serio mecum deliberabam, an suspenderẽ me, an aliquò conijcerẽ memet in monasteriũ. E V S. Crudele consilium. Scio utrũ elegeris, mitius mortis genus. P A. Imò quod mihi tunc uisum est crudelius. Adeo mihi displicebã totus. G L Y. Atqui cõplures eò se deijciunt, ut suauius uiuãt. P A M. Corraso uiaticulo, furtim me subduxi procul à patria. G L Y. Quò tandem? P A M. In Hiberniam, illic factus sum Canonicus ex horum genere, qui extime linci sunt, intime lanei. G L Y. Apud Hibernos igitur hybernastis? P A. Nõ, sed duos mẽses apud hos uersatus, nauigaui in Scotiã. G L Y. Quid te offendit apud illos? P A. Nihil, nisi quod institutũ illud mihi uidebatur mitius quã pro meritis eius, qui nõ uno suspẽdio dignus erat. E V S E. Quid in Scotia designatũ est? P A M. Illic ex lineo factus sum pelliceus apud Cartusios. E V S. Homines plane mũdo mortuos. P A. Ita mihi uisum est, quum audirẽ illos canẽtes. G L Y. Quid? canunt etiã mortui? Quot mẽses apud illos egisti Scotus? P A M. Propemodũ sex. G L Y. O constãtiam. E V S. Quid illic offendit? P A. Quia mihi uisa est uita segnis ac delicata. Deinde multos illic reperi, non admodũ sani cerebri, ob solitudinem, ut arbitror. Mihi parum erat cerebri, uerebar ne totum periret. P O L. Quò deinde deuolasti? P A. In Galliam. Illic reperiri quosdã totos pullatos ex instituto diui Benedicti, qui colore uestis testãtur se lugere in hoc mundo, & inter hos, qui pro summa ueste ciliciũ ferrẽt re-

ti simile. G L Y. *O grauem corporis macerationẽ.* P A. *Hic egi mẽses undecim.* E V. *Quid obstitit, quo minus illic maneres perpetuo?* P A M. *Quia plus illic reperi ceremoniarũ, quàm ueræ pietatis. Præterea audierã esse quosdam his multo sanctiores, quos Bernardus ad seueriorem disciplinam reuocasset, pulla ueste mutata in candidam. Apud hos uixi mẽses decem.* E V S. *Hic quid offendebat?* P A. *Nihil admodum. Nam hos reperi sat cõmodos sodales. Sed mouebat me Græcorum prouerbiũ:* δϛ τὰς χελώνας ἢ φαγϛμ, ἢ μὴ φαγῶμ. *Itaq; decretum erat aut non esse monachum, aut insigniter esse monachum. Acceperã esse quosdã Brigidẽses, homines plane cœlestes. Ad hos me contuli.* E V. *Quot menses illic egisti?* P A. *Biduum, nec id sanè totum.* G L. *Vsq; adeo placuit hoc uitæ genus?* P A. *Non recipiũt, nisi qui mox obstringat se professioni. At ego nondum adeo insaniebã ut facile me præberem capistro, quod nũquam liceret excutere. Et quoties audiebam canẽtes uirgines, cruciabat animum uxor erepta.* G L. *Quid deinde?* P A M. *Ardebat animus amore sanctimoniæ, nec usquã satis fiebat animo meo. Tandẽ obambulãs incidi in quosdã præferẽtes crucem. Hoc signũ mihi protinus arrisit. Sed re morabatur electionẽ uarietas. Alij gestabant albam, alij rubram, alij uiridem, alij uersicolorem, alij simplicem, alij duplicẽ, nonnulli quadruplicem, alij alia atq; alia figura uariatã. Ego ne quid intẽtatum relinquerẽ omnes fermè formas gessi. Verum ipsa re comperi, longe aliud circumferre crucem in pallio seu tunica, quàm in corde. Tandẽ fessus inquirendo sic mecum cogitabam, ut semel omnem*

Vide prouer. Testudines edẽdæ aut non.

Digitized by Google

omnẽ ſanctimoniã aſſequar, petam terram ſanctam, ac re
dibo domũ ſanctimonia onuſtus. P O. Num eò profectus
es? P A. Maxime. P O. Vnde ſuppetebat uiaticum? P A.
Demiror iſtuc nunc deniq; tibi uenire in mentem, ut ro
gares, ac non multo ante pertentatum fuiſſe. Sed noſti
prouerbiũ: τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ ξέφῳ. G L. Quam ar
tem circumferebas? P A M. Chiromanticam. G L. Vbi
eã didiceras? P A M. Quid refert? G L. Quo præcepto
re? P A. Eo qui nihil nõ docet, uẽtre. Prædicebã præteri
ta, futura, præſentia. G L. Et ſciebas? P A. Nihil minus.
Sed diuinabã audacter, idq; tuto, uidelicet prius accepto
precio. P O. An ars tam ridicula poterat alere te? P A.
Poterat, & quidẽ cũ duobus famulis. Tantũ eſt ubiq; fã
tuorũ ac fatuarũ. Attamen quum Hieroſolymam adirẽ,
addiderã me in comitatũ cuiuſdam magnatis, prædiuitis,
qui natus annos ſeptuaginta, negabat ſe æquo animo mo
riturũ, niſi prius adiſſet Hieroſolymã. E V. Ac domi re
liquerat uxorẽ? P A M. Atque etiam liberos ſex. E V.
O ſenẽ impie pium. Atq; illinc rediſti ſanctus? P A. Vis
uerũ fatear? Aliquanto deterior quàm iuerã. E V. Sic,
ut audio, excuſſus eſt religionis amor. P A. Imò magis
incãduit. Itaq; reuerſus in Italiã, addixi me militiæ. E V.
Itá ne religionẽ uenabaris in bello, quo quid eſſe poteſt
ſceleratius? P A. Erat ſancta militia. E V. Fortaſsis ĩ tur
cas. P A. Imò ſanctius quiddã. E V. Quid nam? P A M.
Iulius Sccũdus belligerabatur aduerſus Gallos. Porrò mi
litiã mihi cõmendabat etiam multarum rerum experien
tia. E V. Multarũ, ſed malarum. P A M. Ita poſt compe
ri. Et tamen hic durius uixi, quàm in monaſterijs. E V.

Id eſt, artificio lũ, quæuis terra alit. Vide Chiliadas.

Imo ſanctius. Hoc tũ iactabãt qui Iulio aderant.

Quid

Digitized by Google

Quid tum postea? P A. Iam mihi uacillare cœpit animus, utrũ ad negociationẽ intermissam redirem, an religionẽ fugiẽtẽ persequerer. Interim uenit in mẽtẽ utrũq; alteri posse cõiungi. E V. Quid ut simul esses & negociator et monachus? P A. Quid ni? Nihil religiosius ordinibus mendicantiũ. Et tamen nihil similius negociationi. Volitãt per oẽs terras ac maria, multa uident, multa audiũt, penetrant omneis domos, plebeiorum, nobilium, atq; etiam regũ. E V S E. At non cauponantur. P A M. Sæpe nobis felicius. E V. Quod genus ex his delegisti? P A. Omneis formas expertus sum. E V S E. Nulla placuit? P A. Imò perplacuerant omnia, si licuisset statim negociari. Verum perpendebam mihi diu sudãdum in choro, prius quàm crederetur mihi negociatio. Iámque cogitare cœpi de uenanda Abbatia, sed primum non omnibus hic fauet Delia, & sæpe lõga est uenatio. Itaque cõsumptis hunc in modum annis octo, quum esset nunciata mors patris, domũ reuersus, ex cõsilio matris duxi uxorẽ, & ad uetere negociationem redij. G L Y. Dic mihi, quũ tã subinde nouã uestẽ sumeres, ac uelut in aliud animal trãsformareris, quî potuisti seruare decorum? P A. Quî minus quàm hi, qui in eadem fabula nõnunquã aliã atque aliã sumunt personã? E V S. Dic nobis bona fide, qui nullũ uitæ genus nõ expertus es, quod omnium maxime probas? P A. Nõ omnibus omnia congruunt, mihi nullũ magis arridet, quàm hoc quod sequutus sum. E V. Multa tamẽ incommoda habet negociatio. P A. Sic est. Sed quãdo nullũ uitæ genus oĩbus caret incõmodis, hãc Spartã quæ contigit, orno. Verum nunc supereſt Euse-

Spartam quæ con. Vide prouerbium Spartã nactus es, hãc orna.

bius,

Digitized by Google

bius, qui nõ grauabitur apud amicos uitæ ſuæ ſcenã aliquã explicare. E V S. Imò totam fabulam, ſi uidetur, nã habet actus nõ multos. G L Y. Erit magnopere gratũ. E V. Vbi rediſſem in patriam, annum apud me delibera ui, quod nã uitæ genus amplecti uellẽ, ſimulq; me ipſum exploraui, ad quod genus eſſem propẽſus, aut idoneus. Interim oblata eſt præbẽda, quã uocant, ſatis opimi pro uẽtus, accepi. G L Y. Vulgo male audit hoc uitæ genus. E V. Mihi, ut ſunt res humanæ, ſatis exoptãdũ uidetur. An mediocrẽ felicitatem eſſe putatis, ſubito uelut è cœlo dari tot cõmoda? dignitatẽ, ædes honeſtas, beneq; inſtructas, annuos reditus ſatis amplos, ſodalitiũ honorificum, deinde tẽplũ, ubi ſi libeat uaces religioni? P A. Illic me luxus offendebat, & cõcubinarũ infamia, tũ quod pleri que iſtius generis odere literas. E V. Ego nõ ſpecto qd agãt alij, ſed quid mihi ſit agẽdũ. Et melioribus me adiungo, ſi nõ poſſum alios meliores reddere. P O. In iſto genere uixiſti perpetuo? E V. Perpetuo, niſi qd' interim quatuor annos primũ egi Patauij. P O L. Quã ob rem? E V. Hos annos ita partitus ſum, ut ſeſquiãnũ darẽ ſtudio medicinæ, reliquũ tẽpus Theologiæ. P O L. Quur id? E V. Quo melius & animũ & corpus meũ modera rer, nonnunquã & amicis conſulerem. Nam & concionor nõnunquã pro mea ſapiẽtia. Sic hactenus ſatis tranquille uixi, cõtentus unico ſacerdotio, nec præterea quicquã ambiens, recuſaturus etiã ſi offeratur. P A M. Vtinã liceret diſcere, quid agant cæteri noſtri ſodales, quibus cũ tum familiariter uiximus. E V. De nõnullis poſſum cõmemorare quædã, ſed uideo nos nõ procul abeſſe

Scenã. Fabulam diuidit in ſcenas, ad id alluſit. Et ſcenã ſpit. qui operta pate facit.

à ciui

à ciuitate. Quare si uidetur, cõueniemus in idẽ diuersoriũ. Ibi per ocium de cæteris cõferemus affatim. HVGVITIO AVRIGA. *Vnde tã miserã sarcinã nactus es lusce?* HENRICVS AVRIGA. *Imò quò tu defers istud lupanar ganeo?* HV. *Debueras istos frigidos senes alicubi effundere in urticetum, ut calescerẽt.* HEN. *Imò tu istũ gregẽ cura, ut præcipites alicubi in profundã lamã, ut refrigerẽtur. Nã calẽt plus satis.* HE. *Non soleo præcipitare sarcinã meã.* HE. *Nõ? Atqui nuper uidi te sex Cartusienses deiecisse in cœnũ sic, ut pro cãdidis emergerẽt nigri. Tu interim quasi re bene gesta, ridebas.* HVG. *Nec iniuria. Dormiebãt oẽs, ac multum põderis addebant currui meo.* HENRI. *At mei senes egregie subleuarunt currum meum, per totum iter perpetuo garrientes. Nunquam uidi meliores.* HVG. *Non soles tamen talibus delectari.* HENRI. *Sed hi seniculi boni sunt.* HVG. *Qui scis?* HE. *Quia per eos ter bibi per uiam ceruisiam insigniter bonam.* HVG. *Ha ha he. Sic tibi boni sunt.*

Effundere. Faciũt hoc nõ raro aurigæ Brabãti uel gratis, nonnunquã cõducti.

CONRADVS, BERNARDINVS, Pastor, Pandocheus, Vxor.

Hospitalitas. Nam a pascẽdo dicit pastor, et a præbẽdo Græcis parochus.

CON. Atqui pastorẽ decet hospitalitas. PAS. *Pastor sum ouiũ, nõ amo lupos.* CON. *At nõ perinde fortasis odisti lupas. Sed quo tandẽ merito sic abhorres à nobis,*

Lupas. Locus est ex ambiguo, lupa uxor lupi, & lupa scortũ.

ut ne tecto quidem digneris? Neq; *enim te grauabimus cœna.* PA. *Dicã, quia, si cõspiceretis in ædibus meis gallinã aliquã aut pullos gallinaceos, cras in cõciõe ~~tradu cerer apud populũ~~. Hãc soletis referre gratiã cõmunicati hospitij.* CON. *Nõ oẽs sumus istiusmodi.* PA. *Sitis*

Gallinã appellat cõcubinam, pullos liberos.

Digitized by Google

tis cuicuimodi uoletis, ego uix ſancto Petro fidere, ſi tali cultu ueniret ad me. CON. Si ita ſtat ſententia, ſalte in dica diuerſoriũ aliud. PA. Eſt in hoc uico diuerſorium publicũ. CON. Quod habet ſignũ? PA. In tabula pẽſili uidebitis canẽ os inſcrentẽ in ollã: hoc agitur in culina. Ad abacũ rationalẽ ſedet lupus. CON. Signũ inauſpicatum. PA. Fruamini. BER. Quod genus paſtoris hoc eſt, per illũ liceret perire fame? CON. Si nõ melius paſcit oues quàm nos, oportet eſſe parũ obeſas. BER. In malis rebus opus eſt bono cõſilio. Quid fiet? CON. Perfricanda frõs eſt. BER. Nimirũ inutilis eſt pudor, quum urget neceſsitas. CON. Admodum. S. Franciſcus aderit nobis. BER. Pro fortuna. CON. Nõ expectabimus Pãdochei reſpõſum pro foribus, ſed rectà irrũpemus in ipſum uaporariũ, nec facile patiemur nos eiici. BE. O facinus impudẽs. CON. Hoc ſatius quàm noctẽ agere ſub dio, ac perire frigore. Interim depone pudorẽ in ſacculo, ~~eras reſumpturus~~, ubi uidebitur. BE. Scilicet, ſic res ipſa ſuadet. PA. Quod animantium genus hic uideo? CON. Seruos dei, filios ſancti. Frãciſci, uir optime. PA. An deus talibus ſeruis delectetur, neſcio, ego mihi nolim multos eſſe domi. CON. Quamobrem? PA. Quia ad edendũ ac bibendũ plus quàm uiri eſtis, ad laborandũ nec manus habetis, nec pedes. Ohe uos eſtis filij. S Frãciſci? Soletis prædicare eum eſſe uirginẽ, & habet ille tot filios? CO. Spiritus filij ſumus, nõ carnis. PA. Infelix genitor ille. Nã qđ in uobis peſsimũ eſt, animus eſt. Corpore nimium ualetis, planeq; melius habetis iſta parte, quàm expediat nobis, qui alimus uxorẽ & filias.

CON.

CON. Tu fortè suspicaris nos esse ex eorum genere, qui degenerãt à progenitoris instituto. Nos sumus obseruãtes. PAN. Ego igitur obseruabo, ne quid adferatis detrimẽti. Nã istud genus ego odi peßime. CON. Quã ob rẽ te quæso? PA. Quia circũfertis dẽtes, nec circũfertis pecuniã. Hoc genus hoßpitũ mihi est ingratißimũ. CON. At laboramus uobis. PAN. Vultis ostendã uobis, quomodo laboretis? CON. Ostẽdc. PA. Inspicite picturã uobis proximã ad leuã. Illic uidetis uulpẽ cõcionãtẽ, sed à tergo anser collũ profert è cuculla. Rursus uidetis lupũ absoluẽtẽ cõfeßum, sed prominet pars ouis occultatæ sub ueste. Videtis simiũ aßidentẽ ægroto in ueste Frãciscana, altera manu præfert crucem, alterã habet in crumena ægrotãtis. CON. Nõ inficiamur hac ueste nõnunquã tegi lupos, uulpes, ac simias, sed fatemur etiã sæpe tegi porcos, canes, equos, leones, ac regulos. Quin eadẽ uestis tegit multos bonos uiros. Vestis ut neminem reddit mẽliorẽ, ita nullũ reddit deteriorẽ. Proinde iniquũ est, quẽquam ex ueste æstimare. Alioqui tua uestis, qua nõnunquã uteris, esset execrãda, quæ multos tegit fures, homicidas, ueneficos & adulteros. PA. ~~De ueste cedã, si numeretis.~~ CON. Rogabimus deũ pro te. PA. Ego uicißim pro uobis, operã opera pensans. CON. Atqui nõ ab omnibus accipiendum. PAN. Quur uobis religio est cõtingere pecuniam? CON. Quia pugnat cũ profeßione nostra. PAN. Itidem cum mea profeßione pugnat, admittere gratuitũ hoßpitem. CONR. At nos cogit regula, non contingere pecuniam. PAN. At mea regula diuersum præcipit. CO. Vbi est tua regula?

PAN.

Digitized by Google

PAN. *Lege uersus istos.*
Hospes in hac mensa fuerint cum uiscera tensa.
Surgere ne properes, ni prius annumeres.
CON. *Nos nõ erimus tibi sumptui.* PAN. *At q̃ mihi nõ sunt sumptui, ne quæstui quidẽ sunt.* CO. *Deus abunde pensabit, si quid officij nobis præstiteris.* PA. *Istis uerbis nõ alo familiã.* CON. *Abdemus nos in angulum uaporarij neq; cuiquã erimus molesti.* PAN. *Non fert tales homines hoc uaporariũ.* CON. *Itá ne nos eijcis, fortaßis hac nocte deuorãdos à lupis?* PAN. *Lupus lupinam non est, ut nec canis caninam.* CON. *Crudelis esses, si hoc faceres Turcis, quales quales sumus, hominẽs sumus.* PAN. *Surdo canitis.* CON. *Tu molliter fo ues corpus tuũ, nudus recubans post uaporariũ, & nos extrudis frigore nocturno perituros, etiã si parcant lupi.* PAN. *Sic uixit Adam in Paradiso.* CON. *Vixit, sed innocens.* PAN. *Et ego innocens.* CON. *Fortaßis detracta syllaba prima. At uide, si tu nos nunc extrudis è paradiso tuo, ne deus te nõ recipiat in suum.* PAN. *Bona uerba:* VXO. *Mi uir, tot tua malefacta saltẽ hoc beneficio pensa, patere hos hac nocte tecto nostro uti, sunt uiri boni, senties quæstum hinc fieri uberiorẽ post hac.* PAN. *Ecce deprecatricem, suspicor conuenire inter uos, nec admodum lubens audio hoc elogium à muliere, uiri boni.* VX. *Hau: Nõ ita est, sed cogita, quoties peccaris alea, temulentia, rixis, pugnis, saltem hac eleemosyna redime tua peccata, ne eijcias hos, quos optaris tibi adesse moriẽti. Scurras & sanniones recipis sæpenumero, & hos extrudis?* PAN. *Vnde ista cõcionatrix*

Lupus lupinam. Alluſit ad prouerb. Canis caninã non eſt.

Viri boni. Vulgus Gallorum uirũ bonũ appellat, cuius uxor parum eſt pudica.

Digitized by Google

nobis? Abi tu, & cura rem culinariam. V X. Id quidem fiet. B E R. Miteſcit, & ~~ſumat induſiũ lineũ~~, ſpero fore recte. C O N. Et ~~menſam inſternũt~~ pueris. Bene habet, quod nulli ueniũt hoſpites, alioqui nobis erat exulãdũ. B E R. Feliciter cecidit, qd' è proximo oppidulo retulimus nobiſcũ ~~lagunculã uini~~, & agni coxã aſſam. Alioqui hic, ut uideo, ne fœnũ quidẽ impartiſſet nobis. C O. Iam accubuere pueri. Adiungamus nos in menſæ partẽ, ſic tñ, ne cui incõmodemus. P A. Vobis imputãdũ arbitror, qd' hodie nullũ habeo cõuiuam, præter domeſticos & uos inutiles. C O. Niſi frequẽter hoc accidit, imputa nobis. P A. Frequẽtius quàm uellẽ. C O. Noli laborare, uiuit adhuc Chriſtus, q nõ deſeret ſuos. P A. Audiui uos dici euãgelicos. Et euangeliũ prohibet p uiã circũferri peram aut panes. ~~Vos manicas habetis~~ pro pera, ut uideo. Nec panes modo circũfertis, uerũ etiam uinũ, & delicias carniũ. C O. Fruere nobiſcum, ſi libet. P A N. Meum uinũ ad iſtud collatum, uapa eſt. C O N. Guſta & de carnibus, nobis enim ſupeſt. P A. O felices mendicos, uxor mea nihil hodie coxit, præter caules & laridũ rancidũ. C O. Cõmunicemus, ſi uidetur noſtros apparatus. Nã noſtra nihil refert, quibus ueſcamur. P A. Quur igitur nõ circunfertis caules, & uapam? C O N. Quoniã hæc nobis obtrudere maluerunt, apud quos hodie pranſi ſumus. P A. Gratis pranſi? C O N. Maxime. Imõ gratias etiã egerunt, & abeuntes his apophoretis onerarunt. P A. Vnde uenitis? C O N. E Baſilea. P A. Hui, è tam longinquo? C O N. Sic eſt. P A. Quod tandẽ genus hominũ eſtis uos, qui ſic oberratis ſine iumẽto, ſine

Apophoretis, quæ dantur in fine conuiuij. ſic ut liceat cuiq; ſi uelit domũ auferre.

ſine crumena, ſine famulitio, ſine armis, ſine cõmeatu? CON. *Vides qualecunq; ueſtigiũ euãgelicæ uitæ.* PA. *Mihi uidetur erronum uita, qui uagantur cum reticulo.* CO. *Tales errones erant Apoſtoli, talis erat & dominus Ieſus.* PAN. *Noſtis artem chiromanticã?* CON. *Nihil minus.* PAN. *Vnde igitur ſuppetit uictus?* CO. *Ab eo, qui promiſit.* PAN. *Quis ille?* CO. *Qui dixit: nolite eſſe ſoliciti, hæc omnia adijcientur uobis.* PAN. *Promiſit, ſed quærentibus regnum dei.* CO. *Id facimus pro uirili.* PAN. *Apoſtoli clarebãt miraculis, ſanabant ægrotos, proinde nõ mirũ illis ubiq; ſuppetiſſe uictum, uos nihil tale poteſtis.* CO. *Poſſemus, ſi ſimiles eſſemus apoſtolis, & ſi res poſceret miraculũ. At miracula data ſunt ad tẽpus incredulis, nũc nihil opus niſi pia uita. Et ſæpe felicius eſt ægrotare quàm ualere, ſæpe felicius mori quàm uiuere.* PA. *Quid igitur uos facitis?* CO. *Quod poſſumus, pro ſua quiſq; dote diuinitus donata cõſolamur, exhortamur, admonemus, corripimus, ubi ſe dederit occaſio: nõnunquã & cõcionamur, ſicubi comperimus paſtores mutos: ſi non datur prodeſſe, damus operã, ne quẽ lædamus moribus & lingua.* PAN. *Vtinam cras uelis nobis cõcionari. Nã dies eſt apud nos feſtus.* CON. *Cui diuo?* PAN. *Antonio.* CON. *Fuit is quidem uir bonus, ſed unde dies feſtus?* PAN. *Dicam, abundat ~~hic uicus fabulcis propter~~ uicinũ nemus glãdiferum. Et perſuaſum eſt, Antonio delegatam curã eius pecoris, & ideo colunt illum, ne ſæuiat neglectus.* CO. *Vtinam uere colerent illũ.* PAN. *Quo pacto?* CON. *Sanctiſſime coluit diuos, quiſquis imitatus eſt.* PA. *To-*

tus hic uicus cras perstrepet cõpotationibus, salutationibus, lusibus, rixis & pugnis. CON. Sic ethnici quondã colebant Bacchũ suũ. Miror autem, si sic cultus Antonius, nõ sæuit in hoïes ipso pecore stultiores. Qualẽ habetis pastorẽ? mutũ ac malũ? PAN. Qualis sit alijs, nescio, mihi optimus est, nam hic potat totos dies. Neque quisquã plures adducit, aut meliores cõbibones, magno meo bono. Atq; adeo demiror illũ nũc abesse. CO. Nos expti sumus parũ cõmodũ. PA. Quid audio? salutastis hoïem? CO. ~~Ambiuimus apud illũ hospitiũ~~, ille non aliter quàm lupos abegit à limine, & huc iussit abire. PA. Ha ha, nũc itelligo. Hinc est qd' noluit adesse, qd' sciret uos hic futuros. CO. Est ne mutus? PA. Mutus? Nemo illo uocalior in uaporario, ~~ac strenue boat in tẽplo~~. Cõcionantẽ nunquã audiui. Sed qd pluribus opus? uos ipsi sensistis, ut intelligo, nõ esse mutũ. CO. Est ne peritus sacrarũ literarũ? PAN. Ait se peritißimũ, sed quicquid taliũ rerũ didicit, ~~didicit in secreta confessione, sic ut fas nõ sit proferre apud alios~~. Quid multa? Dicam in summa, qualis est populus, talis est sacerdos, & planè nacta est suũ patella operculum. CON. Fortasse nõ dabit locum cõcionaturo. PAN. ~~Dabit ad me recipio~~, sed hac lege, ne quid in illũ iaculere, quẽadmodũ plerig; soletis. CON. Rei malæ assueuerũt, qui hoc solent. Ego clam admoneo pastorẽ, si quid offendit: quod supest, Episcoporũ est munus. PA. At tales aues huc raro deuolant. Equidẽ uideo uos esse uiros bonos. Sed qd sibi uult ista uestiũ uarietas? Nã plerig; hoc ipso iudicãt uos esse malos, quod sic uestiamini. CO. Vnde id? PAN. Nescio, nisi

Secreta confessione. Vulgaris iocus est in ignarum.

niſi quod tales multi cõperiantur. C O. Multi hoc ipſo iudicãt nos eẽ ſanctos qd' ſic ueſtiamur, peccãt utriq;, ſed tñ humanius peccant, qui ex ueſte bene de nobis ſu ſpicantur, quàm q̃ male. P A. Eſto ſanè. Sed quæ tandem utilitas tot diſcriminũ? C O N. Quid tu cẽſes? P A. Mihi quidẽ nulla uidetur, niſi in pompis aut in bellis, in pom pis enim circumferuntur uariæ perſonæ, ſanctorum, Iudæorum, ethnicorũ. Has ex diuerſo cultu dignoſcimus. In bellis autem hoc præſtaret cultuum uarietas, ut ſuum quæq; uexillum copiæ ſequerentur, neq; fieret ordinum confuſio. C O. Pulchre dicis, & hæc ueſtis eſt militaris. Alius aliũ ducẽ ſequimur, ſed omnes militamus ſub uno Cæſare Chriſto. Verũ in ueſte tria ſpectanda ſunt. P A. Quæ? C O N. Neceſſitas, uſus & decorum. Quur ſumi mus cibum? P A N. Ne pereamus fame. C O N. Sic aliq̃ ſumenda ueſtis, ne pereamus frigore. P A. Fateor. C O. Hoc melius præſtat hæc ueſtis quàm tua. Tegit enim & caput & collum & ſcapulas, unde plurimũ eſt peri culi. Vſus poſtulat uaria ueſtiũ genera. Equitaturo cõ uenit breuis, quieſcenti lõga, in æſtate tenuis, in hyeme denſa. Sũt Romæ, q̃ ſingulis diebus ter cõmutant ueſtẽ, mane ſumũt duplicatã pellibus, ſub meridiem accipiunt ſimplicẽ, rurſus ſub noctem aliquãto craßiorem. Verum nõ omnibus ſuppetũt mutatoria. Proinde hæc ueſtis re perta eſt, una ad plurimos uſus accõmoda. P A N. Qui ſic? C O. Si flat Boreas, aut ſi feruet ſol, adducimus cu culłã. Si calor offendit, demittimus in tergũ: ſi quieſcen dum eſt, demittimus ueſtẽ: ſi ambulandum, ſubducimus, aut ſuccingimus etiã. P A N. Non peßime ſapuit, quiſ-

In põpis. Põ pæ ſunt ſpecia cula, quæ popu lo exhibentur, uul go nũc uocant ꝓceſſiões, a γ́bo πέμπω.

quis hoc inuenit. CON. Est autẽ hoc ad bene uiuendũ præcipuum, ut homo consuescat esse paucis contentus. Alioqui si delicijs aut affectibus indulgere cœperimus, nullus erit finis. At nulla uestis inueniri potuit, quæ una tot cõmoditatibus subseruiret. PA. Assentior. CO. Nũc decorum inspiciamus. Dic mihi bona fide, si tu sumeres uxoris tuæ uestẽ, nónne dicerẽt oẽs te facere præter decorũ? PA. Dicerent me insanire. CO. Quid tu diceres, si illa sumeret uestem tuã? PA N. Fortasse nihil mali dicerem, ~~sed contunderem eam bonis fustibus.~~ CO. Atqui nihil refert, qua uestе utaris. PA. Hic plurimum refert. CO. Nec mirum. Nam & ethnicorũ leges puniunt uirum ac fœminã, si diuersi sexus cultũ sumpserint. PA. Nec iniuria. CO. Age, quid si senex octogenarius sumeret sibi uestitũ adolescẽtis quindecim annos nati: aut cõtra, si iuuenis sumeret uestem senis, nónne dicant oẽs, rẽ ~~esse fustuario dignã?~~ Aut si anus coleretur ad modum adolescentulæ, & contra? PA. Admodum. CO. Itidem si laicus sumat cultum sacerdotis, cõtrà sacerdos laici. PA. Vterq; faceret indecore. CON. Quid si priuatus sumeret ornamentũ principis? aut sacerdos priuatus episcopi, num faceret indecore? PA. Scilicet. CO. Quid si ciuis sumeret cultum militis, plumas, ~~cæteraq; ftultitiæ Thrasonicæ insignia?~~ PA. Rideretur. CO. Quid si inter milites Anglus gestaret crucẽ albã, Eluetius rubrã, Gallus nigrã? PA. Faceret impudenter. CO. Quid itaq; mi raris nostrũ hunc cultũ? PA. Quid iterſit iter priuatũ & principẽ, inter uirũ ac fœminã scio, qd interſit iter monachũ & non monachũ, nescio. CO. Quid interest

Bonis fustibus; decus est in contrarijs malis & bonis.

Fustuario, i. fustigatione.

inter

Digitized by Google

inter pauperem & diuitem? P A. *Fortuna.* C O. *Et tamẽ indecorũ esset, si pauper imitaretur cultũ diuitis.* P A. *Verũ, ut nunc fermè coluntur diuites.* C O N. *Quid inter fatuum & sapientem?* P A N. *Aliquanto plus quàm inter diuitem & tenuẽ.* C O N. *Nónne moriones aliter uestiũtur quàm qui sapiunt?* P A N. *Nescio quid uos deceat, attamen uester cultus nõ multũ abest ab illorũ cultu, si quis addat auriculas & tintinnabula.* C O N. *Hoc planè deest. Et sumus huius mundi moriones, si modo uere sumus qd' profitemur.* P A. *Quid uos sitis, nescio, illud scio, multos esse moriones gestantes auriculas & tintinnabula, q plus sapiãt ijs, qui gestant ~~pilea fuffulta pellibus, epomides~~, reliquáq; sapientum insignia. Itaq; mihi stultißimum uidetur sapientiã profiteri uestẽ.* Vidi *quendã plus quàm morionẽ, qui gestabat uestẽ usq; ad talos demissam, epomidẽ Magistri nostri, aderat & uultus qui uideri posset grauis Theologi.* Disputabat *apud omneis nõ sine specie grauitatis. Magnatibus autem nõ minus erat iucũdus, quã quiuis alius morio, quũ stultitiæ genere superaret omneis.* C O. *Quid igitur tu postulas, ut princeps, qui ridet morionem, cõmutet cũ illo uestem?* P A N. *Fortaßis hoc postularet aliquãdo decorũ, quod tu proponis, si libeat repræsentare uestẽ, quicquid est in animo.* C O. *Vrges tu quidem, sed tamen arbitror nõ sine causa uestem suam additam morionibus.* P A N. *Ob quam?* C O N. *Næ lædantur à quoquam, si quid imprudenter dixerint, aut fecerint.* P A N. *Nõ dicam interim, qd' ista res quosuis iritat potius ad lædẽdum, adeo ut frequẽter è stultis fiant insani. Nec uideo*

Suffulta pellibus. Hoc apud Germanos aliquot doctores iuris; in Hispania Theologi insignunt flocco albo in summo pileo; Louanij pileo uiolaceo & epomide, quæ imponit humeris nulli usui futura, nisi ut significet magistrũ nostrum.

Digitized by Google

quur, quũ bos cornupeta, qui occiderit hoiem, aut canis, aut sus, qui occiderit infantẽ, afficiantur supplicio, morio qui sceleratiora cõmiserit, præsidio stultitiæ sinatur uiuere. Illud expeto, quur uos distinguamini cultu à cæteris. Nã si quæuis cã sufficit ad diuersum cultũ, oportet pistorẽ aliter uestiri quàm piscatorem, calcearitũ aliter quàm uestiariũ, aliter pharmacopolã ~~quàm cenopolã~~, aliter aurigã quàm nautã. Vos si sacerdotes estis, quur secus uestimini, quàm reliq̃ sacerdotes? Si laici quur à nobis differtis? C'ON. Olim monachi nihil aliud erasmus, quàm purior pars laicorũ. Et hoc intererat inter monachum & aliũ laicũ, quod nunc interest inter frugalem & probũ uirũ suis manibus alentem familiã, & inter Snaphanũ ex prædationũ reditu iactãtẽ sese: post Romanus Pontifex addidit nobis suos honores, uestis ex nobis nacta est dignitatẽ, quæ nũc nec laicorũ est nec sacerdotũ, ~~sed tñ huius~~, qualis qualis est, ~~nõ puduit aliquãdo~~ Cardinales & summos pontifices. P A. At tandẽ decorũ istud unde sumitur? C O N. Nõnunquã ex ipsa rerũ natura, nõnunquam ex cõsuetudine mortalium & opinione. N'onne iudicarent omnes absurdũ, si quis tergore bubulo sic uestiretur, ~~ut cornua prominerent in capite~~, & cauda traheretur humi? P A. Ridiculum sanè. C O N. Rursum si quis uestẽ haberet, quæ faciẽ ac manus tegeret, pudẽda ostenderet? P A. Multo absurdius. C O. Ob id notati sunt ab ethnicis etiã scriptoribus, qui multicia sumerent, fœminis etiã indecora. Verecundius enim est, nudũ esse, qualem te offendimus in uaporario, quàm uti uestẽ pellucẽte. P A N. Ego puto totũ hoc de cultu

Oenopola. qui uẽdit uinũ.

Snaphanum. Sic Germãi uocant prædonũ genus subito ex arcibus adoriẽtiũ uiatorẽ, mitigato uocabulo.

Multiciũ, uestis pellucida, mulierũ, ppriè luue. Quum tu multicia sumas.

Digitized by Google

cultu pendere à cõsuetudine ac persuasione mortalium. CON. Qui sic? PAN. Nõ multi sunt dies, quod hic diuersati sunt, qui se prædicarẽt peragrasse uarias regiones nuper inuẽtas, et quas in priscorum cosmographorũ picturis desideramus. Hi se narrabant peruenisse ad insulam quandã cœli tẽperatißimi, ubi summi dedecoris loco habebatur, tegere corpus. CO. Isti fortaßis beluarum ritu uiuebant. PA. Imò, ut aiebant, humanißimam agebant uitam. Degebãt sub rege, eum comitabantur ad opus mane, non amplius quàm horam, etiã singulis diebus. CO. Quid operis faciebant? PA. Euellebant radicũ genus, qd' illis tritici loco est, & tritico tũ gratius, tũ salubrius: quo peracto, redeũt ad suum quisq; negociũ, & qd' cuiusq; lubitũ est animo, faciunt. Sancte educant liberos, uitant & puniũt flagitia, sed nullũ acerbius quã adulteriũ. CO. Quo supplicio? PA. Fœminis ignoscitur, datur hoc sexui. Cæterum uiris adulterij cõuictis hæc pœna est, ut per omnem uitam in publicũ prodeãt membro pudendo uelo obtecto. CO. O graue supplicium. PA. Atqui cõsuetudo persuasit illis hoc esse quouis supplicio grauius. CO. Vbi contemplor, quid posßit persuasio, propemodũ assentior tibi. Etenim si quis uellet furẽ aut homicidam afficere extrema ignominia, nonne satis esset, si præcideret illi interulã supranates, si partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus conuestiret, caligas diuersis coloribus uariegaret: ueste, quæ thoracẽ tegit ac brachia, totã cõscinderet, ueluti rete faciẽs è ueste, scapulas et pectus nudaret, barbã partim demeteret nouacula, partim demitteret, partim intorqueret,

capillos tonderet, adderet pileum undiq; sectũ cum ingẽti fasciculo plumarũ, ac sic iuberet prodire in publicũ? Nonne magis traduceret hominẽ, quàm si morionis cucullam adderet cũ auriculis prælongis, ac tintinnabulis? Et tamen sic ultro sese ornant milites, ac sibi placẽt. Et reperiunt quibus hoc pulchrum uideatur, quũ nihil possit esse insanius. P A. Imò non desunt honesti ciues, qui hoc pro uiribus æmulentur. C O. Atqui si quis nunc conetur Indorũ æmulari cultum, qui plumis auium uestiũtur, nõne pueris oĩbus uideretur insanire? P A. Prorsus. C O. Atqui quod nos miramur etiam, longe insanius est illo. Proinde ut uerum est, nihil esse tã absurdũ, quod nõ commendet assuetudo: ita negari nõ potest, in uestibus esse quoddã decorũ, quod apud sanos & cordatos sem per decorũ est. Ac rursus indecorũ, qd' apud omneis, qui sapiunt, indecorum uideri debeat. Quis enim non ri-

Coronide, quã nunc caudã uocant.

det, quoties uidet ~~fœminas onustas longæ uestis coronide, quæ nobilitatem generis caudæ longitudine metiuntur~~? Quanquam hoc non pudet imitari quosdã Cardinales, dũtaxat in pallijs. Et tamẽ res est adeo uiolẽta cõsuetudo, ut nõ sit huic aut illi liberum mutare, qd' receptũ est. P A. Satis de cõsuetudine. Sed dic tu mihi, quid sentias, utrum existimes satius, monachos non differre à cæteris cultu, an differre. C O. Equidẽ arbitror simplicius & Christianius, non æstimari quenquam ex cultu, modo sit honestus ac decorus. P A. Quur igitur uos non abijcitis cucullas? C O. Quur apostoli non statim uescebantur cibis quibuslibet? P A. Nescio, dic tu. C O. Quoniam obstabat inuicta consuetudo. Quod enim penitus

infixum

infixum est animis hominum, multoq; usu confirmatum inueterauit, ac uelut in naturam abijt, subito tolli sine magna pernicie tranquillitatis humanæ non potest, sed ita paulatim submouendum est, quemadmodū ille re- Caudæ equinæ. i. paulatim. Vide prouerb. Caudæ pilos equinæ uellere.
mulsit pilos caudæ equinæ. P A. Tolerarem, si monachorum omnium esset unus cultus. Tot discrimina quis ferat? C O. Hoc malum usus inuexit, qui nihil nō inuehit. Benedictus nō commentus est nouum cultū, sed is quo tū utebatur cum suis, erat cultus laici simplicis ac probi. Nec Franciscus inuenit nouam formam, sed hæc erat uestis pauperum ac rusticorū. Posteriores additis quibusdam uerterunt rem in superstitionē. Nōne uidemus & hodie quasdam anus tenentes sui seculi cultum, qui magis est diuersus à cultu horū temporum, quàm meus cultus abest à tuo? P A. Videmus. C O. Itaque quum hūc cultum uides, udes reliquias prisci seculi. P A. Ergo nihil habet æliud sanctimoniæ cultus uester? C O. Nihil prorsus. P A. Quidam iactant istos cultus præmonstratos diuinitus à diua uirgine matre. C O. Ista sunt hominum somnia. P A. Sunt qui desperent se posse à morbo reuelescere, ni uestiantur cultu Dominicano. Imò qui nec sepeliri quidem uelint, nisi in ueste Franciscana. C O N. Ista qui suadent, aut captatores sunt, aut fatui: qui credūt, superstitiosi. Deus nō minus dignoscit nebulonem in ueste Franciscana, quàm militari. P A. At minor est plumarū uarietas in auibus, quā in uobis cultus. C O. An nō itaq; pulchrū est imitari naturā? sed pulchrius uincere. P A. Vtinam uinceretis et rostrorū uarietate. C O. Sed age, uarietati quoq; patrocinabor, si pateris. Nōne aliter uestitur

stitur Hispanus, aliter Italus, aliter Gallus, aliter Germanus, aliter Græcus, aliter Turca, aliter Saracenus? P A. *Scilicet.* C O N. *Et in eadē regione quanta uarietas uestiū, etiā in eiusdem sexus, ætatis & ordinis hominibus? Quanto alius cultus Veneto, alius Florentino, alius Romano? Atq; hæc intra unā Italiam.* P A. *Credo.* C O N. *Hinc nata est et nostra uarietas. Domunicus sumpsit cultum à probis agricolis eius Hispaniæ partis, in qua uixit. Benedictus à rusticis eius Italiæ partis, in qua uixit. Franciscus ab agricolis diuersæ partis. ~~Atq; item de cæteris.~~* P A. *Proinde quātū uideo, uos nihilo estis sanctiores nobis, nisi sanctius uixeritis.* C O. *Imò peiores uobis, qui parū pie uiuentes, grauius offendamus animos simpliciū.* P A. *Est igitur aliqua spes de nobis, qui nec patronū habemus, nec cultum, nec regulam, nec professionē?* C O. *Habes ò bone, uide ut serues. ~~Quære à susceptoribus tuis, quid professus sis in baptismo, quam uestē illic acceperis.~~ Et humanā regulā desideras, qui regulam Euangelicam professus sis? Desideras hominem patronum, qui patronum habeas Iesum Christū? Quū duceres uxorē, nihil professus es? Cogita quid debeas cōiugi, quid liberis, quid familiæ, & senties te plus habere sarcinæ, quàm si Franciſci regulam professus esses.* P A. *Credis ne ullū Pandocheum ingredi cœlum?* C O. *Quid ni?* P A. *Multa fiunt ac dicuntur in hac domo, quæ parū respondent Euangelio.* C O. *Quæ?* P A. *Alius bibit plus satis, alius obscœne loquitur, quidam rixantur, quidam obtrectant. Deniq; an cætera sint casta, nescio.* C O. *His occurrendū est, quantū potes. Si non potes, certe ne alas*

A fusceptoribus, quos nunc patrimos ac matrimos uocāt, q spōdent p pueris baptizatis,

Digitized by Google

quæstus causa hæc mala, néue accersas. P A. Nonunquã parũ bonæ fidei sum in uino. C O N R. Qui sic? P A. Vbi sensero illos plus satis incalescere, largiter aquã ad misceo. C O N. Istud quidem leuius est, quã si quibusli bet uẽdas uinũ periculosis medicamẽtis infectũ. P A N. Dic mihi serio, quot dies fuisti in hoc itinere? C O. Mensem fermè. P A. Quis interim uos curat? C O N. Nõne bene curantur, qui habent uxorẽ, liberos, parentes et cognatos? P A N. Sæpenumero. C O. N. Tu non habes nisi unam uxorẽ, nos centũ: tu non nisi unicum patrem, nos centũ: tu nõ nisi unicam domum, nos centum: tu nõ nisi paucos liberos, nos innumeros: tu nõ nisi paucos cognatos, nos infinitos. P A. Qui sic? C O N. Quia latius se porrigit cognatio spiritus, quã carnis. Et ita nobis pollicitus est Christus, et experimur uerũ qd pollicitus est. P A. Næ tu mihi præbuisti sat lepidum cõuiuam. Emoriar, nisi malim hãc confabulationẽ, quàm pastoris mei cõpotationẽ. Cras dignaberis aliquid dicere populo. Et si post hac cõtingat te hâc facere iter, scito tibi hic paratũ locum. C O. Quid si alij ueniant? P A. Non erunt ingrati, modo tui similes. C O. Meliores, uti spero. P A. Verũ inter tam multos malos quomodo dignoscam bonos? C O N. Dicam paucis, sed in aurem. P A. Dic. C O. P A N. Meminero & faciam.

Simili ioco Reuchlin' claudit opus de uerbo mirifico.

ANTRONIVS, MAGDALIA.

Antrontus. Alius sit ad ,puerbiũ ἀντρώνιος ὄνος.

QVã hic ego supellectilem uideo? M A G. An non elegãtem? A N T. Nescio quàm elegantem, certe parũ decoram & puellæ & matronæ. M A G. Quã ob rẽ? A N T. Quia librorum plena sunt omnia. M A G.

Tu

Heroinas appellat potentes aulicas, quasi semideas.

Tu tantus natu, tũ abbas & aulicus, nũquam uidisti libros in ædibus heroinarũ? A N. *Vidi, sed Gallice scriptos, hic uideo Græcos & Latinos.* M A. *An soli Gallice scripti libri docẽt sapiẽtiã?* A N. *Sed decet hoc heroinas, ut habeãt, quo delectẽt ociũ.* M A. *An solis heroinis licet sapere ac suauiter uiuere?* A N. *Male connectis sapere & suauiter uiuere: nõ est muliebre sapere, heroinarũ est suauiter uiuere.* M A. *Nonne omniũ est bene uiuere?* A N. *Opinor.* M A. *Quî potest autẽ suauiter uiuere, qui nõ uiuat bene?* A N. *Imò quî potest suauiter uiuere, qui uiuat bene?* M A. *Ergo tu probas eos, qui uiuũt male, modo suauiter.* A N. *Arbitror illos bene uiuere, qui uiuunt suauiter.* M A. *Sed ista suauitas unde proficiscitur, è rebus extrarijs, an ex animo?* A N. *E rebus extrarijs.* M A. *O subtilẽ abbatẽ, sed crassum philosophũ. Dic mihi, quibus rebus tu metiris suauitatẽ?* A N. *Somno, cõuiuijs, libertate faciẽdi quæ uelis, pecunia, honoribus.* M A. *Verũ si istis rebus deus addiderit sapiẽtiam, nũ uiues suauiter?* A N. *Quid appellas sapiẽtiam?* M A. *Hoc est, si intelligeres hominẽ non esse felicẽ, nisi bonis animi: opes, honores, genus neq; feliciorẽ reddere, neq; meliorem.* A N. *Valeat ista quidẽ sapientia.* M A. *Quid si mihi suauius sit, legere bonũ autorẽ, quàm tibi uenari, potare, aut ludere aleam: nõ uidebor tibi suauiter uiuere?* A N. *Ego nõ uiuerẽ.* M A. *Nõ quæro, quid tibi sit suauissimũ, sed quid deberet esse suaue.* A N. *Ego nolim meos monachos frequẽtes esse in libris.* M A. *At meus maritus hoc maxime probat. Sed quã ob rẽ tandem non probas hoc in monachis tuis?* A N. *Quoniã experior illos*

los minus morigeros. Respondant ex Decretis, ex Decretalibus, ex Petro, ex Paulo. M A. Imperas igitur, quæ pugnãt cũ Petro & Paulo? A N T. Quid illi doceant, nescio: sed tamen non amo monachũ responsatorẽ, neq; uelim quenquam meorum plus sapere, quàm ego sapiã. M A G. Istud ita uitari posit, si tu des operã, ut quàm plurimũ sapias. A N. Non est ocium. M A G. Qui sic? A N. Quia non uacat M A. Non uacat sapere? A N. Non. M A. Quid obstat? A N T. Prolixæ preces, cura rei domesticæ, uenatus, equi, cultus aulæ. M A. Itá ne ista tibi sunt potiora sapientia? A N T. Nobis sic usu uenit. M A. Iam illud mihi dicito, si quis Iupiter hãc potestatẽ tibi daret, ut posses et monachos tuos et teipsum uertere in quodcũq; animal uelles, an illos in porcos uerteres, teipsum in equum? A N. Nequaquã. M A. Atqui sic uitares, ne quis plus te uno saperet. A N. Mea nõ magni referret, quod genus animãtis essent monachi, modo ipse essem homo. M A. An hominem esse censes, qui nec sapiat, nec uelit sapere? A N. Mihi sapio. M A G. Et sibi sapiunt sues. A N. Videre mihi sophistria quæpiã, ita argutaris. M A. Nõ dicam quid tu mihi uidearis. Sed quur hæc displicet supellex? A N. Quia fusus et colus sunt arma muliebria. M A. Nonne matronæ est, administrare rem domesticã, erudire liberos? A N. Est. M A. An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia? A N T. Non arbitror. M A G. At hanc sapientiam docent me libri. A N. Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamẽ nullũ librũ reperies in meo cubiculo. M A. Bene itaq; prospectũ est monachis illis.

A N.

A N. Feram libros, non fero Latinos. M A. Quapropter? A N T. Quia non conuenit ea lingua fœminis. M A. Expecto causam. A N. Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam. M A. Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallice scripti faciunt ad pudicitiam? A N. Aliud est. M A G. Dic istud, quicquid est, aperte. A N. Tutiores sunt à sacerdotibus, si nesciant Latine. M A. Imò isthinc minimũ est periculi uestra opera. Quãdoquidem hoc agitis sedulo, ne sciatis Latine. A N T. Vulgus ita sentit, quia rarum & insolitum, fœminam scire Latine. M A. Quid mihi citas uulgum, peßimũ bene gerendæ rei autorem? Quid mihi cõsuetudinem omniũ malarum rerum magistram? Optimis assuescẽdum. Ita fiet solitum quod erat insolitum: & suaue fiet, quod erat insuaue: fiet decorum, quod uidebatur indecorum. A N. Audio. M A. Nonne decorũ est, fœminam in Germania natam discere Gallice? A N. Maxime. M A G. Quamobrem? A N T. Vt loquatur cum his, qui sciunt Gallice. M A G. Et mihi putas indecorum, si discam Latine, ut quotidie confabuler cũ tot autoribus, tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tã fidis cõsultoribus. A N. Libri adimunt multũ cerebri fœminis, quum alioqui parũ illis superſit. M A. Quantum uobis superſit, nescio, certe mihi quantulũcunq; est, malim in bonis studijs cõsumere, quàm in precibus sine mẽte dictis, ~~in pernoctibus conuiuijs, in exhauriendis capacibus pateris.~~ A N. Librorum familiaritas parit insaniam. M A. An colloquia cõbibonum, scurrarum & sannionum tibi pariunt insaniam? A N T. Imò depellunt tædium. M A G. Qui

Qui fiat igitur, ut tam amœni cõfabulones mihi pariant insaniam? A N. Sic aiunt. MAG. At aliud ipsa loquatur res. Quãto plures uidemus, quibus immodica potatio, & intempestiua cõuiuia, ~~quibus temulẽta peruigilia~~, quibus impotẽtes affectus pepererũt insaniam? A N. Ego sanè nollem uxorẽ doctã. M A. At ego mihi gratulor, cui cõtigerit maritus tui dissimilis. Nã & illũ mihi, & me illi chariorẽ reddit eruditio. A N. Immensis laboribus cõparatur eruditio, ac post moriẽdũ est. M. Dic mihi uir egregie, si cras tibi moriẽdũ esset, utrũ malles mori stultior, an sapientior? A N. Si citra laborẽ contingeret sapiẽtia. MA. Sed nihil homini citra laborem cõtingit in hac uita, & tamen quicquid paratũ est, quantisuis laboribus cõparatũ est, hic relinquẽdum est, quur pigeat nos in re omniũ pretiosissima sumere laboris aliquid, cuius fructus nos in alterã quoq; uitã comitatur? A N. Frequenter audiui uulgo dici, fœminã sapiẽtem bis stultam esse. M A. Istuc quidẽ dici solet, sed à stultis. Fœmina quæ uere sapit, nõ uidetur sibi sapere. Cõtrà, quæ quum nihil sapiat, sibi uidetur sapere, ea demum bis stulta est. A N. Nescio quomodo fit ut quemadmodũ clitellæ non cõueniunt bouĩ, ita nec literæ mulieri. M A. Atqui negare non potes, quin magis quadrẽt clitellæ bouĩ quàm ~~mitra asino aut~~ fui. Quid sentis de uirgine matre? A N. Optime. M A. Nonne uersabatur in libris? A N. Versabatur, at non in istis. M A. Quid igitur legebat? A N. Horas canonicas. MA. Ad quẽ usum? A N. Ordinis Benedictini. MA. Sit ita sanè. Quid Paula & Eustochiũ, nonne uersabãtur in sacris libris? AN. Verũ istuc nunc

Clitellæ. Vide prouer. Bos clitellas.

Ordinis Benedictini. Ridiculc. quum Benedictus nondum esset natus.

Digitized by Google

rarum est. M. Sic olim rara auis erat Abbas indoctus, nunc nihil uulgatius. Olim principes & Cæsares eruditione non minus quàm imperio præeminebant. Neq; tamen usq; adeo rarum est, quàm tu putas, sunt in Hispania, sunt in Italia non paucæ mulieres adprime nobiles, quæ cum quouis uiro queant cõtendere, sunt in Anglia Moricæ, sunt in Germania Bilibaldicæ & Blaurericæ. Quod nisi caueritis uos, res eò tandem euadet, ut nos præsideamus in scholis theologicis, ut concionemur in templis. Occupabimus ~~mitras uestras.~~ A N. Ista deus auertat. M A. Imò uestrũ erit hoc auertere. Quod si pergetis, ut cœpistis, citius anseres cõcionaturi sint, quàm uos mutos pastores ferãt. Videtis iam inuerti mundi scenã. Aut deponẽda est persona, aut agẽdæ sunt suæ cuiq; partes. A N. Vndc incidi in hãc fœminam? Si quãdo uises nos, ego te suauius accipiã. M. Quibus modis? A N. Saltabimus, bibemus affatim, uenabimur, ludemus, ridebimus. M A G. Mihi quidem iam nunc ridere libet.

EPITHALAMIVM PETRI AEGIDII.

Alypius, Balbinus, Musæ.

DEVM immortalem, quod ego nouũ spectaculum hic uideo? B A L. Aut tu uides quod nusquam est, aut mei parum prospiciũt oculi. AL. Atqui mirum spectaculum est & amabile. B A L. Enecas, dic ubi uides? A L. Ad læuam in hoc colle nemoroso. B A L. Collem uideo. A L. Non uides puellarũ chorum? B A L. Quid tibi uenit in mentẽ, ut nos ad istum modũ ludos facias? Ego ne muscam quidẽ puellam usquam conspicor. AL. Tace, prodeunt è nemore. Papæ, qui nitor, quæ gratia.

Non

Digitized by Google

Non humanũ est hoc spectaculũ. BAL. Quæ hunc agitant intemperiæ? AL. Agnosco, nouẽ sunt Musæ cum tribus Gratijs, demiror quid agant, nũquam uidi cultiores aut magis alacres. Omnes sunt redimitæ lauro, & suum quæq; gerit organũ. Porrò gratiæ quàm amabiliter sibi hærent, quàm ~~decet nullo astricta cingulo uestis, ac libe~~ ~~ris diffluẽs lacinijs~~. BAL. At ego nunquã audiui quenquam magis delirantem quàm te. AL. Imò nenunẽ uidisti me feliciorẽ. BAL. Quur hic solus habes oculos? AL. Quia nõ bibisti ex fonte Musarũ, nã his solis cõspicuæ sunt Musæ. B. Ego affatim hausi e fonte Scoti. AL. Nõ ille fons est Musarũ, sed lacus ranarũ. BAL. Nõ potes efficere, ut & ipse uideã hoc spectaculi? AL. Possem, si quidem adesset laurus, nam liquor è fonte limpido, ramo lauri aspersus, oculos reddit huiusmodi spectaculorum perspicaces. B. Ecce laurus, ecce fonticulus. AL. Cõmodum profecto. B. Asperge. AL. Intẽde, uidẽs ne? BA. Quantũ antea. Asperge rursus. AL. Iám ne uides? B. Tantũdem. Aspergo copiosius. AL. Iam uides opinor. B. Imò uix te uideo. AL. Miser, quàm penitus oculos tuos obsedit τὸ σκότος. Hæc ars uel aurigæ daret oculos. Verũ non est quod crucieris, præstiterit fortassẽ nõ uidere, ne tali præmio uideas musas, quali Acteon uidit Dianam. Periculum enim esset, ~~ne te uertant in histricẽ~~, aut aprũ sylueströ, aut porcũ, aut camelũ, aut ranã, aut graculũ. Efficiã tamẽ ut audias, modo ne obstrepas. Iam ~~huc deflectunt uiam, occurramus~~. Χαίρετε τρισσόθκτοι θεαί. MVS. Καὶ σὺ μάλα χαῖρε φιλόμουσε. AL. Quid uellicas? BA. Nõ præstas quod promiseras. AL.

Intemperiæ, id est furiæ.

τὸ σκότος, id est tenebræ. Alluſum est ad Scoti nomen.

Acteon, quũ casu uidisset Dianam nudã, uersus est in ceruũ.

Histrix spinosum animal, quæ spinas eiaculat.

Χαίρετε etc. id est, auete optatissimæ deæ.

Καὶ σὺ &c. id est, & tu multum salue Musarum amator.

Digitized by Google

An non audis? B A. Audio, sed uelut asinus lyram. AL. Loquar igitur Latine. Quonam est iter tam cultis, tamq; alacribus? Num inuisitis Louanienſiũ Academiã? MV. Bona uerba. A L. Quamobrẽ? M V. Quis nũc illic no bis locus, ~~ubi tot porci obgrũniunt, obrudunt asini,~~ ob- lactiunt cameli, obstrepũt graculi, obgarriũt picæ? AL. Atqui sunt & illic, quibus ueſtrũ numen eſt uenerãdũ. M V S. Scimus, eoq; poſt annos aliquot illuc cõmigra- bimus. Nondũ reuoluta ~~ſeculorũ periodus~~ diem illum fa talem aduexit. Erit enim, qui illic nobis amœnũ ~~extruet~~ domiciliũ, uel tẽplum potius, quo uix alibi magnificen- tius ac ſanctius. A L Y. Non eſt fas ſcire quiſnam tantũ decus inuecturus ſit ~~noſtræ editioni?~~ M V. Tibi fas eſt, noſtrorum ~~ſacrorum myſtæ~~. Non dubium eſt, quin tibi notũ ſit, toto orbe celebre Buslidianorum nomen. A L. Heroicum genus nominaſti, & ornãdis ſummorũ prin cipum aulis natum. Quis enim non uenetur magnum illum Franciſcum Buslidium Beſontinæ eccleſiæ præſu- lem, qui unus non unum Neſtorem præſtitit Philippo, Maximi Maximiliani filio, Caroli qui maior futurus eſt, patri? M V. O felices nos, ~~niſi fata uirum illum ter- ris inuidiſſent~~. Quantus erat ille Mœcenas honeſtorum ſtudiorum, ~~quàm candidus fautor ingeniorum.~~ Sed re- liquit fratres duos, Aegidiũ admirabili iudicio, pruden tiaq; uirum, & Hieronymum. A L. Hieronymum no- uimus omni literarũ genere perpolitum, omni uirtutum genere decoratũ. M V. Nec eum fata longæuũ eſſe pa tientur, tametſi nemo dignior eſt immortalitate. A L Y. Vnde iſta noſtis? M V. Apollo nobis denarrauit. A L.

Oblaciunt. Bla cure proprie ca melorum eſt.

Periodus, circui tus.

Myſtæ, qui ſa- cris initiati ſũt, á uerbo μυ- έω, qd' ipſum à ſilentio dictũ.

Quæ

Quæ nam est ista fatorũ inuidia, ut optima quæq; proti nus subducant? M V. Id quidē non est huius temporis philosophari, sed Hieronymus hic summa cum laude mo riens, ~~uniuersas opes suas destinabit instituēdo Louanij collegio,~~ in quo gratis & publicitus tres linguas erudi tissimi uiri profitebuntur. Ea res magnum ornamētum adiūget & studijs, & Caroli gloriæ. Tum non illiben ter uersabimur Louanij. A L. Quò nūc igitur est iter? M V. Antuerpiam. A L Y. Musæ & gratiæ ad merca tum? M V. Nequaquam, imò ad nuptias. A L Y. Quid uirginibus cum nuptijs? M V. Ad tales nuptias non est indecorum ire uirgines. A L. Quas igitur nuptias nar ras? M V. Sanctas, puras, castas, ~~ad quas non puderet ipsam adire Palladem,~~ & arbitror adfuturam. A L Y. Non est fas scire sponsi nomen & sponsæ? M V. Arbi tror tibi non ignotum esse candidissimū illum iuuenem, ~~& omnibus politioris literaturæ delicijs expolitissimū,~~ Petrum Aegidium. A L. Gemman nominasti, nō homi nem. M V. Ei nubet Cornelia uirgūcula uel ipso digna Apolline. A L. Ille quidem uestri cultor eximius à tene ris annis fuit. M V. Huic igitur canemus Epithalamiū. A L Y. Et saltabunt gratiæ? M V. Non modo saltabūt, uerum etiam ~~duo candidissima pectora indissolubilibus mutuæ beneuolentiæ nodis copulabunt~~, ut nihil unquam inter illos possit incidere uel iræ, uel tædij. Illa perpe tuum nihil audiet, nisi mea lux: ille uicissim nihil, nisi anime mi. Atq; huic iucunditati ne senectus quidem quic quam detrahet, imò potius adiūget aliquid. AL. Demira rer, si qui sic uiuūt, possint senescere. M. Recte mones,

Digitized by Google

nam maturitas erit potius, quàm senectus. A L. *Atqui noui permultos, quibus intra mẽses treis, istæ uerborum blãditiæ lõge in diuersum uersæ sunt, & in cõuiuio pro lepidis iocis ~~uolitabant dulci & quadrulæ. Maritus pro anime mi, audiebat, fungus, lagena, spongia: uxor, scro-~~ pha, Acco, uomica.* M V. *Vera prædicas, sed istiusmodi nuptiæ Gratijs iratis coierãt. Hic perpetuo morũ iucun ditas alet mutuã bencuolẽtiam.* A L. *Narras tu quidem raram matrimonij felicitatẽ.* M V. *Tam raras uirtutes rara decet felicitas.* A L. *Quid, coibunt nuptiæ absq; Iu none & Venere?* M V. *~~Iuno quidem non aderit rixosa dea, & cui raro bene cõuenit cum suo Ioue.~~* Ne Venus *quidẽ illa terrestris & ebriosa, uerum altera illa cœlestis, quæ cõciliat formas animorũ.* A L. *Proinde sterile matrimoniũ mihi narras.* M V. *Nequaquã, imò felicissi me fœcundum.* A L. *Quid illa cœlestis gignit, nisi animos?* M V. *Imò addit & corpora, sed ipsis animis morigera, perinde quasi ~~gẽmeo myrothecio indus opobalsamum.~~* AL. *Vbi nam est ea?* M V. *En tibi procul aduẽtat.* A. *Video, deũ immortalẽ, qui fulgor, quæ formæ maiestas. ~~Ad hãc quidẽ altera Venus inuenusta est.~~* M. *Vides quàm modesti Cupidines, nequaquã cæci quẽadmodum illi quibus altera demẽtat animos mortaliũ, sed ocu latissimi: nec habẽt insanas faces, sed ignes placidissimos: nec habent plumbeas cuspides, quibus immittunt odium amãtis, ac miseros animos amore nõ mutuo discruciãt.* A L. *Planè matrem referunt. O felicem illam domũ, & superis egregie charam. Cæterum licét ne audire epithalamium carmen, quod illi destinastis?* M V S. *Imò roganus*

Acco, mulier ob ſtulticiã nobilis.

Vomica, hulcus, ſic appellamus nobis molestos.

Illa terrestris. Alluſit ad hoc qđ Socrates apud Platonem facit duas Veneres & duos Cupidines.

Myrothecion, unguentarium.

Digitized by Google

rogamus ut libeat audire.

CLIO.

Candida laurigero nubit Cornelia Petro,
Auſpicijs adſint numina dextra bonis.

MELPOMENE.

Contingat illis turturum concordia,
Corniculæ uiuacitas.

THALIA.

Ille charitate Gracchum Tiberium præceſſerit,
Qui ſuæ uitam antepoſuit coniugis Corneliæ.

Gracchū Tib. lege Plutarchū in Gracchis, ſtatim in principio.

EVTERPE.

Illa charitate ſuperet coniugem Admeti ducis,
Quæ uolens, mortem mariti morte mutauit ſua.

Corneliæ. De hac extat tragœdia Euripidis. Meminit et Valerius Max. libro 4. cap. 6. Atq; ibidem de Plautio & Horeſtilla. Rurſus ibidē de Portia Catonis filia, Bruti uxore.

TERPSICORE.

Ille non flagret leuiore flamma,
Attamen fato meliore, quàm olim
Plaucius, raptæ ſociæ grauatus
Eſſe ſuperſtes.

ERATO.

Illa non flagret leuiore flamma,
Attamen longe meliore fato,
Caſta quàm ſanctum deamauit olim
Portia Brutum.

CALLIOPE.

Sponſum moribus undiquaq; ſanctis,
Nec Naſica probatus antecellat.

Sulpitia Paterculi filia, uxor Fuluij Flacci, quæ ob pudicitiam e cētū matronis lecta fuit ad dedicādum Romæ Veneris ſimulachrū. Meminit T. Liuius.

VRANIA.

Vxor moribus undiquaq; caſtis,
Vincat Sulpiciam Paterculanam.

Digitized by Google

POLYHYMNIA.

Laudetur simili prole puerpera,
Accrescat domui res simul & decus,
Sed liuore uacet, si fieri potest,
Factis egregijs debita gloria.

ALY. Prorsus inuiderē illi Petro Aegidio, nisi tantus esset hominis cādor, ut ipse nemini posset inuidere. M. Sed iam tēpus est, ut cœptū carpamus iter. AL. Nūquid est quod interim uelitis renūciari Louaniū? MV. Vt nostro nomine salutes amicos omnes cādidos ac nostri studiosos, sed præ cæteris uetustißimū nostri chori cultorē Ioannem Paludanum, Iodocum Gaucrium, Martinum Dorpium, & Ioannem Borsalum. AL. Id quidē fiet diligenter. Quid cæteris? MV. Dicam in aurem. ALY. Res est non magni sumptus. Itaq; fiet quàm primum.

Res est non magni sumptus. Videtur hoc dictum in aurē, ut suspendāt sese.

EXORCISMVS, SIVE SPECTRVM.

Thomas, Anshelmus.

QVid est bonæ rei, quod tecum rides tam suauiter, quasi thesaurū nactus sis? A N. Nō procul aberrat à scopo tua diuinatio. T H. At nō imparties sodali quicquid isthuc est boni? A N. Imò iamdudum optabam mihi dari quempiā, in cuius sinum effunderē hoc meum gaudium. T H. Age igitur imparti. A N. Audiui modo fabulam lepidißimā, quam iures esse Comicū figmētum, nisi mihi locus, personæ, totaq; res esset tam nota, quàm tu notus es mihi. T H. Audire gestio. A N. Nosti ne Polum Fauni generum? T H O. Maxime. A N S. Is est & autor & actor huius fabulæ. T H. Facile credidero rim. ~~Nam ille uel absq; persona possit quiuis agere fabulam.~~

lam. ANS. Sic est. Nosti, opinor, & prædium quod habet non ita procul à Londino. THO. Phy. Non semel illic compotauimus. AN. Agnoscis igitur uiam utrinq; arboribus pari digestis interuallo septam. TH. Ad læuā ædium partem, altero ferè balistæ iactu. AN. Tenes. Alterum uiæ latus habet alueum siccum, dumis ac uepribus obsitum. E ponticulo iter est in apertam planiciem. THO. Memini. AN. Iam pridem uagabatur rumor ac fabula per eius loci rusticos, iuncta ponticulum hunc obuersari spectrum quoddam, cuius subinde exaudirentur miserandi eiulatus: suspicabantur animam esse cuiuspiā, quæ diris cruciatibus torqueretur. TH. Quis autor erat istius rumoris? ANS. Quis, nisi Polus? Hoc procœmium præstruxerat suæ fabulæ. TH. Quid isti uenit in mentē, ut ista confingeret? AN. Nescio, nisi quia sic est hominis ingenium, gaudet huiusmodi commentis ludere stulticiam populi. Dicam quid nuper designarit huius generis. Simul equitabamus aliquāmulti Richemondam, inter quos erant, quos tu diceres cordatos homines. Cœlum erat mire serenum, nec ulla usquam nubecula suffuscatū. Ibi Polus intentis in cœlum oculis, signauit totam faciē ac scapulas imagine crucis, & uultu ad stuporem composito, ita secum: Deum immortalem, quid ego uideo? Rogāntibus qui proxime equitabant, quid uideret, rursus obsignans se maiore cruce: Auertat, inquit, clementissimus deus hoc ostentum. Quum instarent auiditate cognoscendi, ille defixis in cœlum oculis, ac digito commonstrans cœli locum: Nonne, inquit, uidetis illic immanem draconem, igneis armatū cornibus, cauda in circu-

Digitized by Google

lum retorta? Quum negarent se uidere, atq; ille iussisset oculos intenderent, ac locum subinde commonstraret, tandem unusquispiã, ne uideretur parũ ocultatus, affirmauit se quoq; uidere. Hũc imitatus est unus itẽ atq; alter: pudebat enim nõ uidere quod tam esset perspicuũ. Quid multis? Intra triduũ rumor hic totam Angliam peruaserat, tale portentũ apparuisse. Mirum autẽ, quantum fama popularis addidit fabulæ. Nec deerant, qui quid sibi uellet hoc ostentũ, interpretarẽtur serio. Horũ stulticia, ille qui cõmentus fuerat argumentũ, magna cũ uoluptate fruebatur. TH. Agnosco hominis ingenium. Sed redi ad spectrum. AN. Interea cõmodum diuertit ad Polum Faunus quidam sacerdos ex eorũ genere, quibus non satis est appellari Latine Regulares, nisi Græce cognomẽ idem accinatur, parochus uici illic alicunde uicini. Is sibi non uulgariter uidebatur sapere, præsertim in rebus sacris. TH. Intelligo, repertus est actor fabulæ. AN. Super cœnã ortus est sermo de rumore spectri. Quũ Polus sentiret, Fauno rumorẽ hunc nõ solũ auditum esse, uerum etiã creditũ, cœpit hominẽ obtestari, uir doctus ac pius succurreret animulæ tam dira patienti: & si qd dubitas, inquit, explora rẽ. Obambula ad decimã iuxta ponticulum illũ, & audies miserũ eiulatũ. Adiunges tibi quem uoles comitem, ita & tutior audies, & certior. TH. Quid deinde? AN. Cœna peracta, Polus ex more abit uenatũ, aut aucupatũ, Faunus obambulans cũ iam tenebræ sustulissent certũ de rebus iudicũ, tandẽ audit miserãdos gemitus. Hos Polus artifex mire effingebat, abditus illic in uepreto, adhibita ad id olla fictili, quo uox è

Nisi Græce. Ludit, alioqui canonici non dicuntur a regula sed a præbẽda, quam nunc uocant. Nã canon aliqũ est certus cibi potusue modus, qui dabat militibus.

cauo

cauo reddita lugubrius quiddam ſonaret. TH. Hæc fabula, ut uideo, uincit Phaſma Menãdri. AN. Magis iſthuc dices, ſi totã audieris. Faunus domũ ſe recipit, narrare cupiẽs, quid audiſſet. Polus alia uia cõpendiaria iam anteuerterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod erat actũ, & aliquid etiã affingit, quo res eſſet admirabilior. TH. Polo terat interim Polus tenere riſum? AN. Illé ne? Vultũ habet in manu. Dixiſſe rem ſerio agi. Tandẽ Faunus uehementer obteſtante Polo, ſuſcepit negociũ exorciſmi, ac totam eam noctẽ agit inſomnem, dũ diſſipicit, quibus modis rem aggrederetur tutò: nam ſibi quoq; miſere metuebat. Primum itaq; cõgeſti ſunt exorciſmi efficaciſſimi, et additi noui nonnulli per uiſcera beatæ Mariæ per oſſa beatæ Vuerenfridæ. Deinde delectus eſt locus in planicie uicina uetreto, unde uox exaudiebatur. Circũductus eſt circulus ſatis amplus, q crebras haberet cruces, uariasq; notulas. Hæc omnia peragebãtur uerbis cõceptis. Adhibitum eſt uas ingens, plenũ aquæ conſecratæ. Addita eſt in cellũ ſacra ſtola, quã uocant, unde pẽdebat initiũ euãgelij ſecundũ Ioannem. In loculis habebat cerulũ à Romano pontifice quotannis cõſecrari ſolitã, quæ uulgo dicitur Agnus dei. His armis olim ſe muniebant aduerſus noxios dæmones, prius quàm illis Frãciſci cuculla cœpit eſſe formidabilis. Hæc omnia procurata ſunt, ne ſi ſpiritus malus eſſet, impetũ faceret in exorciſtã. Nec tñ auſus eſt, ſe ſolũ huic circulo committere, ſed decretũ eſt, adhibendum eſſe ſacerdotẽ alterũ. Ibi Polus metuẽs, ne ſi naſutior adiũctus fuiſſet, proderetur fabulæ myſteriũ, adiungit parochum quendam ex uicinia, cui rem totam

Phaſma. i. appariti o. Nomẽ eſt fabulæ, in qua puella potiebatur amatore, ficta apparitione deæ, cui ſicbãt ſacra. Vide Donatum in prolo gum Eunuchi.

aperit

aperit, sic enim postulabat actio fabulæ, & erat is, qui à tali ludo nõ abhorreret. Postridie rebus omnibus rite præparatis, sub horam decimam Faunus cũ parocho circulum ingreditur. Polus qui præceßerat, è uepreto gemit miserabiliter. Faunus auspicatur exorcismũ. Interim Polus clàm per tenebras subducit se in villam proximã. Illinc adducit aliam personam fabulæ, nec enim poterat nisi per multos agi. THO. Quid fasiunt? AN. Cõscendunt equos nigros, ignem occultũ secum ferunt. Vbi nõ procul abesſent à circulo, ignẽ ostentant, quo metu Faunum abigerent è circulo. TH. Quantũ operæ sumpsit Polus ille, ut falleret. ANS. Sic est homo. Verum ea res propemodum peßime cesserat illis. TH. Qui sic? AN. Nam equi subito prolato igni, consternati, parũ abfuit, quin & se præcipitarent & sessores. Habes primũ actũ fabulæ. Vbi reditũ est in colloquiũ, Polus uelut ignarus omnium, rogat, quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi cõspectos duos teterrimos cacodæmones, in nigris eqs, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui tentasſent ingredi circulum, uerũ efficacibus uerbis abactos in malam rem. His rebus quũ accreuisſet animus Fauno, poste ro die summo cũ apparatu redijt in circulum. Quanq; diu multis obtestationibus prouocasſet spectrum, Polus rursum cũ collega suo procul ostendit seſe ex equis atris horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulũ. THO. Nihil habebant ignis? AN. Nihil, nam id male cesserat, sed audi aliud commentum. Ducebant longũ funem. Eo leuiter per humum tracto, dum hinc atq; hinc uterq; se proripit, ueluti abacti exorciſmis Fauni, sacerdotem

dotem utrunq; unà cũ uaſe, quod habebant aquæ ſacræ plenum, prouoluunt in terram. THO. Hoc præmij tulit pro ſua actione parochus? AN. Tulit, & tamen maluit hoc perpeti, quàm deſerere cœptam fabulam. His ita geſtis, ubi reditum eſt ad colloquiũ, deprædicat apud Polum Faunus, quanto fuiſſet in periculo, & quàm fortiter utrũq; cacodæmonẽ ſuis uerbis profligaſſet. Iáq; certam conceperat fiduciam, nullũ eſſe tam noxium, aut impudentem dæmonem, qui poſſet in circulum irrumpere. THO. Faunus ille non multum abeſt à fatuo. AN. Nihil adhuc audiſti. Hucuſq; progreſſa fabula, commodum ſuperuenit Poli gener, nam eius filiam duxerat natu maximã, iuuenis, ut ſcis, ingenio mire feſtiuo. TH. Scio, nec abhorrens ab huiuſmodi iocis. AN. Abhorrẽs? Nullum ille uadimonium nõ deſereret, ſi talis, uel ſpectãda, uel agenda eſſet fabula. Huic ſocer rẽ omnem denarrat, atq; illi delegat partes, ut animã agat. Sumit ornatũ, ac lubens, cõuoluit ſe lintheo, quemadmodũ apud nos ſolẽt funera, habet prunam uiuam in teſta, quæ per linteum reddebat ſpeciẽ incendij. Sub noctem itum eſt ad locũ, ubi hæc agebatur fabula: Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorciſmos omnes. Tandẽ procul inter uepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtẽtans ignẽ, ac mi ſere ſuſpirans. Hanc quũ Faunus obteſtaretur, ut eloqueretur, quiſnã eſſet, ſubito profilijt è uepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoq; fremitu: Nihil, inquit, tibi iuris eſt in hanc animã, mea eſt. Ac ſubinde procurrit uſq; ad oram circuli, uelut impetũ facturus in exorciſtã, moxq; uelut ſubmotus uerbis exorciſmi, & ui aquæ ſacræ, quã illi mul

Vadimoniũ, i. rem quamlibet ſeriã. Vide Chiliades.

Digitized by Google

illi multam aſperſit, retroceßit. Tandem abacto pædagogo dæmone, naſcitur dialogiſmus Fauni cũ anima, perſontanti & obteſtanti, reſpõdit ſe eſſe animam hominis Chriſtiani. Rogata, quo nomine uocaretur, reſpondit: Faunus. Faunus inquit: Idem mihi nomen eſt. Iamq; ex communi nomine res cœpit illi magis eſſe cordi, ut Faunus Faunũ liberaret. Quũ Faunus multa percontaretur, ne diutina cõfabulatio proderet fucũ, ſubducebat ſeſe animã, negans ſibi fas eße diutius colloqui, qd' tẽpus urgeret, quo cogeretur abire, quò liberet dæmoni, pollicita tamen eſt ſeſe poſtridie reditura hora qua fas eſſet. Rurſus cõuenitur in ædibus Poli, qui choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorciſta, quid eſſet geſtũ, nonnulla etiam admentiens, quæ ſibi tamẽ perſuadebat eße uera. Adeo faucebat negocio qd' agebatur. Iam hoc compertũ erat, ſcilicet animam eße Chriſtianã, quæ ſub inclemẽtiſſimo dæmone diris cruciatibus uexaretur. Huc omnis conatus intẽditur. Verũ in exorciſmo proximo ridiculũ quiddã accidit. TH. Obſecro quid nam? AN. Quũ Faunus euocaſſet animã, Polus qui dæmonẽ agebat, prorſus ſic aßiliit, quaſi intra circulũ irruptur us, quũq; cõtrà Faunus pugnaret exorciſmis, multãq; uim aquæ aſpergeret, tãdẽ exclamat dæmon, ſe ne pili quidẽ facere iſta oĩa. Rem, inquit, habuiſti cũ puella, mei iuris es. Id quũ Polus ioco diceret, tñ forte fortuna uerũ dixiße uiſus eſt: nã exorciſta hoc dicto tactus, ilico recepit ſe in centrũ circuli, & neſcio qd immußauit in aurẽ parocho. Id Polus ſentiẽs, recepit ſeſe, ne quid audiret, qd' audire fas nõ eßet. TH. Sanè Polus religioſum ac uerecundũ agebat dæmonem.

ANS.

Pædagogo, qui ſeruabat animam nec ab ea diſcedebat. Sic Terẽ. Phædriã uocat puellæ pædagogum.

Choragus, qui producit ac reducit perſonas in fabulis, quaſi præfectus fabulæ.

Digitized by Google

ANS. Sic est. Reprehendi poterat actio quod parum meminisset decori. Exaudiuit tamen parochi uocē, indicentis satisfactionem. TH. Quam? AN. Vt ter diceret præcationem dominicam, ex hoc conijciebat illū ter habuisse rem eadē nocte. TH. Hoc sanè regularis ille præter regulam. AN. Homines sunt, & lapsus erat humanus. TH. Perge, quid deinde factum? AN. Iam Faunus ferocior redit ad orā circuli, & ultrò prouocat dæmonem. At ille iam timidior, refugiebat, fefellisti me, inquiens, si sapuissem, non monuissem te. Persuasum est hoc multis, ~~quæ semel sacerdoti cōfessus fis, prorsus abolita esse è memoria dæmonis ne possit opprobrare.~~ TH. Io cum planè ridiculum narras. AN. Sed ut aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modū colloquium habitum est cū anima. Summa huc euasit. Rogāti exorcistæ, num qua uia posset à cruciatu liberari, respondit illa posse, si pecunia, quā reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus: Quid, inquit, si per bonos uiros dispēsaretur in pios usus? Respondit & hoc profuturū. Hic exhilaratus exorcista, summa diligētia percontatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentē, quod illi erat bonum atq; cōmodū. Indicauit & locū, ~~sed procul dissitum, ubi thesaurus hic defossus esset.~~ Præscripsit in quos usus uellet impendi. TH. In quos? AN. Vt tres susciperent peregrinationē, quorū unus adiret limina Petri, alter iret salutatū Iacobum Compostellanū, tertius oscula retur pectinē Iesu, qui est Treueris. Deinde per aliquot monasteria magna uis psalteriorū ac missarum perageretur. Quod supesset, ipse pro suo arbitratu dispēsaret.

Iam

Iam totus erat in thesauro Fauni animus, illum toto pectore deuorarat. THO. Vulgaris morbus est, quanquã hoc nomine peculiariter male audiũt sacerdotes. ANS. Vbi nihil esset omißum, quod ad pecuniæ negociũ pertineret, exorcista submonitus à Polo, cœpit animã de curiosis artibus percõtari: de alcumistica, deq; magia. Et ad hæc anima quædã respondit pro tẽpore, cæterũ pol licita se plura indicaturã, simulatq; illius opera liberata fuisset à pædagogo dæmone. Sit hic si uidetur tertius fãbulæ actus. In quarto Faunus cœpit ubiq; serio prædicare rẽ prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquijs, in cõuiuijs, polliceri monasterijs magnifica quædam, & omnino nihil iam humile loquebatur. Adijt locũ, reperit signa, nõ ausus tamen est effodere thesaurũ, quod anima iniecisset scrupulũ, ingenti periculo facturũ, si prius quã essent peractæ missæ, thesaurus attingeretur. Iam multis ~~nasutioribus subolebat fucus~~. Quũ tamen ille nusquã nõ deprædicaret suã stultitiam, clam admonitus est ab amicis, Præsertim ab Abbate suo, ne qui hactenus habitus esset uir prudens, ~~nũc diuersum de se specimen daret~~ oĩbus. Ille tñ nullius oratione potuit cõmoueri, quo minus crederet rẽ esse seriam, adeoq; penitus hæc imaginatio occupauit animum hominis, ut præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipsam faciẽ, quæ sic pallebat, sic erat extenuata, sic dejecta, ut laruã esse diceres, nõ hominem. Quid multis? minimũ aberat à uera demẽtia, ni celeri remedio succursum fuisset. TH. Nimirũ hic erit extremus actus fabulæ. ANS. Eũ tibi reddã. Polus & huius generis huiusmodi

Digitized by Google

iusmodi techna cõmenti sunt. Effinxerũt epistolã rariis literis descriptã, idq; nõ in chartis uulgaribus, sed ĩ his, in quibus aurifices ponũt bracteas auri, subrubẽtibus, ut scis, luto. Epistolae sententia haec erat: Faunus dudũ captiuus, nũc liber, Fauno liberatori suo optimo salutem aeternã. Nõ est mi Faune, quur te diutius in hoc negocio maceres. Respexit deus animi tui piã uoluntatẽ, & illius merito me liberauit à supplicijs, ego nũc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diuũ Augustinũ, q̃ proximus est Apostolorũ choro. Vbi ueneris ad nos, agã tibi gratias corã. Interim cura, ut uiuas suauiter. Datũ è cœlo empyreo Id. Septẽbribus. Anno. 1498. Sub sigillo annuli mei. Haec epistola clã posita est ĩ alta ri, ubi facturus erat rẽ diuinã. Ea pacta, subornatus est, q̃ eũ submoneret de re, quasi casu deprehẽsa. Nũc eã circũfert epistolã & ostẽtat ceu rẽ sacram, nihilq; credit certius, quã eã è cœlo platã ab angelo. THO. Istud nõ est liberasse hominẽ insania, sed mutasse insaniae genus. AN. Sic est profecto, nisi quod nunc insanit suauius. TH. Antehac nõ soleo multũ tribuere fabulis quae uulgò ferũtur de spectris, sed post hac multo minus tribuã, suspicor enim ab hominibus credulis & Fauni similibus multa pro ueris prodita literis, quae simili artificio sunt adsimulata. AN. Ego pleraq; huius generis esse credo.

ALCVMISTICA. LALVS, Philecous.

Lalus, loquax. Philecous, auidus audiendi.

QVID est nouae rei, qd' sic Lalus apud sese ridet, ac ~~penè ĩ cachinnos soluitur,~~ subĩde signãs se cruce? Interpellabo felicitatẽ hominis. Salue multũ amiciss-

Digitized by Google

me Lale, uideris mihi admodũ felix. L A. Atqui felicior ero, ~~si te impartiã hoc gaudio~~. P H I. Fac igitur quã primũ me bees. L A. Nosti Balbinũ? P H I. Senẽ illũ eruditum, ac uitæ etiã laudatæ? L A. Sic est ut dicis, sed nullus ~~est mortaliũ qui sapit omnibus horis, aut q̃ sit undiquaq; pfectus~~. Habet hoc uir ille inter multas egregias dotes næui: ~~iam olim insanit in artẽ~~, quã uocant Alcumisticã. P H I. Haud tu quidẽ næuũ narras, sed insignẽ morbũ. L A. Vtcũq; est, ille toties delusus ab hoc homi num genere, tñ dudũ mirifice passus est sibi dari uerba. P H I. Quo pacto? L A. Adijt illũ sacerdos quidam, salutauit honorifice, mox sic exorsus est: Doctißime Balbine, mirabere fortaßis, quod ignotus sic interpellẽ te, quẽ scio nunquã non sanctißimis studijs occupatißimũ. Annuit Balbinus, qui mos est illi, nã ~~uerborũ est mira parcus~~. P H I. Prudẽtiæ narras argumentũ. L A. Verũ alter prudẽtior sic pgit. Ignosces tñ huic meæ iportunitati, si cognoris causam, quur te adierim. Dic, inqt Balbinus, sed paucis, si potes. Dicã inqt ille, quanto potero cõpendio. Scis uir omniũ doctißimus, esse uaria mortaliũ fata. Ego nescio, utro in numero me ponã, felicium, an infeliciũ. Etenim si meũ fatũ altera ex parte cõtemplor, uideor mihi pulchre felix: sin ex altera, nihil me infelicius. Vrgente Balbino, ut rẽ cõferret in cõpendiũ, finiã, inqt, doctißime Balbine. Id erit mihi facilius apud uirum, cui totũ hoc negociũ sic notum est, ut nulli notius. P H I. Rhetorẽ mihi depingis, nõ Alcumistã. L A. Mox audies Alcumistam. A puero mihi, inquit, cõtigit hæc felicitas, ut artẽ omniũ maxime expetendã discrẽillam

illam inquã totius philoſophiæ medullã Alcumiſticam. Ad nomen Alcumiſtices nõnihil experrectus eſt Balbinus, geſtu duntaxat. Cæterum gemitu iußit, ut pergeret. Tum ille, ſed ò me miſerum, inquit, qui nõ inciderim in eam uiã, quã oportuit. Quũ Balbinus rogaſſet, quaſnã uias diceret: Scis, inquit, optime, quid enim te fugit Balbine, uirũ undiquaq; doctiſſimũ, duplicem eſſe huius artis uiã: alterã, quæ dicitur longatio: alterã, quæ dicitur curtatio. At mihi malo quodã fato cõtigit in lõgationẽ incidere. Balbino ſciſcitante, quod eſſet diſcrimẽ uiarũ, impudentẽ me, inquit, qui hæc apud te loquar, cui ſciã hæc omnia ſic eſſe nota, ut nulli notiora. Itaq; ſupplex huc ad te accurri, ut muſertus noſtri, digneris impartire nobis uiã illã feliciſſimã curtationis. Quo peritior es huius artis, hoc potes minore negocio cõmunicare nobis. Noli tantũ dei donũ cælare fratrẽ dolore perituũ. Ita te Ieſus Chriſtus ſemper maioribus locupletet dotibus. Quũ hic nõ faceret obteſtandi finẽ, Balbinus fateri coactus eſt, ſe prorſus ignorare, qd eſſet longatio, aut curtatio. Iubet exponat ipſe uim harũ uocũ. Tũ ille, quanquã, inquit, ſcio me loqui peritiori, tamen, qñ ita iubes, faciã. Qui totã ætatem in hac arte diuina cõtriuerunt, duabus rationibus uertunt rerũ ſpecies: altera quæ breuior eſt, ſed pluſculũ habet periculi: altera quæ longior eſt, ſed eadẽ tutior. Ego mihi uideor infelix, q hactenus ſudarim in ea uia, quæ meo ão nõ arridet, neq; quẽquã nanciſci potui, q alterã, cuius amore depereo, uellet idicare. Tandẽ deus immiſit in mentẽ, ut te adirẽ uirũ nõ minus piũ quàm doctũ. Doctrina tibi præſtat, ut facile

poßis dare qđ peto, pietas cõmouebit, ut uelis opitulari fratri, cuius ſalus tibi in manu eſt. Ne longũ faciã, quũ huiuſmodi ſermonibus ueterator ille amouiſſet à ſe ſuſpi cionẽ fuci, fidemq; feciſſet, ſibi uiã alteram eſſe perſpe ctißimã, iam pridẽ pruriebat Balbino animus. Tandem nõ temperans ſibi, ualeat, inquit, illa curtatio, cuius ego ne nomen qdẽ unquàm audiui, tantũ abeſt, ut teneã: dic mihi bona fide, longationẽ tenes exacte? Phy, inqt ille, ad unguẽ, ſed diſplicet prolixitas. Quũ Balbinus rogaſ ſet, quantũ temporis requireretur, nimium, inquit, totus penè annus, ſed interim tutißima eſt. Ne labora, inquit Balbinus, etiam ſi toto biẽnio ſit opus, modo fidas arti tuæ. ~~Vt rẽ in pauca cõferã:~~ Cõuenit iter eos, ut negociũ aggrederentur clàm in ædibus Balbini hac lege, ut ille ſuppediteret operã, Balbinus ſumptũ, lucrũ ex æquo ac bono diuideretur. Quanquã ĩpoſtor modeſtus ultro to tũ lucrũ, qđ prouenißet, Balbino deferebat, utrinq; iu ratũ eſt de ſilẽtio, quod faciũt, q̃ myſterijs initiãtur. Iã ilico numeratur pecunia, unde artifex mercaretur ollas, uitra, carbones, reliquaq; quæ ad ĩſtruẽdã officinã pti nent. Ibi noſter alcumiſta ſuauiter ĩ ſcorta, aleã, & cõ potationes decoqt eã pecuniã. PHI. Hoc nimirũ eſt uer tere rerũ ſpecies. L A. Vrgẽte Balbino ut rẽ aggrede retur: An nõ tenes, inqt, illud: Dimidiũ facti q̃ cœpit ha bet? Magnũ eſt bene præparare materiã. Tandẽ cœpit adornari fornax. Hic rurſus erat opus nouo auro, uelut illecebra uenturi auri. Siquidẽ ut piſcis nõ capitur abſq; eſca, ita aurũ alcumiſtis nõ prouenit, niſi pars auri ad miſceatur. Interea Balbinus totus erat in ſupputatio nibus

Decoxit. Decoquere eſt neq ter profundere. Inde decocto res.

Vertere rerũ ſpecies. Nam id profitentur Alcumiſtæ. Qui p fundit, in id uer tit quo fruitur.

Digitized by Google

nibus, ſubducebat enim, ſi uncia pareret qndecim, quantum eſſet lucri rediturũ ex uncijs bis mille. Tantũ enim decreuerat inſumere. Quũ hãc quoq; pecuniã decoxiſſet alcumiſta, iamq; mẽſem unũ atq; alterũ multũ operæ ſimulaſſet circa fõlles & carbones, rogãti Balbino, ecquid procederet negociũ, primum obmutuit, urgenti tandẽ reſpõdit, ſicut ſolẽt res præclaræ, quæ ſemp̃ difficiles habẽt aditus: cauſabatur erratũ in emẽdis carbonibus, quernos enim emerat, quũ abiegnis eſſet opus, aut colurnis. Ibi perierãt aurei centũ, nec eo ſegnius reditũ eſt ad aleã, data noua pecunia, mutati carbones. Iamq; maiore ſtudio res cœpta eſt, quàm antea, quẽadmodũ in bello milites, ſi q̃d ſecus accidit quàm uellẽt, uirtute ſarciũt. Quũ mẽſes iã aliquot ferbuiſſet officina, & expectaretur fœtus aureus, ac ne mica qdẽ auri eſſet ĩ uaſis, iã enim & illud oẽ decoxerat alcumiſta, inuẽta eſt alia cauſatio, nimirũ uitra quibus uſus fuerat, nõ fuiſſe tẽperata, ſicut oportuit. Etenim ut nõ ex quouis ligno Mercurius fingitur, ita nõ quibuslibet uitris cõficitur aurũ. Quo plus erat ĩpẽſum, hoc minus libebat deſiſtere. PH. Sic ſolẽt aleatores, quaſi nõ multo ſatius ſit hoc pdere quàm totum. L A. Sic eſt. Deierabat alcumiſta, nũquam ſibi ſic impoſitũ fuiſſe, nunc errore deprehẽſo, cætera fore tutiſſima, & hoc diſpẽdij magno cũ fœnore ſarturũ ſeſe. Mutatis uitris, tertia ĩſtaurata eſt officina. Admonebat alcumiſta rẽ felicius ſucceſſurã, ſi uirgini matri, quæ, ut ſcis, Paralijs colitur, mitteret aliquot aureos dono: artẽ enĩ ẽẽ ſacrã, nec abſq; fauore numinũ rẽ p̃ſpere geri. Id cõſiliũ uehemẽter placuit Balbino, homini

Digitized by Google

pio, ut qui nullū prætermitteret diē, quin perageret rē diuinā: suscepit religiosam profectionē alcumistā, nimirū in proximū oppidulū, atq; illic uotiuā pecuniā deo xit in ganeis. Reuersus domū, nunciat sibi summā esse spem, negociū ex animi sentētia successurum, adeo diuā uirginē uotis suis uisam annuere. Vbi multo iam tēpore sudatum esset, ac ne mica quidē auri nasceretur usquā, expostulāti Balbino, respōdit sibi nihil unquā tale accidisse in uita toties artē expto, nec satis posse cōiectare, quid esset in causa. Quū diu diuinatū esset, tandē illud uenit in mētē Balbino, num quo die prætermisisset audire sacrum, aut dicere preces horarias, quas uocant: nā nihil succedere his omißis. Ibi impostor, rē, inqt, acu tetigisti. Me miserū, semel atq; iterū id admissum est per obliuionē, & nuper à prolixo cōuiuio surgens, oblitus sum dicere salutationē uirginis. Tum Balbinus, nō mirū, inqt, si res tanta nō succedit. Recipit artifex se pro prætermißis sacris duobus, duodecim auditurū, & p unica salutatione decē repositurū. Quum alcumistā prodigū subinde defeciisset pecunia, nec suppeterent petēdi causæ, tandem hanc technam cōmentus est. Redijt domum admodū exanimatus, ac uoce lamentabili, perij, inqt fun-

Apud nos. Plinius li. 30. cap. 1. refert Britannos mire insanisse in Magiam usque ad ipsius ætatē. Sunt adhuc qui in alcumistica parū sobrij sunt, quanquā lex capitalis apposita est.

ditus Balbine, perij, actum est de capite meo. Obstupuit Balbinus, & tāti mali causam aucbat cognoscere. Subodorati sunt, inqt, aulici qđ egimus, nec aliud expecto, quàm ut ~~mox deducar in carcerē~~. Ad hanc uocē expalluit etiā serio Balbinus, nā scis apud nos capitale esse, si quis Alcumisticā exerceat absq; principis pmissu. Pergit ille: Nō, inquit, metuo mortem, utinā illa cōtingat,

metuo

metuo q̃ddã crudelius. Roganti quid hoc esset: Rapiar, inquit, aliquò in turrim. Illic per oẽm uitã cogar his laborare, q̃bus non libet. An ulla mors est, quæ nõ potior esse debeat, quàm talis uita? Ibi res uentilata est cõsultatione. Balbinus, quoniã callebat artẽ Rhetoricã, pulsauit oẽs flatus, si qua periculũ uitari posset: Non potes inquit, inficiari crimen? Nequaquã, ait ille. Inter regios satellites res sparsa est, & habent argumenta, quæ dilui nõ possint. Ne defendi quidẽ factũ poterat ob legẽ manifestam. Quũ multis in mediũ adductis, nihil uideretur firmi præsidij, tandẽ alcumista, cui iam opus erat præsente pecunia: Nos, inq̃t, Balbine lentis cõsilijs agimus. Atq̃ res poscit præsens remediũ. Iam arbitror adfuturos, qui me abripiant in malã rẽ. Deniq; quũ nihil occurreret Balbino, tandẽ alcumista, nec mihi q̃quàm occurrit, inq̃t, neq; quicquàm supesse uideo, nisi ut fortiter peream: nisi fortè hoc placet, q̃d' unũ supest, utile magis quàm honestũ, nisi quod durũ est telũ necessitas: Scis, inquit, hoc hominũ genus auidũ esse pecuniæ, eoq; facilius corrumpi posset, ut fileant. Quãuis durũ sit illis furciferis dare quod profundant, tamẽ ut nunc res sunt, nihil uideo melius. Idẽ uisum est Balbino, ac numerauit aureos triginta, quibus redimeret silentiũ. PHI. Mirã Balbini liberalitatẽ mihi prædicas. LA. Imò in re hone sta citius dentẽ extudisses ab eo, quàm nummũ. Sic spectum est Alcumistæ, cui nihil erat periculi, nisi quod non haberet, quod daret amicæ. PHI. Demiror Balbino in tantũ nihil esse nasi. LA. Hic duntaxat naso caret, in cæteris nasutissimus. Rursum noua pecunia in-

Digitized by Google

struitur fornax, sed præmissa ad uirginẽ matrem precaciuncula, ut cœptis faueret. Iam totus exierat annus, dũ illo nunc hoc, nunc illud causante, luditur opa & perit impensa. Interim extitit casus quidam ridiculus. PHI. Quis nam? LA. Alcumista furtiuam cõsuetudinem habebat cũ uxore cuiusdam aulici. Maritus cõcepta suspicione, cœpit hominem obseruare. Tandem quum illi nunciatum esset, sacrificum esse in cubiculo, præter expectationem redyit domũ, pulsat hostium. PHI. Quid facturus homini? LA. Quid? nihil suaue, aut occisurus erat, aut execturus. Vbi maritus instans minitaretur se ui effracturũ hostiũ, ni aperiret uxor, magnopere trepidatũ est, & circũspicitur præsentaneũ aliquod cõsilũ. Nec erat aliud, quã quod ipsa dabat res. Abiecit tunicã, ac per fenestrã angustam deiecit sese nõ absq; periculo, nec sine uulnere, ac fugit. Scis tales fabulas ilico sparsi. Itaq; permanauit & ad Balbinum. Neq; id fore nõ diuinarat artifex. PHI. Hic itaq; medius tenetur. LA. Imò felicius elapsus est hinc, quã è cubiculo. Audi technam hominis. Nihil expostulabat Balbinus, sed nubilo uultu satis indicabat se nõ ignorare qđ uulgò ferebatur. Nouerat ille Balbinũ esse uirũ piũ, in nõnullis penè diuerim superstitiosum. Et qui tales sunt, in quãuis magno peccato, facile cõdonãt supplici. Itaq; data opera iniecit mentionẽ de successu negocij, quiritans nõ perinde succedere, ut solet, aut uellet, addebat se uehemẽter mirari quid esset in causa. Ibi p occasionẽ cõmotus Balbinus, qui alioqui uidebatur destinasse silentiũ, & erat qui facile cõmoueretur: Nõ est, inquit, obscurũ, quid obstet,

peccata

peccata obstant, quo minus succedat, quod à puris pure tractari cõuenit. Ad hãc uocẽ artifex procubuit in genua, subinde tundẽs pectus, & uultu uoceq; lachrymabili: Verissimũ, inquit, dixisti Balbine, peccata, peccata inquã obstant, sed mea peccata, nõ tua: Nõ enim pudebit me turpitudinẽ meã apud te uelut apud sacerdotẽ sanctissimũ cõfiteri: uicerat me carnis infirmitas, pertraxerat me satanas in laqueos suos. Et ò me miserũ, è sacrificio factus sum adulter. Nõ tamẽ oĩno perijt hoc munus, quod misimus uirgini matri. Perierã certo exitio, ni illa succurrisset. Iã maritus effringebat fores, fenestra erat arctior, quàm ut posem elabi. In tã præsentaneo periculo uenit in mẽtẽ sanctissimæ uirginis, procidi in genua, obtestatus sum, si gratũ fuisset munus, ut opitularetur. Nec mora, repeto fenestrã, sic enim urgebat necessitas, et satis amplã reperi ad effugiũ. P H. Credidit ista Balbinus? L A. Credidit? Imò etiã ignouit, et admonuit religiose, ne se præberet ingratũ beatissimæ uirgini. Numerata est rursus pecunia, dãti fidẽ, se post hac rẽ sacrã pure tractaturũ. P H. Quis tandem finis? L A. Perlonga est fabula, sed ego paucis absoluam. Quum eiusmodi cõmentis diu lusisset hominem, neque mediocrem pecuniarum uim ab eo extorsisset, tandem uenit illò, qui nebulonem à puero nouerat. Is facile diuinans, illum idẽ agere apud Balbinũ, quod nusquam non egerat, clàm aggreditur illum, exponit qualem artificem domi suæ foueret, monet, ut quàm primũ ableget hominem, ni malit ipsum aliquãdo cõpilatis scrinijs fugere. P H I. Quid hic Balbinus? Videlicet curauit hominẽ conijciendum in carcerem.

rem. L A. In carcerem? Imò numerauit uiaticũ, obtestãs per omnia sacra, ne quod accidisset, effutiret. Et sapuit, mea quidẽ sententia, qui hoc maluerit, quàm esse fabula conuiuiorum & fori, deinde uenire ~~in periculum confiscationis~~. Nam impostori nihil erat periculi, artis tantũ tenebat, quantũ asinus quiuis, & in hoc genere fauora bilis est impostura. Quodsi furti crimen intentasses, à suspendio tutũ reddebat unctio, neque quisquam lubẽs gratis alat talem in carcere. P H I. Miserescerem me Balbini, nisi ipse gauderet deludi. L A L. Nunc mihi properãdum est in aulam, aliàs referam his etiam multo stultiora. P H I. Quum uacabit & audiam lubens, & fabulam fabula pensabo.

Hippoplanus, qui imponit in uẽdendis equis.

HIPPOPLANVS. Aulus, Phædrus.

Σεμνοπρόσωπον, est seuentatẽ uultu præferre.

DEum immortalem, ὡς σεμνοπροσώπῳ noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit? Adoriar. Quid accidit nouæ rei Phædre? P H. Quamobrem istuc interrogas Aule? A V. Quoniam è Phædro mihi uideris factus Cato, tanta est in uultu seueritas. P H A E. Nõ mirum amice, modo confessus sum peccata mea. A V. Phy. Iã desino mirari, sed dic age, bona fide cõfessus es oĩa? P H A E. Omnia quæ quidẽ in mentem ueniebãt, unico duntaxat excepto. A V. Cur unum hoc reticuisti? P H. Quia nõdum potuit mihi displicere. A V? Oportet esse peccatũ suaue. P H A E. An peccatum sit, nescio, sed tamen si uacat audies. A V L. Audiam equidem lubens, P H A E. Scis quãta sit impostura apud nostros in his, qui uẽdunt aut locant equos? A V. Plus scio quàm uellem,

Digitized by Google

lem,nõ ſemel ab illis deluſus. PHAE. Nuper incidit mihi iter,quum ſatis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex illis, quem dixiſſes eius generis minime malum, & intercedebat mihi cum homine nonnihil etiã amicitiæ. Narro mihi rẽ ſeriam eſſe,opus eße præſtrenuo equo, ſi unquam præbuiſſet ſe mihi bonum uirum,nunc præſtaret. Ille pollicetur ſeſe ſic mecũ acturum,ut ageret cum fratre ſuo chariſſimo. AV. Fortaſsis & fratri impoſiturus. PH. Inducit in ſtabulũ, iubet ut eligam ex omnibus equis quẽcunq; uellẽ. Tandem unus plus cæteris arridebat,ille probat iudiciũ meũ, deierans eum equum frequẽter à multis expetitum eſſe,ſe eũ maluiſſe ſeruare amico ſingulari,quã ignotis addicere. Cõuentũ eſt de precio,numeratur pecunia præſens,conſcẽdo. Mira alacritate geſtiebat equus in egreſſu, dixiſſes ferocũ eſſe. Nam erat obeſulus & pulchellus. Vbi iam equitaſſem ſeſquihorã,ſenſi planè laßum, ne calcaribus quidẽ impelli poße. Audieram tales ab illis ad impoſturã ali quos è ſpecie iudicares inſignes,cæterum laboris impatiẽtißimos. Ego cõtinuo mecum,captus ſum. Age, par pari referã,ubi rediero domũ. AV. Quid hic cõſili capiebas eques abſq; equo? PH. Id qd'res dabat. Deflexi in proximũ uicũ,illic clàm apud quẽdã mihi notũ depoſui equũ,et cõduxi alterũ, profectus ſum quò deſtinarã,reuerſus ſum,reddo cõductitiũ equũ, reperio meũ ſophiſtã,ut erat,obeſum & pulchre requietũ,eo uectus redeo ad impoſtorẽ,rogo ut in ſtabulo ſuo alat dies aliquot,donec repetiero. Percõtatur,quàm cõmode me geſſerit,ego uero deiero per oĩa ſacra, me nunquã in uita conſcen

Meũ ſophiſtam.i. fucatum equum.

Digitized by Google

cõscẽdisse tergũ equi felicioris, uolasse potius quàm ambulasse, nec tã longo itinere unquã sensisse lassitudinem, nec pilo factũ ob laborem macriorem. Hæc quũ illi persuasissem esse uera, tacitus secũ cogitabat, equum illum aliũ esse quàm hactenus suspicatus esset. Itaq; priusquãm abirẽ, rogabat nũ mihi uenalis esset equus, primo negabã, quod, si incideret iter denuo, nõ facile foret nanciscisimilẽ. Attamen nihil esse mihi tam charũ, quod non esset uenale precio largo, etiam si quis meipsum, inquam, cuperet emptum. A V. Næ tu pulchre Cretẽsem agebas cũ Cretẽsi. PHE. Quid multis? Non dimittit me, nisi pro ~~nũciata equi indicatura. Indicaui nõ paulo~~ pluris quàm emeram. Digreßus ab homine, ~~mox saborno, qui mihi~~ partem agat huius fabulæ, pulchre instructum atque edoctum. Is ingressus domũ inclamat locatorẽ, ait sibi opus esse insigni equo, et laboris egregie patienti. Alter ostẽdit multos, & peßimũ quenque maxime prædicat, solũ illũ quẽ mihi uẽdiderat, quoniã existimabat uere talẽ qualẽ prædicaueram, non laudat. At alter ilico rogat, num & ille uenalis esset, nã descripserã illi formam equi, & locũ indicaram. Locator primũ obticescere, atque alios ambitiose prædicare. Quũ iste cæteris utcunque probatis semper ageret de uno illo, tandẽ locator apud se, plane fefellit me iudiciũ de illo equo, siquidẽ hic peregrinus statim agnouit hũc inter oẽs. Quũ instaret ille, tãdẽ hic, uenalis est, inquit, sed precio fortasse deterreberis. Non est, inquit ille, magnũ preciũ, si rei dignitas respõdeat. Indica. Indicauit aliquãto pluris, quàm indicaram ipsi, captãs & hoc lucri. Tandẽ cõuenit de precio, datur ar-

ra satis

ra ſatis magna, nẽpe regalis aureus, ne qua ſuſpicio incideret ſimulatæ emptionis. Iubet equo dari pabulum, ſe mox ait rediturũ & abducturũ, dat etiã ſtabulario drachmã. Ego ſimulatque cognoui pactionẽ eſſe firmã ſic ut reſcindi nõ poſſet, rurſus ocreis & calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adeſt ille, rogat quid uelim, Ilico, inquam, adornetur equus meus. Nam eueſtigio proficiſcẽdum eſt ob rẽ maxime ſeriam. Atqui modo, inquit, mãdabas ut aliquot dies alerem equũ tuũ. Verũ, inquam, ſed præter expectationem obiectum eſt negociũ, idq; regium, quod nullã patitur dilationẽ. Hic ille, eliges ex omnibus quẽ uoles, tuũ habere nõ potes. Rogo quamobrẽ. Quoniam uenditus eſt, inquit. Ibi ego ſimulata magna perturbatione, prohibeãt, inquã, ſuperi quod dicis. Hoc obiecto itinere, non uenderẽ eum equũ, etiã ſi quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditũ. Tandem incaluit & ille, quid opus, inquit, his iurgijs? Indicaſti equũ, ego uendidi, ſi numero preciũ, nihil habes, quod mecum agas, ſunt in hac urbe leges, ad exhibendũ equum me nõ potes compellere. Quũ diu clamaſſem, aut equũ exhiberet, aut emptorem, tandẽ iratus numerat preciũ. Emerã quindecim aureis, æſtimarã uiginti ſex. Ille æſtimarat triginta duobus. Cogitabat apud ſe, præſtat hoc lucri facere, quàm equũ reddere. Abeo dolẽti ſimilis, ac uix placatus etiã data pecunia. Ille rogat ut boni cõſulã, ſe alijs in rebus pẽſaturum hoc incõmodi. Sic impoſitũ eſt impoſtori. Habet equum nullius precij. Expectat ut qui arrã dedit ueniat numeratum pecuniã. At nemo uenit, nec unquam uẽturus eſt.

AV.

Digitized by Google

AV. Interim nunquã tecũ expostulauit? PH. Qua frõte, aut quo iure id faceret? Cõuenit quidem semel atq; iterum, questus est de fide emptoris. Verũ ego ultro expostulaui cũ homine, dicẽs, illum eo malo dignũ, qui præpropera uẽditione tali equo me spoliarit. Hoc est crimẽ tam bene collocatũ mea sentẽtia, ut non possim inducere animum confiteri. AV. Ego mihi statuam poscerem, si quid tale designassem, tantũ abest, ut cõfessurus sim. PH. An ex animo loquaris nescio, mihi tamẽ addis animum, quo magis lubeat talibus facere fucum.

Statuã poscertm. Honoris gratia statuæ ponebãtur bene meritis de republica.

Irides, uelut Iri filij, quẽ mẽdicũ inducit Vlysses. Misoponos. osor laborum.

ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ.

IRIDES, MISOPONVS.

QVAM ego huc nouã auẽ uideo aduolare? Agnosco faciẽ, sed uestis non conuenit. Aut ego prorsus hallucinor, aut hic est Misoponus. Audẽdũ est. Cõpellabo hominẽ, quãlibet pãnosus. Salue Misopone. MI. Iri dẽ uideo. IR. Salue Misopone. MI. Tace inquã. IRI. Quid, an saluere nõ uis? MI. Non isto quidem nomine. IR. Quid accidit? An non es idem, qui fueras? An cũ ueste mutatur & nomen? MI. Nõ, sed uetus receptum est. IR. Quis tũ eras? M. Apitius. IRI. Ne te pudeat ueteris sodalis, si quid melioris obtigit fortunæ, nõ diu est, qd' eras ordinis nostri. MI. Cõcede huc sodes, et audies rẽ omnem. Non pudet ordinis uestri, sed pudet primi ordinis. IR. Quẽ ordinem narras. Franciscanorum? MI. Nequaquã ὁ bone sed decoctorũ. IR. Næ tu istius ordinis sodales habes quàm plurimos. MI. Erã re lauta, pdegi strenue, ubi res defecit, nullus agnoscebat Apitium, profugi pudore, uerti me ad uestrũ collegiũ, hoc ma

lui

lui quàm fodere. I R. Sapuisti. Sed unde subito nouus nitor corporis? Nã de ueste mutata nõ perinde miror. M. Quãobrẽ? I R. Quia dea Lauerna multos subito ditat. M I. An suspicaris me furto parasse rẽ? I R. Hoc fortasis ignauius. Rapina igitur. M I. Non per uestram Peniam, neque furto, neque rapina, sed de nitore corporis prius expediã, quod tibi uidetur mirabilius. I R. Nam apud nos eras totus ulcerosus. M I. Nimirum sum usus amicissimo medico. I R. Quonam? M I. Non alio quàm meipso, nisi si quẽ arbitraris mihi meipso amiciorẽ. I R. Atqui nesciebã te callere rem medicam antehac. M I S. Totum illũ ornatum ipse pigmentis affixeram, ture, sulphure, resina, uisco, linteis, cruore. Vbi uisum est, quod affixerã, detraxi. I R. O impostorem, nihil te uidebatur miserabilius. Poteras in tragœdia sustinere personam Iob. M I. Sic tũ ferebat egestas, quãquã fortuna nõnunquã & cutem mutare solet. I R. Dic igitur de fortuna. Repertus est thesaurus aliquis? M I. Non, sed repertus est quæstus uestro paulo cõmodior. I R. Qui potuisti facere quæstũ, quum nõ suppeteret fors? M I. Artẽ quæuis terra alit. I R. Intelligo. Dicis artem incidendi loculos. M I. Bona uerba. Dico artẽ Alcumisticã. I R. Vix quin decim dies sunt, q̃d' nos reliquisti, & artẽ assequutus es, quã alij uix multis annis perdiscunt? M I. Naĉtus sum uiã compẽdiariã. I R. Quam obsecro? M I. Ars uestra cõflauerat mihi quatuor fermè aureos. Bona quadã fortuna incidi in ueterẽ congerronẽ, qui nihilo felicius rem administrarat q̃ ego. Cõpotabamus, cœpit (ut fit) narrare suas fortunas, paciscor hac lege, ut ille biberet immunis,

Lauerna, dea furum.

Penia, pauperitas, dea apud Aristophanem.

Digitized by Google

nis, mihi cõmunicaret artẽ. Communicauit bona fide, ea nunc uectigal est mihi. I R. Non licet discere? M I. Tibi uel gratis impartiã ob pristinũ sodalitium. Scis nusquã non inueniri plurimos huius artis auidissimos. I R. Audiui, & credo. M I. In horum familiaritatem quacũque occasione memet insinuo, iacto artem. Vbi sensero larũ hiantem, escam paro. I R. Quo pacto? M I. Vltro eos moneo, ne temere credant eius artis professoribus. Nã plerosq; esse impostores, id agẽtes præstigijs suis, ut ex hauriãt loculos incautorum. I R. Istuc prooemij parum accõmodum tuo negocio. M I. Imò illud etiam addo, ne quid mihi ipsi credãt, ni rem certam oculis ac manibus deprehenderint. I R. Miram artis fiduciã mihi narras. M I. Iubeo illos adesse, dũ peragitur metamorphosis, iubeo attentos esse, quoq; minus dubitent, iubeo ut ipsi manibus rem omnẽ peragant, me procul spectãte, nec digitum admouẽte, liquefactam materiã iubeo ut purgent ipsi, aut aurifici purgandã deferant, prædico quantũ argenti auriue sit eliquandũ, deniq; quod eliquatũ erit, iubeo ut pluribus aurificibus deferant ad Lydiũ lapidẽ explorandum. Reperiunt pondus prædictũ, reperiunt purgatissimũ aurum aut argentũ, nihil enim refert, nisi qd minore periculo mihi quidem res tentatur in argento. I R. Proinde nihil habet ars tua fuci. M I S. Imò merus fucus est. I R. Nondum uideo præstigium. M I S. Faxo ut uideas. Primũ pacisor de mercede, eã nolo mihi numerari, nisi prius ædito artis experimento. Trado illis puluisculũ, quasi huius ui cõficiatur totũ negociũ. Rationẽ cõficiẽdi puluueris nõ cõmunico, nisi magna mercede

Larũ hiãtem. Vide prouerb. Εσκα δ' ἔλεσας qua capiũtur pisces & aues.

Lydius lapis, coticula qua explorant aurum.

Digitized by Google

cæde redemerint. Exigo iusiurandum, ne proferant arcanum artis intra sex menses cuiquã mortaliũ aut immortalium. IR. *Nondũ audio fucũ.* MI. *Fucus omnis est in uno carbone in hoc parato. Excauo carbonẽ, in cũ insero liquefactũ argentum, quantũ prædico reddendũ, post infusum puluerẽ sic instruo uas, ut non solũ inferne & à lateribus cingatur prunis, uerum etiam superne, persuadeo hoc esse artis. Inter carbones, qui superne imponuntur, unũ admisceo, qui tegit argentũ aut aurũ. Id ui caloris liquefactum defluit in reliquam materiã, quæ liquescit, puta stannum aut æs, repurgatione facta inuenitur quod admixtũ est.* IRI. *Ars expedita, sed quomodo fallis, si alter rẽ agat suis manibus?* MI. *Quũ is me præscribente perfecit omnia, prius quàm moueatur uas alcumisticum, accedo tandẽ & circũspicio, ne quid forte sit omißum. Aio mihi uideri superne deesse unũ atq; alterum carbonẽ, clàm appono meum, fingo me eũ tollere ex aceruo reliquorũ, at illic ante sic positũ, ut nulli possit agnosci, & illũ fallere. Tollo.* IRI. *Cæterũ quũ illis absq; te periculum facientibus nõ succedit, quid adfers?* MI. *Mihi nihil est periculi, iam numerata pecunia. Aliquid cõminiscor, aut ollam fuiße insynceram, aut carbones uitiosos, aut ignem parum scite temperatũ. Deniq; pars est artis, quam profiteor, nõ diu hærere in eodẽ loco.* IRI. *An tantus est prouẽtus istius artis, ut te poßit alere?* MI. *Et quidẽ splendide, post hac tu quoq;, si sapis, relinques istam miseriã, & nostro accedes ordini.* IRI. *Imò citius illud agã, ut te reuocẽ in nostrum ordinem.* MIS. *Vt uolens repetam, quod semel effugi, ac de-*

ſeram bonũ, quod inueni? I R I. Habet hoc noſtra profeßio, dulceßit aßuetudine. Proinde quũ multi ſint, qui deficiant ab inſtituto diui Franciſci, aut Benedicti, quĕ unquam uidiſti, qui diutius uerſatus in ordine noſtro defecerit? Nam tam paucis menſibus uix guſtare poteras, quid eſſet mĕdicitas. M I S. Is guſtus me docuit eſſe rem omnium miſerrimam. I R I. Quur igitur nemo deficit? M I. Fortaſſe quia natura miſeri ſunt. I R I. Ego hanc miſeriam ne cum regum quidem fortuna commutarim. Nihil enim regno ſimilius, quàm mĕdicitas. M I. Quid ego audio? nihil niui ſimilius quàm cărbo. I R I. Dic mihi, qua re potißimũ beati ſunt reges? MI. Quia faciunt quod animo collubitũ eſt. I R. Iſta libertas, qua nihil ſuauius, nemini regũ magis adeſt quàm nobis. Nec dubito, quin multi reges ſint, qui nobis inuideant: Siue bellum eſt, ſiue pax, nos tutò uiuimus, ~~non deſcribimur ad militiam, non uocamur ad munia publica, non cenſemur~~, quum populus expilatur exactionibus, nullus inquirit in uitam noſtram, ſi quid admißum eſt, etiã atrocius, quis dignetur in ius uocare mendicũ? Etiam ſi pulſanus hominem, pudet pugnare cum mendico. Regibus nec in pace, nec in bello licet ſuauiter agere, & quo maiores ſunt, hoc plures metuunt. Nos ueluti deo ſacros etiam religione quadam metuit uulgus offendere. MI. Sed interim ſordeſcitis in pannis & caſulis. I R. Quid iſta faciunt ad ueram felicitatem? Extra hominem ſunt, quæ narras. His pannis debemus noſtram felicitatem. M I S. At uereor, ne uobis breui peritura ſit felicitatis iſtius bona pars. I R I. Qui ſic? M I S. Quia iam hoc muſſant

Cenſemur, unde & cenſus dicitur, quum numeratis ſingulis ac facultatibus æſtimatis iudicitur exactio.

mussant ciuitates, ne mendicis liberum sit quolibet euagari, sed unaquæque ciuitas suos alat mendicos, & in his qui ualent, adigantur ad laborem. I R I. *Quur hoc moliuntur?* M I. *Quia comperiunt ingentia facinora sub mendicitatis prætextu perpetrari. Deinde non mini man perniciem ex uestro ordine nasci.* I R. *Istiusmodi fabulas frequenter audiui. Id fiet ad Calendas Græcas.* M I S. *Eortasse citius quàm uelles.*

Polymythus, fabulosus.
Gelasinus, ridiculus.
Eutrapelus, facetus.
Asteus, urbanus.
Philythlus, amans nugarũ.
Philogelos, amans risum.
Euglottos, bene linguax.
Lerochares, q gaudet nugis.
Adolesches, nugator.

CONVIVIVM FABVLOSVM. POLYMYTHVS, GELASINVS, Eutrapelus, Asteus, Philythlus, Philogelos, Euglottus, Lerochares, Adolesches.

POLYMYTHVS.

VT *non decet ciuitatem bene institutam esse sine legibus ac principe, ita nec conuiuium oportet* ἄναρχον *esse καὶ* ἄνομον. GELASIN. *Istuc uero perplacet, ut unus totius populi nomine respondeam.* POLY M. *Heus puer, adfer huc talos, horum suffragijs decernetur regnum, cuicunq; fauerit Iupiter. Euge, Eutrapelo fauit Iupiter. Non fuere sortes cæcæ, non poterat magis idoneus eligi, etiam si per singulas tribus uiritim collecta fuissent puncta. Vulgo iactatur prouerbium, non tam uanum quàm parum Latinum: Nouus rex nouus lex,* νομοθέτει γοῦν ὦ βασιλεῦ. EVT. *Quod felix faustumq; sit huic conuiuio. Primũ edico, ne quis hic proferto præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachma mulctator, ea pecunia in uinũ*

Νομοθέτει &c. Id est, Statue leges o rex.

Quod felix. Ab hac solenni precatione solent olim auspicari, qui rem seriam agebant apud populum.

Digitized by Google

τὸ πιθανὸν ideſt, uerisimile & πρέπον, id eſt, decorũ.

inſumitor, atq; in legitimis fabulis etiam ex tempore cõficta habentor, modo ſeruetur τὸ πιθανὸν ἢ τὸ πρέπον. Si nulli defuerit fabula, duo, quorum alter lepidiſſimam, alter frigidiſſimam fabulam dixerit, uini precium pendunto, conuiuator à uini ſumptu immunis eſto, cibo rum ſumptum unus ſuppeditato. Huius rei ſi quid inci derit controuerſiæ, Gelaſinus arbiter ac iudex eſto. Hæc ſi uos ſciueritis rata ſunto: qui legi parere nolue= rit, abito, ſic tamen, ut poſtridie ad compotationem re= dire ius faſq; ſit. GEL. *Legem à rege latam, noſtris ſuffragijs ratam eſſe uolumus. Sed unde proficiſcetur fa bularum circulus?* EVT. *Vnde, niſi à conuiuatore?* AS. *Licét ne rex dicere tria uerba?* EVT. *An tu credis ne= faſtum eſſe conuiuium?* AS. *Iureconſulti negant legem eſſe, quæ non ſit æqua.* EVT. *Aſſentior.* AS. *At tua lex æquat optimam fabulam peßimæ.* EV. *Vbi uoluptas quæ= ritur, ibi non minus laudis promeretur, qui peßime di= xit, quàm qui optime, eo quod non minus delectet. Ve= lut inter cantores nemo uoluptati eſt, niſi qui aut inſi= gniter bene cecinerit, aut egregie male. Nonne plures ridẽt audito coccyce, quàm audita luſcinia? Hic media= critas laudem non habet.* AST. *At quur plectuntur, qui laudem auferũt?* EVT. *Ne nimia felicitas prouocet illis Nemeſin aliquam, ſi ſimul & laudem auferrent & im= munitatem.* AS. *Per Bromium, Minos ipſe nunquam tu lit legem æquiorem.* PHI. *Nullam feres legem de mo= do bibendi?* EVT. *Diſpecta re, ſequar exemplum Age= ſilai Lacedæmoniorum regis.* PHI. *Quid is fecit?* EV. *Is quum tempore quodam ſympoſiarchus talorum ar=*

Tria uerba, dixit, pro paucis. Quod alter ludẽs torquet ad dies nefaſtos, in quibus iuſticiũ erat, nec licebat prætori dicere tria uerba, do, dico, addico. Sic Ouid. Ille nefaſtus erit, p quem tria uerba ſilentur.

Sympoſiarchus, princeps conuiuij.

bitrio

Digitized by Google

bitrio delectus esset, rogante architriclino, quantũ cuiq; uini iuberet apponi: Si largior, inquit, uini copia parata est, dato cuique quantum popoſcerit: ſi malignior, omnibus ex æquo diſtribuito. PHI. Quid ſibi uoluit Lacon ille, cum hæc diceret? EVT. Hoc agebat, ut neque temulentum, neque rurſum querulum eſſet conuiuium. PHI. Qui ſic? EVT. Quia ſunt, qui gaudent largius bibere, ſunt qui gaudent parcius, reperiuntur & abſtemij, qualis dicitur fuiſſe Romulus. Itaq; ſi nulli datur uinum, niſi poſcenti, primum nemo compellitur ad bibendum, & tamen nihil deſiderant, quibus grata eſt largior potatio. Ita fit, ut nemo triſtis ſit in cõuiuio. Rurſus, ſi parcior copia uini, diſtribuitur æquis portionibus in ſingulos, ſatis habent qui bibunt moderatius, neque quiſquam in æqualitate poteſt obmurmurare, quando qui largius erat hauſturus, æquo animo componit ſeſe ad temperantiam. Hoc exemplum ſi placet, utar. Volumus enim hoc conuiuium fabuloſum eſſe, non uinoſum. PHI. Quid igitur bibebat Romulus? EVT. Idem quod bibunt canes. PHI. An non iſtud indignũ rege? EVT. Nihilo magis quàm quod reges ſpirant aëre cum canibus communi, niſi quod illud intereſt, rex non bibit eãdem aquam, quam biberet canis, ſed aërem quem efflauit rex, haurit canis: & uiciſſim quem efflauit canis, haurit rex. Plus gloriæ tuliſſet Alexander ille magnus, ſi cum canibus bibiſſet. Nihil enim peius regi, qui tot hominũ milibus uigilat, quàm uinolentia. Cæterum Romulum abſtemium fuiſſe declarat apophthegma non infeſtiuiter ab illo dictum. Etenim quum quidam uidens illum

Architriclino. q curat cibos apponẽdos ac potum. Olim conuiuium tres ſpõdas habebat.

Quod bibũt canes. Canis natura abhorret a uino.

abſtinere, à uino, dixiſſet, uinum uile futurum, ſi omnes biberent, quemadmodũ ille: imò, inquit, tum arbitror ſore charißimum, ſi biberẽt omnes uinũ, quẽadmodũ ego. Bibo enim quantũ libet. GEL. Vtinã hic adeſſet noſter Ioannes Botzemus Canonicus Conſtantienſis, qui nobis Romulum quendã referret, nam & is abſtemius nõ minus eſt quã dicitur, alioqui comis ac feſtiuus conuiua. POL. Age, ſi ſimul poteſtis, non dicam ſorbere & flare, quod Plautus ait eße difficile, ſed edere & audire, quod eſt perfacile, bonis auibus auſpicabor fabulãdi munus. Si parũ erit lepida fabula, ſcitote Batauam eße. Opinor aliquot ueſtrum auditũ Macci nomen. GE. Nõ ita diu eſt quod perijt. PO. Is cum uenißet in ciuitatẽ quæ dicitur Leidis, ac uellet nouus hoſpes innoteſcere ioco quopiam, nam is erat homini mos, ingreßus eſt officinã calcearij, ſalutat. Ille cupiens extrudere merces ſuas, rogat nunquid uellet. Macco conijciente oculos in ocreas ibi penſiles, rogat ſutor num uellet ocreas. Annuente Macco, quærit aptas tibijs illius, inuentas alacriter protulit, & ut ſolent, inducit illi. Vbi iam Maccus eßet elegãter ocreatus, quàm belle, inquit, cõgrueret his ocreis par calceorum duplicatis ſoleis. Rogatus an & calceos uellet: annuit. Reperti ſunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacite gaudens, ſuccinebat illi laudanti, ſperans precium æquius, poſteaquam emptori tantopere placeret merx. Et iam erat nonnulla cõtracta familiaritas. Hic Maccus: Dic mihi, inquit, bona fide, nunquam ne uſu uenit tibi, ut quẽ ſic ocreis & calceis ad curſum armaſſes, quemadmodũ

nunc

nunc armasti me, abierit non numerato precio? Nunquam, ait ille. Atqui si fortè, inquit, ueniat usu, quid tum faceres? Consequerer, inquit calcearius, fugientem. Tum Maccus: Seriòne ista dicis, an ioco? Planè serio, inquit alter, loquor, & serio facerem. Experiar, ait Maccus. En pro calceis præcurro, tu cursu sequere. Simulq; cum dicto coniecit se in pedes. Calcearius uestigio cõ sequutus est, quantum poterat clamitans: tenete furem, tenete furem. Ad hanc uocem quum ciues undiq; prosiliissent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne quis manum iniiceret, ridens ac uultu placido: Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum, certamen est de Cupa ceruisiæ. Itaq; iam omnes præbere se certaminis spectatores. Suspicabantur autẽ calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hac occasione anteuerteret. Tandẽ calcearius cursu uictus, sudans & anhelans domum redijt. Maccus tulit brabeum. GEL. Maccus iste effugit quidem calceariũ, at non effugit furem. POL. Quã ob rem? GE. Quia furẽ ferebat secum. PO. Forte tum non erat ad manũ pecunia, quã postea resoluit. GE. Verum erat actio furti. PO. Ea quidẽ post intentata est, sed iam magistratibus aliquot innotuerat Maccus. GE. Quid attulit Maccus? PO. Quid attulit rogas, in causa tam uincibili? Magis periclitatus est actor quàm reus. GE. Qui sic? PO. Quia grauabat illũ actione calumniæ, & intendebat legẽ Rhemiam, quæ dictat, ut qui crimen intẽderit, quod probare nõ posit, pœnã ferat, quã laturus erat reus, si conuictus fuisset. Negabat se cõtrectasse rẽ alienam inuito domino, sed ultro deferẽte, nec ullã pretij

Legẽ Rhemiã. Quæ ad pœnã talionis uocat calumniatorẽ.

Digitized by Google

mentionem interceßiſſe. Se prouocaſſe calcearių ad certamen curſus, illum accepiſſe conditionem, nec habere quod queratur, quum eſſet curſu ſuperatus. GEL. Hæc actio non multum abeſt ab umbra aſini. Quid tandem? POL. Vbi ſatis riſum eſt, quidam è iudicibus uocauit Maccum ad cœnam, & numerauit calcearto pretium. Simile quiddam accidit Dauentriæ me puero. Erat tempus illud, quo regnant piſcatores, frigent lanij. Quidã adſtabat ad feneſtram fructuariæ, ſiue Græce mauultis, oporapolidis, fœminæ uehementer obeſæ, oculis intentis in ea quæ propoſita uenum erant. Illa ex more inuitauit, ſi quid uellet: & quum uideret hominem intentum ficis: Vis, ait, ficos? ſunt perquàm elegantes. Quum ille annuißet, rogat quot libras uellet: Vis, inquit, quinq; libras? Annuenti, tantum ficorum effudit in gremium. Dũ illa reponit lances, ille ſe ſubducit, nõ curſu, ſed placide. Vbi prodißet acceptura pecuniã, uidit emptorẽ abire, inſequitur maiore uoce quàm curſu. Ille diſſimulãs pergit quò cœpit ire: tandem multis ad fœminæ uocem concurrentibus, reſtitit. Ibi in populi corona agitur cauſa. Riſus oboritur. Emptor negabat ſe emiße, ſed quod ultrò delatum fuiſſet, accepiſſe. Si uellet experiri apud iudices, ſe compariturum. GEL. Age narrabo fabulã tuæ non admodum diſſimilem, fortaſſe nec inferiorem, niſi quod hæc non habet autorem perinde celebrem atq; eſt Maccus. Pithagoras totum mercatum diuidebat in tria hominum genera, quorum alij prodißent ut uenderent, alij emerent, hoc utrunq; genus aiebat ſollicitum eſſe, proinde nec felix: alios non ob aliud uenire in fo-

rum

Vmbra aſini. Vide Chiliad.

Frigent lanij. Circũitione notauit quadrageſimam.

Fructuaria quæ uẽdit fructus arborum.

Digitized by Google

rum, quàm ut ſpectent quid illic proferatur, aut quid agatur. Hos ſolos eſſe felices, quod uacui curis, gratuita uoluptate fruerentur. Atq; ad hunc modum dicebat philoſophum uerſari in hoc mundo, quẽadmodum illi uerſarentur in mercatu. Verum in noſtris emporijs quarum hominum genus obambulare ſolet, qui nec emunt, nec uendunt, nec ocioſi contemplantur, ſed obſeruãt ſollicite, ſi quid poſſint inuolare. Atq; in hoc genere reperiuntur quidam mire dextri, dicas eſſe Mercurio fauente natos. Conuiuator dedit fabulam cum coronide, ego dabo cum proœmio. Nunc accipite quod nuper accidit Antuuerpiæ. Sacrificus quidam receperat illic mediocrẽ ſummam pecuniæ, ſed argenteæ, id impoſtor quidam animaduerterat, adijt ſacrificum, qui geſtabat in zona crumenam nummis turgidam, ſalutat ciuiliter, narrat ſibi datum negocium à ſuis, ut uici ſui parocho mercaretur nouum pallium ſacrũ, quæ ſumma ueſtis eſt ſacerdoti rem diuinam peragenti. Rogat hac in re cõmodaret ſibi tantillum operæ, ut ſecum iret ad eos, qui uendunt huiuſmodi pallia, quo uidelicet ex modo corporis ipſius ſumeret maius aut minus, nam ſibi uideri ſtaturã ipſius, cum parochi magnitudine uehementer cõgruere. Hoc officium quũ leue uideretur, facile pollicitus eſt ſacrificus. Adeũt ædes cuiuſdam, prolatum eſt pallium, ſacrificus, induit, uenditor affirmat mire cõgruere: impoſtor quum nunc à fronte, nunc à tergo cõtemplatus eſſet ſacrificũ, ſatis probauit palliũ, ſed cauſatus eſt à fronte breuius quàm par eſſet. Ibi uenditor, ne non procederet contractus, negat id eſſe pallij uitium, ſed crumenam turgidam effi-

Digitized by Google

cere, ut ea parte offenderet breuitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam, denuo contemplantur. Ibi impostor auerso sacrifico crumenam arripit, ac semet in pedes cõijcit. Sacerdos cursu insequitur, ut erat pallia tus, & sacrificum uenditor. Sacrificus clamat, tenete fu rem: uenditor clamat, tenete sacrificum: impostor cla mat, cohibete sacrificũ furentem: & creditum est, quum uiderent illum sic ornatũ in publico currere. Itaq; dum alter alteri in mora est, impostor effugit. E V. Dignus qui non simplici suspẽdio pereat, tantus artifex. G E L. Nisi iam pendet. E V. Vtinam non solus, sed unà cum illo, qui talibus portentis fauent in perniciem Reipub. G E L. Non fauent gratis. Catena est, quæ demissa in terras pertingit ad Iouem. E V. Ad fabulas redeũdum. A S T. Ad te redit ordo, si fas est regem in ordinẽ co gere. E V T. Non cogar, imò uolens ueniam in ordi nem, alioqui tyrannus essem, non rex, si leges quas alijs præscribo, recusem. A S. Veruntamen aiunt, principem esse supra leges. E V. Istuc non omnino falso dictũ est, si principem accipias summum illum principem, quem tum uocabant Cæsarem. Deinde si sic accipias superio rem legibus, quod alij coacti utcunq; seruant, illũ suapte sponte multo cumulatius præstare. Quod enim animus est corpori, hoc est bonus princeps Reip. Quid opus erat addere bonus, quãdo malus princeps non est prin ceps, quemadmodũ spiritus impurus, qui inuasit corpus hominis, nõ est animus. Sed ad fabulã, & arbitror cõue nire, ut rex regiã fabulam adferam. Lodouicus Galliarũ rex, eius nominis undecimus, quum rebus domi turbatis, peregrinaretur

Catena est. Alludit ad catenã argenteam Homeri. Videtur subindicare, q ex talibus impostoribus aliquid lucri redeat ad præfectos, & hinc ad principes.

Ordo, id est uices. Cogere in ordinem est facere cæteris æqualem.

Quod principi placuit, p principis geniũ, ad principis statuã, hæc de Cæsare intelligebãtur. Imperatoris nomen militare, regis nomen erat Romanis inuisum, principis nomẽ erat amabilius.

Digitized by Google

peregrinaretur apud Burgundiones, occasione uenationis nactus est familiaritatē cum Conone quodā homine rustico, sed animi simplicis ac synceri. Nam hoc genus hominibus delectātur monarchæ. Ad huius ædes frequēter diuerterat rex ex uenatu, & ut plebeis rebus nonnunquam delectātur magni principes, apud eum magna cum uoluptate uescebatur rapis. Mox ubi Lodouicus restitutus, iam rerum potiretur apud Gallos, submonuit Cononem uxor, ut regē ueteris hospitij cōmonefaceret, adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiuersatus est Conon, se lusurum operā, principes enim nō meminisse talium officiorū. Sed uicit uxor, deligit Conon rapas aliquot insignes, accingitur itineri. Verum ipse per uiam captus illecebra cibi, paulatim deuorauit omnes, una duntaxat excepta insigniter magna. Vbi Cono prorepsisset in aulam, quā rex erat iturus, statim agnitus est à rege, & accersitus. Ille magna cum alacritate detulit munus, Rex maiore cum alacritate accepit, mādans cuidam è proximis, ut diligēter reponeretur inter ea, quæ haberet charissima. Cononē iubet secū prandere, à prādio egit Cononi gratias, & cupiēti repetere rus suū, iussit pro rapa numerare mille coronatos aureos. Huius rei fama quum, ut fit, per omne regis famulitium esset peruagata, quidā ex aulicis dono dedit regi equū nō inelegantē. Rex intelligēs illū prouocatū benignitate, quā præstiterat Cononi captari prædā, uultu maiorē in modū alacri accepit munus, & cōuocatis primoribus cōsultare cœpit, quo munere pensaret equū tam bellū tamq; precio sum. Interim qui donarat equum

spes

ſpes opimas animo concipiebat, ſic cogitans: ſi ſic perſauit rapam donatã à ruſtico, quanto munificẽtius perſaturus eſt equum talem oblatum ab aulico? Quum regi ueluti de re magna conſultanti alius aliud reſponderet, diúq; uana ſpe lactatus eſſet captator, tandẽ rex: Venit, inquit, in mentem, quod illi donem, & accerſito ex proceribus quopiã, dicit in aurem, ut adferat id quod reperiret in cubiculo (ſimulq; locum deſignat) ſerico diligẽter obuolutũ. Adfertur rapa, eam ut erat obuoluta, rex ſua manu donat aulico, addens ſibi uideri bene penſatũ equum cimelio, quod ſibi cõſtitiſſet mille coronatis. Digreſſus aulicus dum tollit linteũ, pro theſauro reperit, non carbones, quod aiunt, ſed rapam iam ſubaridam. Ita captator ille captus, riſui fuit omnibus. AST. Iam ſi permittis rex, ut plebeius loquar regalia, referam quod ex tua fabula uenit in mentẽ de eodẽ Lodouico. Nam ut anſa anſam, ita fabula trahit fabulam. Quidam famulus, quum uidiſſet pediculum repentem in ueſte regia, flexis genibus ac ſublata manu ſignificat ſe neſcio quid officij præſtare uelle. Lodouico præbẽte ſe, ſuſtulit pediculum, & clàm abiecit. Rogante rege quid eſſet, puduit fateri. Quum inſtaret rex, fatus eſt fuiſſe pediculum. Lætum, inquit, omẽ eſt, declarat enim me eſſe hominẽ: quod hoc genus uermiculorum peculiariter infeſtet hominẽ, præſertim in adoleſcentia. Iuſſitq; pro officio numerari coronatos quadraginta. Poſt dies aliquammultos alter quidam, qui uiderat illi feliciter ceſſiſſe tam humile officium, nec animaduertẽs, plurimũ intereſſe, ex animo faceias quid, an arte, ſimili geſtu aggreſſus eſt regẽ, ac rurſus

Cimelio, κειμήλιον, Græcis eſt prætioſum aliquid, quod ſeruandi cauſa ſeponit, apud Homerũ. Vulgo dicimus clenodia.

Digitized by Google

ſus illo ſe præbente, ſimulabat ſe tollere quiddam è ueſte regia, quod mox abijceret. Quum urgeret rex tergiuerſantem, ut diceret, quid eſſet, mire ſimulato pudore, tandem reſpondit, eſſe pulicem. Rex intellecto fuco, quid, inquit, an tu me facies canem? Iußit tolli hominẽ, ac pro captatis quadraginta coronatis, infligi quadraginta plagas. PHI. Non tutum eſt, ut audio, cum regibus facetijs ludere. Quẽadmodum enim leones ſe nonnunquam placide præbent fricanti, ijdem ubi lubitũ eſt, leones ſunt, & iacet colluſor: itidem fauent principes. Sed adferam tuæ fabulæ fabulam non diſſimilem, ne recedamus interim à Lodouico, cui pro delectamento erat, coruos hiantes fallere. Dono acceperat alicunde decem milia coronatorũ (quoties autẽ principibus obtigit noua pecunia, uenantur omnes officiarij, & captant aliquã prædæ partẽ: id non fugiebat Lodouicum.) Quum igitur ea pecunia exprompta eſſet in menſa, quo magis iritaret ſpem omnium, ſic loquutus eſt circumſtantibus: Quid? an non uideor rex uobis opulentus? ubi collocabimus tantam pecuniæ uim? Donaticia eſt, donari uicißim cõuenit. Vbi nunc ſunt amici, quibus pro ſuis in me officijs debeo? Adſint nunc, priuſquàm effluat hic theſaurus. Ad hanc uocem accurrêre permulti, nemo non ſibi ſperabat aliquid. Rex quum uidiſſet aliquẽ maxime inhiantem, & iam oculis deuorantẽ pecuniam, ad eum conuerſus: Amice, inquit, quid tu narras? Ille cõmemorabat ſe diu aluiſſe falcones regios, ſumma fide, nec ſine grauibus impendijs: alius aliud adferebat, ſuum quiſq; officiũ uerbis quantũ poterat exaggerabat, idq; nõ ſine mẽdacijs.

Canem. Nam hoc animal maxime infeſtatur a pulicibus. Tolli, ſublimẽ in humeros, ut uapularet.

Rex

Rex omnes benigne audiebat, & singulorũ orationem cõprobabat. Hæc consultatio dilata est in longum tẽpus, quo diutius spe metuq; torqueret omnes. Adstabat inter hos primus cãcellarius. Nam & hunc iusserat acciri. Is cæteris prudẽtior, nõ prædicabat officia sua, sed agebat spectatorẽ fabulæ. Ad hunc tandem cõuersus rex: Quid, inquit, narrat meus cancellarius? Solus ille nihil petit, nec prædicat officia sua. Ego, inquit cancellarius, plus accepi à benignitate regia, quàm promeruerim, nec ulla de re magis sollicitus sum, quàm ut regiæ in me munificentiæ respondeam: tantum abest, ut uelim flagitare plura. Tum rex: Vnus igitur, inquit, omniũ non eges pecunia? Ne egerem, inquit alter, iam tua præstitit benignitas. Ibi rex uersus ad alios: Næ ego sum, inquit, regum omnium magnificẽtißimus, qui tam opulentum habeam cancellarium. Hic magis accensa spes est omnibus, futurum, ut pecunia cæteris distribueretur, quandoquidem ille nihil ambiebat. Ad hunc modum ubi satis diu lusißet rex, coëgit cancellarium, ut totam eam summam domum auferret. Moxq; uersus ad cæteros iam mœstos: Vobis, inquit, erit alia expectanda occasio. PHI. Fortasse frigidius uidebitur, quod narraturus sum, proinde deprecor doli mali suspicionem fuciue, ne uidear de industria ambisse immunitatem. Adijt eundẽ Lodouicum quidam, petẽs, ut munus, quod fortè uacabat in eo pago, in quo habitabat, iuberet in ipsum transferri. Rex audita petitione, expedite respondit: Nihil efficies, uidelicet amputans omnem spem impetrandi, quod petebatur. Petitor item mox actis regi gratijs discesßit. Rex ex ipsa fronte colligens

colligens hominem esse non omnino sinistri ingenij, suspicansq; illum non intellexisse quid respondisset, iubet eum reuocari. Redit. Tu rex: Intellexeras, inquit, quid tibi responderim? Intellexi. Quid igitur dixi? me nihil effecturum. Quur igitur agebas gratias? Quoniam, inquit, est domi quod agam, proinde magno meo incommodo persequuturus eram hic spem ancipitem, nunc beneficium interpretor, cito negasse beneficium, meq; lucratum, quicquid eram perditurus, si uana spe lactatus fuissem. Ex eo responso rex cõiectans hominem minime segnem, ubi percõtatus esset, habebis inquit, quod petis, quo mihi bis agas gratias, simulq; uersus ad officiarios: Expediantur, inquit, huic sine mora diplomata, ne hic diu suo damno hæreat. EV. Non deest quod referam de Lodouico, sed malo de nostro Maximiliano, qui ut nequaquam solitus est defodere pecuniam, ita clementissimus erat in eos, qui decoxerant, modo nobilitatis titulo commendarentur. Ex hoc hominum genere quum cuidam iuueni uellet opitulari, mandauit illi legationem, ut à ciuitate quadam, titulo nescio quo, peteret centum millia florenorum. Talis autem erat titulus, ut si quid impetratum esset dexteritate legati, pro lucro duci posset. Legatus extorsit milia quinquaginta, Cæsari reddidit triginta. Cæsar lætus insperata præda dimisit hominem, præterea nihil inquirens. Interea quæstores & rationales olfecerant plus acceptũ fuisse, quàm exhibitũ, interpellant Cæsarem, ut accerseret hominẽ. Accitus est, uenit ilico. Tum Maximilianus: Audio, inquit, te accepisse milia quinquaginta. Faßus est. Non exhibuisti nisi

triginta

triginta millia. Fassus est & hoc. Reddenda est, inquit, ratio. Promisit se facturum, ac discessit. Rursum quum nihil esset actum, interpellantibus officijs, reuocatus est. Tum Cæsar: Nuper inquit, iussus es reddere rationem. Memini, inquit ille, & in hoc sum. Cæsar suspicans illi rationem nondum satis esse subductam, passus est illum sic abire. Quum sic eluderet, officiarij uehementer instabant, clamitantes non esse ferendum, ut ille tam palàm illuderet Cæsari. Persuaserunt, ut accersitus iuberetur inibi præsentibus ipsis exhibere rationẽ. Annuit Cæsar. Accitus uenit ilico, nihil tergiuersatus. Tum Cæsar: Nonne, inquit, pollicitus es rationem? Pollicitus, respondit ille. Iam, inquit, opus est, en adsunt qui excipiẽt, nec est diutius tergiuersandi locus. Assidebant officiarij paratis ad id codicillis. Ibi iuuenis sat dextre: Non detrecto, inquit, rationem inuictissime Cæsar. Verũ huiusmodi rationum non sum admodum peritus, ut qui nũquam reddiderim, isti qui assident, talium rationũ sunt peritissimi, si uel semel uidero quẽadmodũ illi tractẽt huiusmodi rationes, ego facile imitabor. Rogo iubeas illos uel exẽplum ædere, uidebunt me docilem. Cæsar sensit dictũ hominis, quod non intelligebant hi in quos dicebatur, ac subridẽs: Verũ, inquit, narras, & æquũ postulas. Ita iuuenem dimisit. Subindicabat enim sic illos Cæsari solere reddere rationẽ, quemadmodũ ipse reddiderat, nimirũ, ut bona pecuniæ portio penes ipsos maneret. LER. Nunc tẽpus est, ut ab equis, quod aiunt, ad asinos descẽdat fabula, à regibus ad Antoniũ sacrificum Louanienſem, qui Philippo cognomẽto Bono fuit in delicijs, huius

uiri

uiri feruntur multa uel iucunde dicta, uel iocose facta, sed pleraq; sordidiora. Nã plerosq; lusus suos cõdire solitus est unguento quodã, quod nõ admodum eleganter sonat, sed peius olet, deligam unũ ex mundioribus. Inuitarat unum atq; alterũ bellum homunculũ fortè obuium in uia. Quum rediisset domum, reperit culinã frigidam. Nec erat nummus in loculis, quod illi nequaquã erat insolens. Hic opus erat celeri cõsilio. Subduxit se tacitus, & ingressus culinã fœneratoris, qui cũ erat illi familiaritas, quod frequenter ageret cum illo, digressa ancilla, subduxit unam ex ollis æneis, unà cum carnibus iam coctis, ac ueste tectã deferebat domum, dat coquæ, iubet protinus effundi carnes & ius in aliã ollam fictilem, simulq; fœneratoris ollam defricari, donec niteret. Eo facto mittit puerũ ad fœneratorẽ, qui depositò pignore drachmas duas à fœneratore sumat mutuo, sed accipiat chirographũ, quod testaretur talẽ ollã missum ad ipsum. Fœnerator nõ agnoscens ollam, utpote defrictam ac nitentem, recipit pignus, dat chirographũ, & numerat pecuniã, ea pecunia puer emit uinum. Ita prospectum est cõuiuio. Tandẽ quũ appararetur prandium fœneratori, desiderata est olla. Hic iurgiũ aduersus coquã. Ea quum grauaretur, constanter affirmauit, neminem eo die fuisse in culina, præter Antoniũ. Improbum uidebatur hoc suspicari de sacrifico. Tandem itum est ad illum, exploratum an esset apud illum olla, ne musca quidem olla reperta. Quid multis? Serio flagitata est ab illo olla, quod solus ingressus esset culinam, quo tempore desiderata est. Ille fassus est sumpsisse commodato

Digitized by Google

ollam quandam, sed quã remisisset illi, unde sumpserat. Id quum illi pernegarent, & incaluisset cõtentio, Antonius adhibitis aliquot testibus: Videte, inquit, quã periculosum est, cum horum temporum hominibus agere sine chirographo, intenderetur mihi propemodũ actio furti, ni manũ haberẽ fœneratoris. Et protulit syngraphã. Intellectus est dolus, fabula magno cum risu per totã regionem dissipata est, ollam oppignoratã ipsi cuius erat. Huiusmodi dolis libentius fauent homines, si cõmissi sint in personas odiosas, præsertim eos, qui solent alijs imponere. A D O. Næ tu nobis mare fabularũ apperuisti, nominato Antonio, sed unã dũtaxat, eamq; breuẽ referam, quã audiui nuperrime. Agitabant simul conuiuiũ aliquot belli, ut dicũt, homunculi, quibus nihil prius in uita quã ridere. Inter hos erat Antonius, atq; alter itẽ, & ipse celebris hoc genere laudis, ac uelut æmulus Antonij. Porrò quemadmodũ inter philosophos, si qñ cõueniunt, proponi solent quæstiunculæ de rebus naturæ, ita hic statim nata est quæstio, quæ nã esset hominis pars honestissima. Alius diuinabat oculos, alius cor, alius cerebrũ, alius itẽ aliud: & suæ quisq; diuinationis rationẽ adferebat. Antonius iussus dicere sentẽtiã, dixit os sibi uideri partẽ omniũ honestissimam, & addidit causam nescio quã. Tum alter ille, ne qd ipsi cõueniret cũ Antonio, respõdit eã partẽ qua sedemus sibi uideri honestissimã. Quũ id uideretur omnibus absurdũ, attulit hanc causam, qd' is diceretur uulgo honoratissimus, qui primus consideret: hoc honoris cõpetere parti quã dixisset. Applausum est huic sentẽtiæ, & risum est affa-

tim.

Digitized by Google

tim. Placuit homo sibi de hoc dicto, uisusq; est in eo certamine uictus Antonius. Dissimulauit Antonius, qui nō ob aliud detulerat ori primam honestatis laudem, nisi quod sciret illū uelut æmulū suæ gloriæ, diuersam partem nominaturū. Post dies aliquot, quum rursus uterq; uocatus esset ad idē conuiuiū, ingressus Antonius offendit æmulū cū alijs aliquot cōfabulantē, dum adornatur cœna. Et auersus emisit clarū uentris crepitū ante faciē alterius. Ille indignatus, abi, inquit, scurra, ubi nam didicisti mores istos? Tum Antonius: Etiā indignaris inquit? si te salutassem ore, resalutasses, nūc te saluto parte corporis uel te iudice omniū honestissima, & scurra uocor. Sic recuperauit prius amissam gloriā Antonius. Diximus omnes, nūc superest, ut pronūciet iudex. GEL. Id faciā, sed nō prius quàm suum quisq; cyathū ebiberit. En auspicor. Sed lupus in fabula. POL. Haud læuum omen adfert Leuinus Panagathus. LEV. Quid actum est inter tam lepidos congerrones? POL. Quid aliud? Certatum est fabulis, donec lupus interuenires. LEV. Huc igitur adsum, ut perficiam fabulā, uolo uos omnes cras apud me prandere prandium theologicum. GEL. Scythicū promittis cōuiuiū. LE. αὐτὸ δείξει. Nisi fatebimini hoc fuisse uobis quouis fabuloso conuiuio iucundius, non recuso dare pœnas in cœna. Nihil iucundius, quàm quum serio tractantur nugæ.

Scythicū, id est, triste.

αὐτὸ δείξει i. ipsa res indicabit. Vide prouerbium.

PVERPERA.

EVTRAPELVS, FABVLLA.

Eutrapelus, i. facetus.

SALVA sit optima Fabulla. FA. Salue multū Eutrapele. Sed quid tandē nouæ rei accidit, quod nūc

Digitized by Google

ſalutator inſolens aduèneris, quĕ hoc triennio toto nemo noſtrum uidit? EVT. *Dicam: fortè præteriens has ædes, uidi cornicĕ obuinctã candido linteo. Demirabar quid eſſet cauſæ.* FA. *Adeó ne hoſpes es in hac regione, ut ignores hoc eſſe ſymbolum puerperij in ædibus?* EVT. *Eho an nõ prodigiũ eſt, uidere cornicem albã? Sed extra iocũ, ſciebam maxime, uerũ ſuſpicari nõ potui, te puellam uix dum egreſſam decimũſextũ annum, tam mature didiciſſe difficillimã artĕ gignendi liberos, quã ægre diſcũt quædã ante annos triginta.* FA. *Vt tu ſemp es quod diceris, Eutrapele.* EV. *Vt nunquã deeſt Fabullæ fabula. Demiranti igitur cõmodũ occurrit Polygamus.* FA. *Is qui nuper extulit uxorĕ decimã?* EV. *Is ipſe, ſed quod te fugit, opinor, rurſum tam ambitioſe procum agit, quaſi hactenus uixerit celebs. Hic, percõtanti quid accidiſſet nouæ rei: Muliebre corpus, inqt, in his ædibus per mediũ ſectum eſt in duo. Ob quod, inquam, facinus? Si uerũ eſt, inquit, quod rumore populari iactatur, hic mater familiãs ſuſtinuit deglubere mari tum ſuũ: ſimulq; cũ riſu ſubduxit ſeſe.* FA. *Homo craſſe facetus.* EV. *Ego me protinus intro conijcio, tibi felicem partum gratulaturus.* FA. *Salutem mihi gratulare ſi uoles Eutrapele, felicem partũ tum gratulaberis, quũ quod cnixa ſum uideris de ſe præbere ſpecimĕ boni uiri.* EV. *Pie tu quidem & uere mea Fabulla.* FA. *Nullius Fabulla ſum, niſi Petronij.* EVT. *Vni quidem Petronio paris, at nõ uni uiuis, opinor. Cæterũ hoc quoq; gratulor, quod puerum enixa es.* FA. *Sed quas ob cauſas felicius iudicas peperiſſe maſculum, quàm fœminam?*

EVT.

Cornicĕ, circulũ ferreũ, aut aliquid huius loco additũ oſtio, quo pulſet. Græci κοῤῥώνλων uocãt, uel ob figuram, uel ob garrulitatem.

EVT. Quin tu potius Fabulla Petronij (iam enim uereor mea dicere) illud mihi expedis, quas ob causas uos magis gaudetis peperisse masculos quàm fœminas? FA. Quid aliæ sentiant nescio, ego nũc me gaudeo peperisse masculũ, quia sic uisum est deo. Si maluisset ille puellã, maluissem & ipsa. EV. An putas deo tantum esse ocij, ut etiam parturiẽtibus obstetricetur? FAB. Quid agat ille potius Eutrapele, quàm ut propagatione seruet, qđ condidit? EVT. Quid agat ò bona? Imò ni deus esset, nõ arbitror sufficturum tot negocijs. Exulat Christier nus Danorũ rex pius Euangelij fautor: Franciscus Galliarũ rex hospes est Hispaniarũ, nescio quàm ex ipsius animi sententia, uir certe dignus meliore fortuna. Carolus molitur nouã totius orbis monarchiam, Ferdinandus rerũ suarum satagit in Germania, Bulimia pecuniarũ urget aulas omnes, periculosos motus cõcitant agricolæ, nec tot stragibus ab instituto deterrentur, populus meditatur anarchiã, periculosis factionibus collabitur ecclesiæ domus, hinc atq; hinc distrahitur illa Iesu tunica incõsutilis. Vinea domini nõ ab uno iam apro uastatur, simulq; periclitatur sacerdotũ cum decimis auctoritas, theologorũ dignitas, monachorum maiestas: nutat cõfessio, uacillant uota, labascunt leges pontificiæ, uocatur in discrimen eucharistia, expectatur Antichristus, totus orbis parturit nescio quid magni mali. Interim superant & immunent Turcæ, nihil nõ populaturi, si successerit quod agũt, & tu rogas, quid agat potius? Imò tempus arbitror, ut suo quoq; regno prospiciat in tempore. FAB. Quod hominibus uidetur maximum, id deo

Βουλιμία summa fames.

Anarchiam, quã nullo principe tumultuat populus.

Digitized by Google

fortasse uidetur nullius momenti. Sed ab hac fabula dei personam si uis, secludamus, dic quæ te causæ moueant, ut felicius existimes peperisse catulum quàm catellam. EVT. Piæ mentis est, hoc iudicare optimũ, quod dedit deus citra cõtrouersiam optimus. Verũ si deus tibi daret poculũ crystallinum, nõne maximas ageres gratias? FA. Agerem. EV. Quid si idẽ daret uitreũ, num pares ageres? Sed uereor ne tibi molestiã adferam pro solatio, hæc apud te philosophans. FAB. Imò Fabullæ nihil est iam à fabulis periculi. Iam quartã hebdomadã decumbo, satisq; ualeo uel ad luctam. EV. Quin igitur è nido prouolas? FA. Vetuit rex. EV. Qui rex? FA. Imò tyrãnus. EV. Qui quæso? FA. Syllaba dicã, mos. EVT. Heu quàm iste rex multa præter æquũ exigit. Pergamus igitur philosophari de crystallo & uitro. FA. Marem uti conijcio natura præstantiorem ac firmiorem iudicas quàm fœminam. EV. Sic arbitror. FA. Nimirum uiris autoribus. Num igitur uiri uiuaciores sunt quàm fœminæ? Num à morbis immunes? EV. Nequaquã. Sed in genere uiribus antecellunt. FA. Sed ipsi rursus superantur à Camelis. EVT. Imò prior creatus est masculus. FA. Prior conditus est Adam quàm Christus. Et solent artifices in posterioribus seipsos uincere. EVT. At deus mulierem uiro subiecit. FAB. Non statim melior est qui imperat, & nuptam subijcit nõ fœminam. Ac rursus nuptam ita subijcit, ut cum utriq; sit potestas alterius, mulierem tamen uelit uiro morem gerere, non ut præstantiori sed ut feruciori. Dic Eutrapele: uter infirmior, qui cedit alteri, an cui ceditur? EV.

Mos, tyrannus.

Tibi

Tibi quidem hic cedam, si mihi declararis quid senserit Paulus scribens Corinthijs: quum uiri caput dicit esse Christum, mulieris caput uirum: rursus quum uirũ dicit imaginem & gloriam dei, mulierem gloriam uiri. Christus caput uiri, uir mulieris.

FA. Istud expediam, si mihi declararis, an solis uiris datum sit esse membra Christi. EVT. *Absit, id quidem datum est omnibus hominibus per fidẽ.* FAB. *Qui fit igitur, ut caput unum quum sit, non habeatur omnibus membris cõmune? Deinde quum deus hominem fingeret ad imaginem sui, utrum hanc imaginem expreſserit in corporis figura, an in animi dotibus?* EVT. *In animi dotibus.* FAB. *At in his quid tandem habent uiri nobis præcellentius? In utro sexu plures sunt temulentiæ, rixæ, pugnæ, cædes, bella, rapinæ, & adulteria?* EVT. *At soli uiri bellũ gerimus pro patria.* FA. *Sed ijdẽ sæpius deserto loco turpiter fugitis, nec semper pro patria, sed frequẽtius pro sordido salariolo deseritis uxorẽ & liberos, & peiores gladiatoribus ultrò corpora uestra traditis in seruilem necessitatẽ uel moriendi uel occidendi. Iam ut maxime iactes mihi uirtutẽ bellicã, nemo uestrũ si semel esset expertus quid sit parere, non mallet decies in acie stare, quàm subire semel quod nobis toties est experiendũ. In bello nõ semper uenitur ad manus: & si uenitur, non in quauis exercitus parte discrimen. Tui simules disponũtur in acie media. Alius est in subsidijs, alius tutò sedet post principia. Deniq; plurimos seruat deditio & fuga. Nobis comunus cũ morte conflictandum est.* EVT. *Ista non nunc primũ audio, uerum sunt ne uera quæ dicũtur?* FAB. *Nimium uera.*

Tui simules. i. ignauiores, ut numerũ augeant. Nã alæ, & cornua sustinẽt belli molem.

Post principia. Alludit ad illud Terentianum in eunucho.

Digitized by Google

EV. Vis ne igitur Fabulla ut marito tuo persuadeam, ne posthac te cõtingat? Nã eo pacto tuta fueris ab isto discrimine. FAB. Equidem nihil malim, si possis. EV. Quid præmij feret orator hic si persuaserit? FA. Dabo decem linguas bubulas fumo duratas. EV. Istas malim quàm decẽ linguas lusciniarum. Nõ reijcio cõditionem, uerum contractum hunc ratum esse nolim, prius quàm interceſſerit ſtipulatio. FA. Addatur ſi libet, & ſi qua eſt alia cautio. EVT. Id fiet ex animi tui ſententia, poſt menſem exactum. FAB. Quin potius nunc fit ex animi mei ſentẽtia? EV. Dicam, quia uereor ne poſt menſem non ſit eadem animi tui ſententia. Itaq; & tibi ſoluendũ eſſet duplex præmiũ, & mihi duplex eſſet ſumenda opera perſuadendi ac diſſuadendi. FA. Age fiat ut uoles, ſed interim perge demonſtrare, quare uiri ſexus ſit præſtantior fœmineo. EV. Video te meditatam hanc monomachiã, quã ob rem in præſentia qdẽ cõſultus arbitror tibi cõcedere. Congrediar aliâs, ſed armatus, nec abſq; ſubſidiario milite. Nam ubi lingua res geritur, ne ſeptẽ quidem uiri pares ſunt uni fœmine. FA. Nimirũ hoc telo armauit nos natura, quanquã ne uos quidẽ elingues eſtis. EV. Fortaſsis, ſed ubi puellus? FA. In cõclaui proximo. EV. Quid illic? coquit olus? FA. Nugator apud nutricem eſt. FV. Quam mihi nutricem narras? an eſt alia nutrix quàm ea quæ mater eſt? FA. Quid m? uulgò fit. EVT. Peſsimum mihi nominas autorem rei bene gerendæ uulgũ Fabulla. Vulgò peccant, uulgò luditur alea, uulgò commeatur ad fornices, uulgò fraudatur, potatur, inſanitur. FAB. Sic amicis uiſum eſt,

Nutrix.

eſt, cenſuerunt enim parcendum huic ætati tam teneræ.
E V. *Atqui ſi natura dedit uires ad concipiendũ, haud dubie dedit & ad lactandum.* F A B. *Probabile quidem eſt.* E V T. *Dic mihi, nõne ſentis eſſe dulciſſimum matris uocabulum?* F A B. *Sentio.* E V T. *Itaq; ſi fieri poſſet, patereris aliam mulierem eſſe matrem tui partus?* F A. *Minime gẽtium.* E V T. *Quur igitur uolens plus quàm dimidiatum matris nomẽ transfers in fœminam alienã?* F A. *Bona uerba Eutrapele, non diuido filium ſola totáq; ſum mater.* E V. *Imò hic tibi Fabulla reclamat in os ipſa natura. Quur terra dicitur omnium parens? an quod gignat tantum? Imò multo magis quod nutriat ea quæ genuit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. In terra nullum animantis aut plantæ genus naſcitur, quod eadem terra ſucco ſuo non alat. Nec eſt ullum animantis genus, quod nõ alat ſuos fœtus. Vlulæ, leones, & ueneræ educant partus ſuos, & homines ſuos fœtus abiiciunt? Obſecro te quid crudelius ijs, qui prolem, educationis tædio dicuntur exponere?* F A. *Abominãda dicis.* E V T. *Atqui non perinde factum abominantur homines. An non expoſitionis genus eſt, infantulum tenerum, adhuc à matre rubẽtem, matrem ſpirantẽ, matris opem ea uoce implorantem, quæ mouere dicitur & feras, tradere mulieri, fortaſſis nec corpore ſalubri, nec moribus integris, deniq; cui pluris ſit pecuniæ pauxillulũ, quã totus infans tuus?* F A. *Delecta eſt mulier ſalubri corporis tẽperatura.* E V. *Hoc medici certius iudicẽt quàm tu. Sed finge hic illã tibi uel parẽ, uel aliquãto ſi uis ſuperiorẽ. An nihil intereſſe cẽſes, utrũ ĩfans tenellus cogna*

Mater.

Terra omnium parens.

Vide hac de re Aul. Gell. noct. Att. lib. 12. c. 1.

Digitized by Google

tum illum & familiarem hauriat succum, & calore iam assueto foueatur, an alienis cogatur assuescere? Triticum in aliud solum iactum, degenerat in auenam aut siligi-nẽ. Vitis in alium collem translata, mutat ingeniũ. Plan tula reuulsa à parẽte terra, flaccescit ac uelut emoritur, eoq; quantum fieri potest cum terra natua transferũt. F A. Imò narrãt plãtas translatas & insitas exuere syl uestre ingenium, & fructus ædere generosiores. E V. At non protinus ut natæ sunt ò bona. Veniet & olim hoc tempus, si deus uoluerit, ut adolescentem tuum able ges ab ædibus, literis iam ac seuerioribus disciplinis im-buendum, quæ functio patris est potius quàm matris. Nunc ætas tenera fouenda est. Porrò quum ad salubri tatem firmitatemq; corporis plurimum refert qualis sit alimonia, tum uero præcipue quo succo tenerum illud ac molle corpusculum imbuatur. Nam hic quoque locũ ha-bet illud Flacci dictum: Quo semel est imbuta recens ser uabit odorem Testa diu. F A. De corpore non ita mul-tum laboro, modo sit animus qualem optamus. E V T. Pie tu quidem, sed parum philosophice. F A. Quam ob rem? E V. Quur tu igitur quoties concidis holus, que-reris aciem cultri retusam esse, & iubes exacui? Quur acum reijcis obtusa cuspide, quum ea res non adimat ar tem? F A. Non deest ars, sed obstat instrumentum parũ idoneum. E V. Quur quibus est opus oculorum acie, ui tant lolium & cepas? F A B. Quia uitiant oculos. E V. Nõne animus est qui cernit? F A B V. Est, nam nihil ui dent exanimes. Sed quid agat faber, uitiata securi? E V. Agnoscis igitur corpus esse mentis organum? F A B V.

Appa

Apparet. E V. *Et fateris uitiato corpore, nõ agere animum, aut incõmodius agere?* F A. *Non dissimile ueri dicis.* E V. *Age, uideor mihi nactus ingenium philosophi cũ. Finge igitur animum hominis demigrare in corpus galli gallinacei, num æderet uocem quam nunc ædimus?* F A. *Nequaquam.* E V. *Quid obstaret?* F A. *Quia desunt labra, dentes, & lingua similis: nec epiglottis, nec tres adsunt cartilagines à tribus motæ musculis, ad quos pertinent nerui à cerebro demissi, nec fauces nec os simile.* E V T. *Quid si in corpus suis?* F A. *Grunniret suillo more.* E V. *Quid si in corpus cameli?* F A. *Caneret ut canit camelus.* E V. *Quid si in corpus asini, quod euenit Apuleio?* F A. *Ruderet, opinor, ut asinus.* E V. *Nimirum fatetur hoc ille. Quum cuperet inclamare Cæsarẽ, contractis quantum potuit labris, uix ò sonuit. Cæsarẽ nullo pacto potuit exprimere. Idem quum fabulam audiret ne excideret, describere cuperet, damnauit cogitationem tam asininam, quum ungulas intueretur solidas.* F A. *Et merito.* E V. *Ergo lippientibus oculis minus uidet animus: oppletis sordibus auribus, minus audit: ubi cerebrum occupat pituita, minus olfacit: ubi stupet membrum, minus sentit: ubi malis humoribus uitiata est lingua, minus gustat.* F A B. *Negari non potest.* E V T. *Non ob aliud nisi quia uitiatum est organum.* F A B. *Arbitror.* E V T. *Nec inficiaris, plerunq; uitiari cibo potuq;.* F A. *Fateor, sed quid isthuc ad bonam mẽtem?* E V. *Proinde quid lolium ad perspicaces oculos?* F A. *Quia uitiat organum animi.* E V T. *Probe respondes. Verum illud expedi, unde fit, quod alius alio celerius intel*

Epiglottis est carũcula uolubilis, nunc gulã claudẽs, nũc arteriam asperã.

Tres chartilagines. Vide Galenũ de locis affectis.

Vix o. Hoc Apuleius, Luciã num secutus.

Digitized by Google

intelligit, ac tenacius meminit? alius alio citius irascitur, aut moderatius odit? F A. *Sic conditus est animus.* E V. *Non sic elaberis. Vnde fit, ut qui prius fuit ingenio celeri, felici memoria, postea fiat obliuiosus ac tardus, siue plaga, siue casu, siue morbo, siue senio?* F A B. *Tu nunc mihi uidere sophistam agere.* E V. *Proin tu contrà fac agas sophistriam.* F A B V. *Opinor hoc te uelle dicere, quod animus quemadmodum cernit & audit per oculos & aures, ita per organa quædam intelligit, meminit, amat, odit, irascitur, & placatur?* E V T. *Recte cõiectas.* F A B. *Quæ tandẽ sunt ista organa? & ubi sunt?* E V. *Oculos ubi sunt uides.* F A B. *Et aures, & nares, & palatũ ubi sit scio. Et toto corpore contactum esse uideo, nisi quum stupor occupat mẽbrum.* E V. *Amputato pede, tamen intelligit animus.* F A. *Intelligit, itidẽ & manu.* E V. *At qui uehementem plagam accipit in tempus capitis, aut in occipitium, concidit mortuo similis, omniq; sensu suo uacat.* F A. *Istuc aliquoties uidi.* E V. *Ex hoc colligis intra cranium esse intellectus, uolũtatis ac memoriæ organa, minus quidem crassa, quàm sunt aures & oculi, sed tamen materialia. Quãdoquidẽ & spiritus quos habemus in corpore subtilissimos corporales sunt.* F A. *An ista quoq; uitiantur cibo potúq;?* E V T. *Maxime.* F A B. *Cerebrum procul abest à stomacho.* E V. *Ita summa sumarij pars abest à fœco, tñ illi si insideas, senties uaporem.* F A. *Non experiar.* E V. *At si mihi non credas, sciscitare è iconijs. Itaq; refert qui spiritus, qui uapores à stomacho subuolent in cerebrũ, & in organa mentis. Nam hi si crudi sint ac frigidi, recidunt*

in sto

Digitized by Google

in ſtomachũ. FAB. Næ tu mihi metam diſtillatoriã deſcribis, qua ex floribus herbiſq; ſuccum exhalantem excipimus. EVT. Haud ita male coniectas. Nam epar, cui fel adhæret, ignis loco eſt, ſtomachus patella, cranium ſummæ metæ colophon: atq; adeo ſi uis, naſus fiſtulæ plũbeæ uice fungatur, itaque ex hoc mutuo fluxu ac refluxu humorum, naſcitur ferè quicquid eſt morborum, ut uarie delabitur uarius humor, nunc in oculos, nunc in ſtomachum, aliàs in ſcapulas, interim in ceruicem alióue. Quoq; magis intelligas: Quur qui uino immodico ſeſe ingurgitant, ſunt male memores? Qui cibis aluntur ſubtiliorum ſpirituum, minus torpent ingenio? Quur coriandrum memoriam emendat? Elleborus mentem purgat? Quur expletio uehemens epilepſim adducit, quæ ſtuporem adfert ſimul omnibus ſenſibus, quemadmodum ſomnus profundus? Deniq; ut immodica ſitis aut inedia, ingenij memoriæq; uim elidit in pueris, ita cibus immodicus in pueris gignit ingenij ſtuporem, ſi credimus Ariſtoteli, nimirum igniculo mentis uelut obruto ingeſta materia. FAB. Eſt ne igitur corporeus animus, ut à rebus corporalibus afficiatur? EVT. Animi rationalis natura non corrumpitur quidem ipſa, ſed organis uitiatis, impeditur illius uis & actio, uelut artifex fruſtra uaret arte ſi deſtituatur idoneis inſtrumentis. FAB. Quãta quáue ſpecie eſt animus? EVT. Ridicule percontaris de magnitudine aut figura, quum fatearis incorporalem. FAB. Ego corpus intelligo quod ſentitur. EVT. Imò que nõ ſentiuntur perfectiſſima ſunt, ueluti deus, et angeli. FAB. Audio deum & angelos ſpiritus appellari, at

ri, at ſpiritum ſentimus. EVT. *Hac uoce literæ ſacræ ob rudes homines balbutiunt, mentem ſignificantes puram ab omni commercio rerum ſenſibilium.* FABV. *Quid igitur intereſt inter angelum & animum?* EV. *Hoc ipſum quod inter limacem & cochleam, aut ſi maius teſtudinem.* FABVL. *Corpus igitur domicilium eſt animi, magis, quàm inſtrumentum.* EVT. *Nihil uetat inſtrumentum adiunctum dici domicilium. Atque hac quidem de re uariant philoſophorum ſententiæ. Sunt qui dicant corpus eſſe ueſtem animæ, ſunt qui domicilium, ſunt qui inſtrumentum, ſunt qui harmoniam. Horum quodcunque dixeris, conſequitur actiones animi, corporis affectionibus impediri. Primum ſi quod ueſtis eſt corpori, idem corpus eſt animo, quantum ad corporis ualetudinem faciat ueſtis, declarauit* Hercules: *ne quid de coloribus, aut pilorũ pelliumq; generibus referam. Cæterum an eadem anima ſufficiat pluribus corporibus deterendis, quemadmodum corpus multas deterit ueſtes, uiderit* Pythagoras. FAB. *Non incommodum foret, ſi iuxta* Pythagoram *liceret, ut ueſtibus ita corporibus mutatorijs uti: Sic, ut menſibus hybernis ſumeretur corpus obeſum, craſſæq; texturæ, æſtiuis rarius & gracilius.* EVT. *Atqui parum opinor eſſet commodum, ſi quemadmodum multis ueſtibus detritis, tandem & corpus deterimus, ita multis corporibus detritis, tandem & anima ſeneſceret, deficeretq;.* FAB. *Nõ ſanè.* EVT. *Iam quemadmodum ad corporis ſalubritatem agilitatemq; refert, qua ueſte ſit amictum: ita refert, quod corpus circũferat anima.* FAB. *Profecto ſi corpus*

Corpus philoſophis qd.

pus ueſtis eſt animæ, uideo multos homines admodum uarie cultos. EVT. Sic eſt. Et tamen nonnulla pars huius rei ſita eſt in nobis, quàm commode ueſtiatur anima. FAB. Valeat igitur ueſtis, dic aliquid de domicilio. EVT. Atqui ne quod dico tibi uideatur commentum Fabulla: ipſe dominus Ieſus ſuum corpus templum appellat. Et Petrus apoſtolus ſuum corpus tabernaculum appellat. Nec defuerunt, qui corpus dixerunt animæ ſepulchrum, σῶμα dictum arbitrãtes, quaſi σῆμα: alij carcerem mentis appellarunt, nonnulli præſidium. uelut arcem munitam. Quorum animus eſt undiquaq; purus, in templo habitant, qui non tenentur amore rerum corporalium, horum animus agit in tabernaculo, libenter exiliturus, ſi uocet imperator. Qui prorſus excæcati ſunt uitijs ſpurciſſimis, ut nunquam aſpirent ad auram libertatis euangelicæ, horum animus iacet in ſepulchro. Cæterum qui moleſte luctantur cum uitijs, nec adhuc poſſunt quod uolunt, horũ animus habitat in carcere, ſubinde clamans ad liberatorem omnium: Educ de carcere animã meã, ut confiteatur nomini tuo domine. Pſal. 141. Qui gnauiter pugnant cũ ſatana, uigilantes & excubantes aduerſus inſidias illius, qui circumit ut leo quærẽs quem deuoret, horum animus uerſatur in præſidio, unde iniuſſu imperatoris non licet diſcedere. FAB V. Si corpus eſt animi domicilium, plurimos uideo, quorum animus male habitet. EVT RAP. Sic eſt, uidelicet in ædibus perſtillantibus, opacis, uentis omnibus obnoxijs, fumoſis, pituitoſis, laceris ac ruinoſis,

Quid Chriſto, & Chriſtianis.

nosis, deniq; putribus & infectis. Et tamen Cato primã felicitatis partem iudicat, bene habitare. FAB. *Tolerabilis res, si liceret in aliud immigrare domicilium.* EV. *Emigrare nõ licet, nisi quum euocat locator. Verũtamẽ si non licet emigrare, licet arte curaq; nostra domicilii animi commodius reddere, quemadmodum in ædibus mutantur fenestræ, attollitur solum, incrustantur aut contiuentur tabulatu parietes, situs igni suffituq; purgatur. Id in senili corpore iamq; ruinam minitante difficillimum est. Plurimum autem conducit, si puerile corpus ab ipso protinus ortu sicut oportet curetur.* FAB. *Tu quidem matrem ac nutricem medicam esse iubes.* EV. *Planè iubeo, quod attinet ad delectum ac moderationem cibi potusq;, motus, somni, balneorum, unctionum, frictionum, uestitus. Quàm multos esse censes, qui grauissimis morbis ac uitijs obnoxij sunt, epilepsiæ, gracilitati, imbecillitati, surditati, fractis lumbis, distortis membris, infirmo cerebro, stupori mẽtis, non ob aliud, nisi quod à nutricibus indiligenter curati sunt?* FABVL. *Demiror te non pro pictore factum fuisse Franciscanum, qui tam belle concioneris.* EVTR. *Vbi te Claranam uidero, tum ego tibi Franciscanus concionabor.* FAB. *Ego sanè libens scire cupiam, quid sit anima, de qua tam multa audimus dicimusq; quum nemo uiderit.* EVT. *Imò nemo non uidet, cui sunt oculi.* FAB. *Video pictas animas infantuli specie. Verum quur non adduntur alæ, quemadmodum angelis?* EVTR. *Quoniam delabentibus è cœlo fractæ sunt alæ, si qua Socraticis fabulis habenda fides.* FABVL.

Locator. Significat esse conductum.

Quomo

Quomodo igitur ſubuolare dicuntur in cœlũ? EVT. Quoniam fides & charitas faciunt, ut illis renaſcãtur alæ. Has alas petebat ille, pertæſus domiciliũ ſui corporis, dum clamat: Quis dabit mihi pennas ſicut colũbæ, & uolabo & requieſcã? Pſal. 54. Nec enim alias alas habet anima, quũ ſit incorporea, nec ullam habet ſpeciẽ, quæ corporis oculis ſit cõſpicua, ſed certius cernuntur ea quæ uidemus animo. Credis ne deũ eſſe? FA. Maxime. EV. At nihil munus uideri poteſt quàm deus. FAB. Videtur in rebus cõditis. EVT. Itidẽ uidetur animus ex actione. Si quæris, quid agat in corpore uiuo, contemplare corpus exanime. Quũ uides hominem ſentire, cernere, audire, moueri, intelligere, meminiſſe, ratiocinari: certius uides animã adeſſe, quàm nũc uides hunc cantarũ: poteſt enim falli ſenſus unus, tot argumẽta ſenſuũ nõ fallunt. FAB. Proinde ſi non potes oſtẽdere animam, ſic illam notis quibuſdam pinge, quaſi mihi uelis deſcribere Cæſarem, quẽ nõdum uidi. EVT. Ariſtotelis definitio in promptu eſt. FAB. Quæ? Nam aiunt iſtũ eſſe probum rerum omniũ depictorem. EVT. Anima eſt actus corporis organici phyſici, uitam habentis in potentia. *Anima quid Ariſtot.* FAB. Quur actum uocat potius quàm iter aut uiam? EVT. Non hic cauetur aurigis aut equitibus, ſed animæ ratio definitur. Et actũ uocat, formam, cuius naturæ eſt agere, quũ materiæ ratio ſit pati. *Omnis autẽ corporis motus naturalis ab animo proficiſcitur.* Eſt autẽ uarius corporis motus. FAB. Intelligo. Sed quur addit organici? EVT. Quoniã anima nihil agit, niſi per organa, hoc eſt, inſtrumẽta corporis. FAB. Quur addit

Quur actum Græcis eſt ἐντελέχεια, uocabulũ philoſophis peculiare. Sed Fabulla detorquet ad iureconſultos, qui diſtinguunt inter iter, actum, & uiam.

physici? EVT. Quia Dædalus frustra fingeret tale corpus. Ideoq; addit, uitam habetis in potentia. Forma nō agit in quiduis, sed in materiam capacem. FAB. Quid si angelus immigraret in corpus hominis? EV. Ageret quidē, sed nō per organa naturalia, nec uitā daret corpori, si abesset anima. FAB. Habeo ne iam totā animæ rationem? EV. Habes Aristotelicam. FA. Equidem accepi celebrē esse philosophum, & uereor, ne sapientum centuriæ mihi scribant hæreseos dicā, si quid refrager. Alioqui quicquid adhuc dixit de anima hominis, competit in asinum & bouem. EV. Imò in scarabeum quoq; & limacē. FA. Quid igitur interest inter animam bouis & hominis? EVT. Qui dicūt animā nihil aliud esse, quàm harmoniā qualitatū corporis, fatearentur nō ita multum interesse, uidelicet harmonia soluta, perire pariter animas utriusq;. Ne ratione quidē distinguitur bouis & hominis anima, sed quod boum minus sapit quàm hominū, quēadmodum uidere est & hominēs, qui minus sapiunt quàm bos. FA. Næ isti bubulā habent mentē. EV. Attamen illud ad te pertinet, quod pro testudinis qualitate modulatior est harmonia. FA. Fateor. EV. Nec parui refert, ex quo ligno quáue figura sit facta testudo. FAB. Verisimile dicis. EVT. Nec ex quorumlibet animantiū intestinis fiunt canorę fides. FA. Audiui. EVT. Atque hæ quidem ex aëris circumfusi madore aut siccitate laxantur, contrahuntur nonnunquam & rumpuntur. FAB. Istuc uidi non semel. EVT. Hic igitur potes opem præstare nō uulgarem infantulo tuo, ut animus illius testudinem habeat

bene

bene temperatã, minimeq; uitiatã, ne laxa sit segnitie, ne stridula sit iracundia, ne rauca sit temulentia. Nam hos affectus inserit in nobis nonnunquàm educatio uiciusq; ratio. F A. Admonitionem accipio, sed expecto, quo pacto tuearis Aristotelẽ. E V. Ille quidem descripsit in genere animã animantẽ, uegetantem, ac sentientem. Anima dat uitã. Sed nõ protinus animal est quod uiuit. Viuũt enim & senescunt & emoriũtur arbores, at non sentiunt, quãquã his quoq; nonnulli sensum tribuunt stupidum. In adhæsis uix deprehẽditur sensus, in spongia deprehẽditur ab auulsoribus, in arboribus materiarũ cæsores sensum cõperiunt, si quid illis credimus. Aiunt enim, si palma ferias truncũ arboris, quam uelis cædere, quẽadmodum ferè solent materiarij, difficilius arbor inciditur, ut semet cõtraxit metu. Quod autẽ uiuit ac sentit animal est, Nihil autẽ prohibet esse uegetabile, quod nõ sentit, ueluti fungi, betæ, caules. F A. Ista si uiuunt utcũq; si sentiunt utcũq; si mouẽtur, quũ adolescunt, quid prohibet eadẽ dignari animalis cognomine? E V. Non ita uisum est maioribus, neq; nobis fas est ab illorum placitis discedere, ac ne refert quidem ad hoc quod nũc agimus. F A. Atqui non feram eandẽ esse animã scarabei & hominis. E V. Non est eadẽ ò bona, sed ratio quadantenus communis est. Animat, uegetat, sensibile reddit corpus tuum anima tua. Idem agit scarabei anima in suo corpore. Nam quod quædam aliter, aut aliud agit anima hominis quàm scarabei, partim in causa est materia. Non canit, non loquitur scarabeus, quia caret organis ad hæc idoneis. F A B. Illud igitur

Stupidum. Hoc sentit Pythagoras, nec omnino dissimile ueri est.

dicis, si anima scarabei demigraret in corpus hominis, idem ageret quod agit anima humana. EV. Imò ne si mens quidem angelica quemadmodũ dixi. Nihil autem interest inter angelum & animã humanam, nisi quod hominis anima in hoc condita est, ut agat corpus humanum naturalibus organis instructũ, quẽadmodũ anima scarabei, nõ mouet nisi corpus scarabei, angelus non in hoc cõditus est ut animet corpus, sed ut absq; corporalibus organis intelligat. FA. Num idem potest anima? EVT. Potest quidẽ à corpore semota. FAB. Non est igitur sui iuris dum est in corpore. EV. Non profecto, nisi si quid accidat præter communem naturæ cursum. FA. Verum tu mihi pro una anima plures animas effudisti, animantem, uegetantem, sensibilem, intelligentem, memorẽ, uolentẽ, irascentem, cõcupiscentem. Mihi satis erat una. EV. Eiusdem animæ diuersæ sunt actiones, ex his uaria sortitur cognomina. FA. Non satis assequor quod dicis. EV. At faciam ut assequaris. Tu in cubiculo es uxor, in officina es textrix aulæorum, in taberna es aulæorũ uenditrix, in culina es coqua, inter famulos & famulas es domina, inter liberos es mater, & tamen hæc omnia es eadem in domo. FA. Satis tu quidem pingui Minerua philosopharis. Sic igitur est animus ĩ corpore, quẽadmodũ ego in domo? EV. Sic. FAB. Atqui dum ego texo in officina, non coquo in culina. EVT. Neque enim tu es anima tantum, sed anima corpus circunferens, corpus autẽ non potest simul pluribus inesse locis: anima quoniam est forma simplex, sic est in toto corpore, ut in singulis corporis partibus sit tota, quã-

quã

quã non idẽ agat per omnes partes, nec eodem modo per quomodolibet affectas. Nã ſapit ac meminit in cerebro, iraſcitur in corde, concupiſcit in epate, audit in auribus, cernit in oculis, olfacit in naribus, guſtat in palato & lingua, ſentit in omnibus corporis partibus, quæ neruaceũ aliquid habẽt adiunctũ. Neq; enim ſentit in pilis, nec ſummis unguibus, ac ne pulmo quidẽ per ſe ſentit nec epar, fortaſſe nec lien. F A B. Proinde in quibuſdã partibus animat tantũ ac uegetat. E V. Ita uidetur. F A. Si in uno homine facit hæc omnia eadem anima, cõſequitur ut fœtus in utero materno, ſtatim ut augeſcit, quod eſt uitæ ſignũ, ſimul & ſentiat & intelligat, niſi forte unius hominis initio plures ſunt animæ, deinde cæteris cedẽtibus, una peragit omnia: Ita ut primũ homo fuerit planta, mox animal, poſtremo homo. E V. Quod dicis, fortaſſe nõ admodũ abſurdũ uideatur Ariſtoteli. Nobis probabilius eſt, ſimul cum uita infundi rationalem animam, ſed quæ, uelut igniculus, immerſa materiæ ſupra modum humidæ nondum queat exerere uires ſuas. F A. Animus igitur illigatus eſt corpori quod agit mouetq; ? E V. Nõ aliter quàm teſtudo dum mouet quam circũfert. F A. Eam mouet quidem ſed ſic ut ſimul moueatur, quẽadmodum gubernator flectit nauẽ quô uult, ſed ipſe interim cum naui mouetur. E V. Imò quemadmodum ſciurus uoluit caueam rotatilem, mobilis interim & ipſe. F A B. Sic & afficit anima corpus ac uiciſſim afficitur? E V. Sanè quod ad operationes attinet. F A B. Ergo quod ad naturã pertinet, par eſt anima morionis, animæ Solomonis. E V. Nihil abſurdum.

FA. Itaq; pares sunt & angeli, quandoquidem carent materia, quæ parit, ut ais, inæqualitatem. EV. Iam satis philosophiæ. Quin potius hæc Theologos torqueant, nos hoc agamus quod cœpimus. Si tota mater esse uis, cura corpusculum infantuli tui, quo posteaquã sese explicuit ex uaporibus, mentis igniculus, bonis & commodis organis utatur. Quoties audis puerum tuum uagientem, crede illum hoc abs te flagitare. Quum uides in pectore tuo duos istos ueluti fonticulos turgidos, ac lacteo liquore uel suapte sponte manantes, crede naturam admonere te tui officij. Alioqui quum infans iam fari meditabitur ac blanda balbutie te mãmam uocabit, qua fronte hoc audies ab eo, cui mammam negaris, & ad conductitiam mammam relegaris, perinde quasi capræ aut oui subiecisses? Vbi iam erit fandi potens, quid si te pro matre uocet semimatrem? Virgam expedics, opinor. Atqui uix semimater est, quæ recusat alere quod peperit: potior genituræ pars est nutricatio teneri puelli. Alitur enim non solũ lacte, sed & fragrantia materni corporis: requirit eundem liquorem, iam notum & familiarem, quem hausit in corpore, & unde coaluit. Atq; ego quidem sum in hac sententia, ut existimem in pueris ex lactis natura & indolem uitiari, non aliter quàm in frugibus & plantis terræ succus mutat ingenium eius quod alit. An putas temere uulgò dici: Iste maliciam cum lacte nutricis imbibit? Ne illud quidem, opinor, quod à Græcis dici solet, ut nutrices, quum significant aliquẽ male pasci, paululum enim præmansi in os inserunt infantis, maximã partẽ deglutiunt

Mamma.

Digitized by Google

tiunt ipſæ. Proinde ne peperit quidē, quæ quod enixa eſt mox abijcit. Iſthuc enim abortire eſt, nō parere. Et in tales fœminas mihi competere Græcorum uidetur etymologia, qui μήτης dici putant à μὴ τηρῶν, hoc eſt à non ſeruando. Nam prorſus conductitiam nutricē infantulo adhuc à matre tepenti aſciſcere, genus eſt expoſitionis. FAB. Accederem, ni delecta eſſet mulier, in qua nihil deſideres. EV. Vt nihil referat, quod lac bibat mollis infantia, quam ſaliuam cum præmanſo cibo deglutiat, ut talis cōtigerit nutrix, qualem haud ſcio an ulla reperiatur, an putas ullam eſſe quæ nutricationis omne tædium deuorare poßit quemadmodum mater? ſordes, aſſeßiones, uagitus, morbos, ſeruandi nunquam ſatis diligentē curam? Si eſt quæ pariter amet ut mater, erit quæ pariter curet. Quin & illud fiet ut ſegnius amet te filius, natiua illa charitate uelut in duas matres diſtracta, nec tu ſimili pietate duceris erga filiū, ut iam grandior minus libenter ſit obtemperaturus iußis tuis, & tu frigidius illius curam habitura, in cuius moribus fortaſſe uidebis nutricem. Præcipuus autē diſcendi gradus eſt, mutuus inter docentē ac diſcentem amor. Ergo ſi nihil deceſſerit illi natiuæ pietatis fragrantiæ, facilius illi inſtillabis præcepta recte uiuendi. Neque enim hic parum ualet mater, uel ob hoc quod materiam tractet molliſſimam & in omnia ſequacem. FAB. Vt uideo, non tam facilis eſt res peperiſſe, quā uulgus exiſtimat. EVT. Si mihi parum habes fidei, en tibi Paulus aperte, de muliere loquens: Salua, inquit, fiet per liberorum generationem. FAB. Salua eſt igitur quæ pepe

Μήτης. 1. Timot. 2.

Digitized by Google

rit? EVT. Nequaquam, sed addit, si liberi permanserint in fide. Nondum absoluisti genitricis munus, nisi primum tenerum corpusculum filij, mox animum æque mollem recta educatione finxeris. FAB. Atqui isthuc matribus in manu non est, ut filij perseuerent in pietate. EVT. Fortasis, sed tantum habet momenti uigilãs admonitio, ut Paulus existimet matribus imputandum si liberi degenerent à pijs moribus. Deniq; si præstiteris quod in te situm est, deus opem suam cõiunget cum tua diligentia. FAB. Mihi quidem Eutrapele, tua persuasit oratio, si queas idem persuadere parentibus & marito. EVT. Isthuc ad me recipio, modo tu me tuo iuues suffragio. FA. Polliceor. EVT. Sed licét ne uidere puellum? FAB. Licet maxime. Heus Syrisca, uoca nutricem unà cum infante. EVT. Scitus admodũ puer. Vulgò dicitur ueniam deberi primum experienti. At tu prima statim experientia, summam artis expressisti. FAB. Non est sculptilis imago, ut arte sit opus. EV. Verum, sed fusile sigillum est. Vtcunq; res habet felicissime cecidit, utinam pari felicitate cadant imagines, quas intexis aulæis. FAB. At tu contra felicius pingis quam gignis. EVT. Sic uisum est naturæ cum omnibus paria facere. Quàm sollicita est natura ne quid percat. Duos homines in uno repræsentauit, nasus & oculi patrem referunt, frons ac mentum matrem exprimunt. An tu posses hoc tam charum pignus alienæ fidei concredere? Mihi bis crudeles uidentur esse quæ id facere sustinent. Quãdoquidem non solum faciunt id infantis, quem oblegant, periculo, uerumetiam suo, propterea

ptérea quod in his lac auersione corruptũ sæpenume-
ro periculosos morbos pariat. Itaq; fit, ut dũ unius for-
mæ corporis consulunt, parũ consulãt duorũ corporum
uitæ: dumq; cauent, ne contingat præproperũ senium
conijciunt sese in mortẽ præproperam. Quod est indutũ
puero nomen? F A. Cornelius. E V. Hoc erat nomen aui
paterni. Vtinam uirum integerrimum & moribus no-
bis referat. F A. Dabitur opera, quod quidem in nobis
erit. Sed heus Eutrapele, unum quiddam obnixe te roga
rim. E V. Imò puta me tuum esse mancipium, imperabis Manumittã.
& impetrabis quæ uoles. F A. Proinde nõ prius te ma- quia se dixerat
numittam, quàm hoc mihi beneficium cœptum absoluas. mancipium.
E V. Quod nam? F A B. Vt præscribas mihi primum,
quibus rationibus queam infantis ualetudini consulere,
deinde quum erit firmior, quibus rudimentis ad pietatẽ
præparãdus sit rudis animus. E V. Id faciã lubens pro
mea quidẽ sapiẽtia, sed proximo colloquio, nunc orator
adeo maritũ ac parentes. F A. Precor exorator ut sies.

PEREGRINATIO RELIGIONIS ERGO. Menedemus, Ogygius.

QVID hoc nouæ est rei? Nonne Ogygium uicinũ
meum uideo, iam totos sex menses non uisum cui-
quam? Interisse rumor erat. Ipsus est nisi prorsus hallu
cinor: Adibo ac saluere iubebo. Saluus, sis Ogygi. O G.
Salue & tu Menedeme. M E N. Quæ regio te nobis
reddidit incolumẽ? Nam tristis rumor hic sparserat, te
nauigasse Stygiam paludem. O G Y. Imò gratia superis,
sic interim ualui, ut uix unquam antehac melius. M E.
Ita semper uanitatis coarguas eiusmodi rumores. Sed

Imbricatis, id est, imbricũ specie uariatis. Vide Plinium lib. 9. ca. 33. de mira uarietate concharum.

quid isthuc ornatus est? obsitus es conchis imbricatis, stanneis ac plumbeis imaginibus oppletus undiq;, culmeis ornatus torquibus, brachium habet oua serpentũ. OGY. Visi diuum Iacobum Compostellanum, & hinc reuersus, uirginem Parathalassiam apud Anglos percelebrem, quin potius hanc reuisi. Nam ante annos tres inuiseram. MENE. Animi gratia, ut arbitror. OGY. Imò religionis causa. MENE. Istam opinor religionem docuerunt te Græcæ literæ. OGY. Mater uxoris uoto sese obstrinxerat, ut si filia peperisset masculum uitalem, ego diuo Iacobo præsens præsenti salutem dicerem, & gratias agerem. MENEDE. Salutasti diuum tuo duntaxat & socrus nomine? OGY. Imò totius familiæ uerbis. MENEDEMVS. Equidem arbitror nihilo minus salutis futurum fuisse familiæ, etiam si Iacobum insalutatum reliquisses. Sed obsecro, quid respondit agenti gratias? OGYGI. Nihil, sed offerenti munus, uisus est arridere, & capite leuiter annuere, simulq; porrexit hoc imbricatum putamẽ. MENEDEMVS. Quur ista potius donat quàm alia? OGY. Quoniam his abundat, suggerente uicino mari. MENEDE. O benignum diuum, qui & obstetricatur etiam parturientibus, & operam dat hospitibus. Verum quodnam isthuc nouum uouendi genus, ut ocioſus alijs laborem imponat aliquis? Si tu te uoto astringeres, ut si quod ageres feliciter cederet, ego ieiunarem bis in hebdomade, an credis me facturum quod uouisses? OGY. Non credo, etiam si tu ipse tuo nomine uouisses. Nam tibi diuis os oblinere ludus est. At so-

Culmeis, e stramine factis.

Oua serpentũ. significat globulos, quibus utuntur ad numerandas preces. Sic enim oua serpẽtium quum prodeunt colligerẽt.

Os oblinere pro fallere, uide Chiliades.

crus

erus est, mos gerendus erat. Nosti mulierum affectus, et mea quoq; refercbat. M E. Si non præstitisses uotum, quid erat periculi? O G. Non poterat me diuus uocare in ius, fateor: sed poterat in posterum esse surdus ad uota mea, aut tacitus aliquid calamitatis immittere in meã familiam. Nosti principum mores. M E. Dic mihi, quid ualet agitq; uir optimus Iacobus? O G. Multo frigidius solito. M E. Quid est in causa, senium? O G. Nugator, scis diuos non senescere. Verum hæc noua persuasio, quæ late per orbem diuagatur, facit, ut infrequentius salutetur solito: & si qui ueniunt, salutant tantũ, nihil aut quàm minimum donant, dictitantes eam pecuniã rectius collocari in egenos. M E N E. Impia persuasio. O G. Itaque tantus apostolus, qui solet totus gemmis & auro fulgere, nunc stat ligneus, uix sebaccam habens candelam. M E N E. Si uerum est quod audio, periculum est, ne reliquis idem diuis ueniat usu. O G Y. Imò circũfertur epistola, quam hac de re scripsit ipsa uirgo Maria. M E N E D E. Quæ Maria? O G Y. Quæ cognomen habet à lapide. M E N E. Apud Rauracos, ni fallor. O G Y. Ea est. M E N E. Cui scripsit? O G. Nomẽ ipsa indicat epistola. M E N E. Per quem missa est? O G Y. Haud dubie quin per angelũ, qui posuerat scriptam in suggesto, unde concionatur is, ad quem scripta est. Et ne quid fraudis suspiceris, uidebis epistolam αὐτόγραφον. M E N E D E. Itá ne agnoscis manum angeli, qui est uirgini ab epistolis? O G. Quid ni? M E N E D E. Quo tandem argumento? O G Y. Legi epitaphiũ Bedæ, quod ab angelo insculptũ est: elementorum

Impia persuasio. Ironia est. quum sit admodum pia.

αὐτόγραφον, id est ab ipso scriptã, quẽ admodum oracula dicuntur αὐτόφωνα ab ipso deo recdita uoce. Virgilius. Ipsa canas oro.

figuræ

figuræ per omnia cõgruunt. Legi & ſyngraphã Aegidio miſſam: Congruunt. An non hæc ſatis arguunt rem? M E. Fas ne eſt inſpicere? O G. Fas, ſi deieres te tacitu-
rum. M E. Oh lapidi dixeris. O G. Iam ſunt & lapides hoc nomine infames, quod nihil cælent. M E. Muto igi
tur dicito, ſi lapidi parum fidis. O G. Hac lege recita-
bo, tu fac utranq; arrigas aurem. M E N. Arrexi. O G.
Maria mater Ieſu Glaucopluto S.D. Quod Lutherum
ſequutus ſtrenuc ſuades, ſuperuacaneum eſſe, inuocare di
uos, à me quidem iſto nomine bonam magnamq; inuſti
gratiam, ſcito. Nam antehac tantum non enecabar im-
probis mortalium opplorationibus. Ab una poſtulaban-
tur omnia, quaſi filius meus ſemper infans eſſet, quia ta
lis fingitur pingiturq; in ſinu meo, ut ex nutu matris
adhuc pẽdeat, neq; qcquã auſit negare petẽti, uidelicet
metuens, ne ſi quid neget roganti, ego uicißim ipſi negẽ
mammam ſitienti. Et nonnunquam ea petunt à uirgine,
quæ uerecundus iuuenis uix auderet petere à læna, quæq;
me pudet literis committere. Interim negociator lucri
cauſa nauigaturus in Hiſpaniam, committit mihi pudici
tiam ſuæ concubinæ. Et uirgo deo ſacra, abiecto uelo fu
gam adornans, deponit apud apud me famam integrita-
tis ſuæ, quam ipſa tendit proſtituere. Occlamat mihi mi-
les impius, & ad lanienam conductus: Beata uirgo da
prædam opimam. Occlamat aleator: Fauc diua, pars lu-
cri tibi decidetur. Et ſi parum faueat alea, me conuicijs
lacerant, maleq; precantur, quæ non adfuerim ſceleri.
Occlamat quæ quæſtui turpi ſemet exponit: Da prouen-
tum uberem. Si quid negem, ilico reclamant, ergo ne ſis
mater

Nota eſt fabula, de Carolo magno, cui quũ deſperaret ueniam admiſſorũ S. Aegidius impetrauit ſyngraphã ab angelo cõtinentẽ hunc ueſiculũ, Aegidij merito, Caroli peccata remitto.

Lapides hoc nomine ĩfames, ſentit de Lydio lapide, qui dicit index. Is prodit aurũ ſubæratũ aut imitaticiũ. Lege apud Ouidium fabulã de Batto in lapidẽ uerſo.

Digitized by Google

mater misericordiæ. Aliorum uota non tam impia sunt, quàm inepta. Clamat innupta: Maria da mihi formosum ac diuitem sponsum. Clamat nupta: Da mihi bellos catulos. Clamat grauida: da mihi facilem partum. Clamat anus: da diu uiuere sine tussi sitiq;. Clamat senex delirus: da repubescere. Clamat philosophus: da nodos insolubiles nectere. Clamat sacerdos: da sacerdotium opimum. Clamat episcopus: serua meam ecclesiam. Clamat nauta: da prosperos cursus. Clamat præfectus: ostende mihi filium tuum antequàm moriar. Clamat aulicus: da uere confiteri in mortis articulo. Clamat rusticus: da tempestiuam pluuiam. Clamat rustica, serua gregem & armentum incolume. Si quid renuo, ilico sum crudelis. Si relego ad filium, audio: uult ille quicquid tu uis. Ità ne ego sola, & mulier & uirgo dabo operam, nauigãtibus, belligerantibus, negociantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, regibus, & agricolis? Atqui quod dixi minimum est præ his quæ patior. Sed his negocijs nunc multo minus grauor, quo quidẽ nomine tibi gratias agerem maximas, nisi commodum hoc incommodum maius secum traheret: plus est ocij, sed minus est honorũ, minus est opũ. Ante salutabar regina cœlorum, domina mundi, nũc uix à paucis audio: Aue Maria. Ante uestiebar gemmis & auro, abundabãmutatorijs, deferebantur aurea gemmeaq; donaria: nũc uix tegor dimidiato palliolo, eoq; corroso à muribus: Prouentus autem annui uix tantum est, ut alam miserum ædituum, qui accendat lucernulam aut candelam sebaceam. Atque hæc tamen poterant ferri, ni maiora etiam moliri

Aedituũ, quẽ ueteres ut inditum Varro æditimũ uocabant. Custos erat tuẽdæ sacræ ædis.

Digitized by Google

moliri dicereris. Huc tẽdis, ut aiũt, ut quicquid usquam est diuorum, exigas ex ædibus sacris. Etiam atq; etiam uide quid agas. Non deest alijs diuis, quo suam ulciscantur iniuriam. Eiectus è templo Petrus, potest tibi uicissim occludere regni cœlestis ostium. Paulus habet gladiũ. Bartholomeus cultro armatus est. Guilhelmus sub pallio monachi totus armatus est, non sine graui lãcea. Quid autem agas cum Georgio & equite & cataphracto, hasta simul & gladio formidabili? Nec inermis est Antonius, habet sacrũ ignem. Sũt itẽ & cæteris sua uel arma uel mala, quæ quibus uolunt immittũt. Me uero quantumuis inermẽ, non tamen eijcies, nisi simul eiecto filio, quem ulnis teneo. Ab hoc non me patiar di uelli: aut hunc unà mecum extrudes, aut utrunq; relinques, nisi mauis habere templũ sine Christo. Hæc te scire uolui. Tu cogita, quid mihi respondendum censeas. Nam mihi planè res cordi est. Ex ædẽ nostra lapidea, Calend. Augu. Anno filij mei paßi 1524.

Cataphracto. i. graui armatura munito.

Habet sacrum ignẽ, hoc enim nomine sanctũ illum amabilem reddidere formidabilẽ, quem admodum Ioannem Baptistam præter alios, morbo comitiali, Hubertum, hydrophobo, item alios alijs malis. Et hæc uertimus ĩ quæ sũt nostrum, cuius studiosiores sumus, quam seruandarum animarum.

Beata uirgo mea manu subscripsi.

MENEDEMVS. Minax profecto ac formidabilis epistola. Cauebit opinor Glaucoplutus. OGY. Si sapit.

MEN. Quam ob rem non eadem de re scripsit huic optimus ille Iacobus. OGY. Nescio, nisi quod longius abest, & his temporibus intercipiuntur omnes epistolæ. MEN. Sed quis deus te redegit in Angliam? OG. Ventus illuc inuitabat, mire secundus, atque id propemodum eram pollicitus diuæ Parathalaßiæ, me post biennium ipsam reuisurum. MEN. Quid petiturus ab illa? OG. Nihil noui, nisi illa uulgaria, familiam incolumem,

Digitized by Google

mẽ, rem uberiorem, longæuam lætamq; tuitam in hoc seculo, & perẽnem felicitatem in futuro. M E N. Nõ poterat eadem præstare uirgo mater apud nos? Habet Antuerpiæ templum longe augustius, quàm in Parathalaßo. O G. Haud nego posse, uerum alijs in locis alia largitur, siue sic uisum est animo illius, siue ut est benigna, semet in hoc nostris affectibus accõmodat. M E. De Iacobo frequẽter audiui, sed obsecro te, describe mihi regnũ istius Parathalaßiæ. O G. E quidẽ expediã quàm potero pauciſſimis. Celeberrimum nomen est per unuersam Angliam. Nec temere reperias in ea insula, qui spere't res suas fore saluas, quin illam quotãnis aliquo munusculo pro facultatum modulo salutarit. M E N E. Vbi habet? O G Y. Ad extremum Angliæ finem inter occidentem & septentrionem, haud procul à mari, passuum ferè tribus milibus. Vicus est uix alia re uictitãs, quàm commeantium frequentia. Collegium est canonicorum, sed quibus à Latinis regulæ cognomẽ additur, medium genus inter monachos & canonicos, quos secu lares appellant. M E N. Amphibios mihi narras, quod genus est fiber. O G Y. Imò & crocodilus. Sed omißis cauillis, tribus uerbis expediam quod uis. In odioſis canonici sunt, in fauorabilibus monachi. M E N E. Adhuc mihi quidem ænigma refers. O G Y. Quin addam apodixin mathematicam. Si Romanus Pontifex ſulmine feriat omnes monachos, tum canonici fuerint non monachi. Sin idem permittat omnibus monachis uxorem ducere, tum fuerint monachi. M E N E. O nouos fautores, utinam abducant & meam. O G Y. Sed ut ad rem:

ἀπόδειξις, demonſtratio, quæ ꝓprie fit mathematicis ꝑ literas depictas.

rem: Collegium hoc uix alios habet prouentus, quàm ex liberalitate uirginis. Nam maiora quidem donaria seruantur. Cæterum si quid est numorum, aut leuioris precij, cedit in alimoniã gregis & præfecti, quem illi priorem uocãt. M E N. Probæ uitæ? O G Y. Nõ illaudatæ, pietate ditiores, quàm annuo censu. Templum est nitidũ & elegans, uerum in eo non habitat uirgo, sed illud honoris gratia cessit filio. Illa suum habet templum, ut dextra sit filio. M E. Dextra? Quò igitur spectat filius? O G Y. Bene mones: Quum occidentem spectat, dextrã habet matrem: Vbi se uertit ad solis exortũ, sinistra est. Nec hic tamen habitat, nondum enim ædificium est absolutũ, & locus est undiq; penetrabilis, patentibus ostijs, patentibus fenestris, & in propinquo est oceanus uẽtorum pater. M E N. Dutum, ubi igitur habet illa? O G. In eo templo, quod inabsolutum dixi, est sacellum angustum ligneo tabulatu constructum, ad utrunq; latus per angustum ostiolum admittens salutatores. Lumẽ est exiguũ, nec ferè nisi cereis, fragrat odor naribus gratissimus. M E. Hæc omnia congruunt religioni. O G Y. Imò si introspicias Menedeme, dicas diuorum esse sedẽ, adeo gemmis, auro, argentoq; nitẽt omnia. M E. Accendis animum, ut eò me conferam. O G Y. Haud pœnitue rit itineris. M E N. Nihil est illic olei sacri? O G. Ineapte. Oleum istud non resudat nisi è sepulchris diuorum. uelut Andreæ, & Catarinæ. Maria sepulta nõ est. M E. Erraui, fateor. Sed absolue fabulam. O G Y. Quo latius se spargat religio, alia alijs locis ostendũtur. M E. fortassis ut uberior sit largitio, iuxta illud: Fit cito per mul

Digitized by Google

per multas præda petita manus. O G. Et nusquam non præsto sunt mystagogi. M E. Ex canonicis? O G. Nequaquam, illi non adhibentur, ne per occasionē religionis alienentur à religione, ac dum obseruant uirginem, parum ipsi consulant suæ uirginitati. Tantum in intimo sacello, quod dixi cōclaue diuæ uirginis, adstat altari canonicus quidam. M E. In quem usum? O G. Vt recipiat seruetq; quod datur. ME. An dāt qui nolint? OG. Minime, sed nōnullos pius quidam pudor huc adigit, ut dent astante quopiā, non daturi, si testis abesset: aut largius dant aliquāto, quàm erāt daturi. M E. Affectū hu manū dicis, & mihi nō inexpertū. O G. Imò uero sunt quidā adeo dediti sanctißimæ uirgini, ut dum simulant sese munus imponere altari, mira dexteritate suffurētur quod alius posuerat. M E. Fac nullū adstare, an non in tales ilico fulminaret uirgo? O G. Qui magis id faceret uirgo, quàm ipse pater æthereus, quē non uerentur nudare suis ornamētis, uel perfosso templi pariete? M E. Non satis mihi constat, utrum magis debeam admirari, illorum ne impiam confidentiā, an dei lenitatem. O G. Ad latus itaq; septentrionale porta quædam est, nō templi, ne quid erres, sed septi, quo tota clauditur area templo adiacens. Ea ostiolum habet perpusillum, quale uidemus in ualuis nobilium, ut qui uelit ingredi, primum tibiā periculo exponere cogatur, deinde caput etiā submittat. M E. Profecto tutū nō fuerit ad hostem ingredi per tale ostiolū. O G. Recte cōiectas. Narrabat mystagogus olim uirū equestris ordinis, equo insidentē, per hoc ostium elapsum è manibus inimici, qui iam fugienti

imminebat. Ibi miser desperans sui, subita cogitatione salutem suam commendauit diuæ uirgini quæ erat in proximo. Nam ad huius aram fugere decreuerat si ualuæ patuissent. Et ecce rem inauditam: Subito totus eques erat intra septa templi, altero frustra foris insaniente. M E. Et faciebat tam admirandæ narrationis fidem? O G Y. Maxime. M E. Id quidem non admodum facile apud te hominem philosophum. O G. Ostendebat in ostio laminam cupream infixam, quæ habebat imaginem equitis seruati, eoq; cultu quo tunc Anglica gens utebatur: quem & in uetustioribus picturis uidemus, quæ si non mentiuntur, frigebant id ætatis tonsores, & qui pannos tingunt ac texunt. M E N. Qui sic? O G. Quia barbatus erat, non aliter quàm capræ, & uniuersa uestis nullam habebat rugam, adeoq; non erat maior corpore ut strictu corpus ipsum redderet angustius. Erat & altera lamina, cellæ figuram ac magnitudinem referens. M E. Iam dubitare fas non erat. O G. Subter ostiolum erat cratis ferrea, quæ peditem tantum transmitteret. Non conueniebat ut equus post, eum calcaret locum, quem prior eques uirgini consecrasset. M E. Et merito. O G. Hic ad orientem est sacellum prodigijs plenum. Eò me confero. Excipit alius mystagogus. Illic orauimus pauliſper. Mox exhibetur nobis articulus humani digiti, è tribus maximi: Exoſculor: Deinde rogo cuius sint reliquiæ. Ait sancti Petri. Num Apostoli, inquam? Aiebat. Deinde contemplans magnitudinem articuli, qui gigantis uideri potuerit: Oportuit, inquam, Petrum fuisse uirum prægrandi corpore. Ad hanc uocem

Digitized by Google

cem è comitibus quidam in cachinnũ ſolutus eſt: Id certe moleſte tuli. Nam ſi is ſiluiſſet, ædituus nos nihil cælaſſet reliquorum. Eum tamen utcunq; placauimus datis aliquot drachmis. Ante ædiculam erat tectum, quod aiebat hyberno tempore, quum nix obtexiſſet omnia, eò ſubito fuiſſe delatum è longinquo. Sub eo tecto putei duo, ad ſummum pleni, fontis uenam aiunt eſſe ſacram diuæ uirgini, liquor eſt mire frigidus, efficax medicãdo capitis ſtomachiq; doloribus. M E. Si frigida medetur doloribus capitis & ſtomachi, poſthac & oleum extinguet incẽdium. O G. Miraculum audis ò bone. Alioqui quid eſſet miraculi, ſi frigida ſedaret ſitim? M E N. Et iſta ſanè eſt una pars fabulæ. O G. Affirmabãt eum fontem derepente proſiliſſe è terra iußu ſanctiſſimæ uirginis. Ego cuncta diligenter circũſpiciens, rogabam quot eſſent anni, quod ea domuncula fuiſſet eò deportata, dixit aliquot ſeculà. Alioqui parietes, inquam, non præ ſe ferũt aliquid uetuſtatis. Nõ repugnabat. Ne columnæ quidem hæ ligneæ. Non negabat eſſe nuper poſitas, & res ipſa loquebatur. Deinde hæc, inquam, tecti culmea arundineaq; materia uidetur eſſe recentior. Aſſentiebatur. Ac ne trabes quidem hæ, inquam, tranſuerſæ, nec ipſa tigna quæ culmos ſuſtinent, uidentur ante multos annos poſita. Annuebat. Atqui quum iam nulla caſæ pars ſupereſſet, Vnde igitur conſtat, inquam, hanc eſſe caſulam illam è longinquo delatam? ME. Obſecro quomodo ſeſe ab hoc nodo expediebat ædituus? O G Y. Scilicet incontanter ille oſtendit nobis peruetuſtam urſi pellem tignis affixam, ac propemodum irriſit noſtram

tarditatem, qui ad tam manifestum argumentum non haberemus oculos. Itaq; persuasi, & tarditatis culpam deprecati, uertimus nos ad cœleste lac beatæ uirginis. M E. *O matrem filij similimam, ille nobis tantum sanguinis sui reliquit in terris, hæc tantum lactis, quantum uix credibile est, esse posse uni mulieri uniparæ, etiam si nihil bibisset infans.* O G. *Idem causantur de cruce domini, quæ priuatim ac publice tot locis ostenditur, ut si fragmẽta conferantur in unum, nauis onerariæ iustum onus uideri posint. Et tamen totam crucem suam baiulauit dominus.* M E. *An non tibi quoq; mirum uidetur?* O G. *Nouum fortasse dici posit, mirum nequaquam, quũ dominus qui hæc auget pro suo arbitrio, sit omnipotens.* M E. *Pie tu quidẽ interpretaris, at ego uereor ne multa talia fingãtur ad quæstum.* O G. *Non arbitror deum passurum si quis ipsum ad istum irrideat modum.* M E. *Imò quum à sacrilegis spoliatur & mater & filius & pater & spiritus, ne tantulum quidẽ sese cõmouent interdum, ut uel nutu uel crepitu deterreant scelestos. Tanta est numinis lenitas.* O G. *Sic est, sed audi reliqua. Id lac seruatur in altari summo, in cuius medio Christus, ad dextrã mater honoris gratia. Lac enim matrem repræsentat.* M E. *Conspicuum est igitur?* O G. *Videlicet incluſum crystallo.* M E. *Liquidum igitur?* O G. *Quid liquidum mihi narras, quum fusum sit ante annos mille quingẽtos? Concretum est: dicas cretam tritam, albóq; oui temperatam.* M E. *Quin igitur nudum ostentant?* O G. *Ne cõtaminetur uirorum osculis lac uirgineum.* ME. *Probe dicis. Nam sunt opinor qui os admoueant*

moueant nec purum nec uirgineum. O G. Vbi nos uidet myſtagogus accurrit, lineam ueſtem induit, ſacram ſtolam addidit ceruici, procubuit religioſe & adorauit. Mox nobis lac ſacroſanctũ oſculãdum porrexit. Hic in extremo altaris gradu religioſe procubuimus & ipſi. Et Chriſto primũ ſalutato, uirginem oratiuncula tali, quam in hoc ipſum pararam, appellauimus. Virgo parẽs quæ tuis uirgineis uberibus lactare meruiſti cœli terræq; dominum filium tuum Ieſum, optamus, ut illius ſanguine purificati, proficiamus & nos ad felicẽ illam infantiam rationabilẽ, quæ neſcia maliciæ, fraudis ac doli, lac Euangelicæ doctrinæ concupiſcit aſsidue, donec proficiat in uirum perfectum, in menſurã plenitudinis Chriſti, cuius felici conſortio frueris inæternum, cum patre & ſpiritu ſancto. Amen. M E N. Pia ſanè deprecatio. Quid illa? O G. Viſus eſt utcrq; annuere, niſi me fallebant oculi. Nam ſubſilire uidebatur ſacrum lac, & candidior aliquanto affulgebat Euchariſtia. Interim myſtagogus ad nos acceſsit, tacitus quidẽ, ſed tabellam porrigens, qualem apud Germanos offerunt, qui in pontibus telos exigunt. M E. Equidẽ ſæpenumero male precatus ſum illis petacibus tabellis, quum per Germaniam iter facerem. O G. Dedimus drachmas aliquot, quas ille obtulit uirgini. Mox per interpretẽ eius linguæ pulchre peritũ, & iuuenem blandæ cuiuſdam eloquentiæ, nomen erat, ni fallor, Robertus Aldriſius, percontatus ſum quàm potui ciuiliſsime, quibus argumentis cognitum haberet, hoc eſſe lac uirginis. Id ego ſanè pio ſtudio ſcire cupiebam, quo poſſem impijs quibuſdam, hæc omnia ridere ſolitis, os

Precatio ad uirginem matrem.

Telos, τέλος, Id eſt tributum, ſiue uectigal.

Digitized by Google

Mystagogus, q ostēdit arcana, qui & hierophanta dicitur.

obturare. Primum mystagogus obducta fronte obticuit, iussi ut interpres instaret, sed blandius etiam. Ille uero blandissime, adeo ut si matrē ipsam nuper puerperam tā libus ucrbis appellasset, non fuerit ægre latura. Ille uero tanquam afflatus numine quopiā, nos intuens oculis stu pentibus, ac ueluti horrore uocem blasphemā execrāti= bus, quid opus, inquit, ista percontari, quum habeatis ta bulam authenticam? Et omnino uidebatur nos ut hæreti cos eiecturus, nisi drachmæ deliniſſent hominis ferociā. M E. Quid uos interim? O G. Nos quid censes? Non aliter quàm fuste icti aut fulmine tacti, nosmet illinc sub= duximus, suppliciter audaciæ ueniam cōprecati. Sic enim cōuenit in rebus sacris. Inde proficiscimur ad ædiculam, hospitium diuæ uirginis. Huc euntibus aperit sese quidā mystagogus ex illis minoribus, nosq; ueluti noscitās in= tuetur, aliquantulū progressis occurrit alius, itidem con templans nos, post etiā tertius. M E. Fortasse cupiebāt te pingere. O G. At ego lōge diuersum suspicabar. M. Quid isthuc? O G. Sacrilegū quēpiam suppilasse nōni= hil ex mundo sacræ uirginis, & in me suspicionē inten tam esse. Itaq; sacellū ingressus, tali precatiuncula saluto matrē uirginem: O sola fœminarum omnium mater & uirgo, mater felicissima, uirgo purissima, nunc te puram impuri uisimus, salutamus, donariolis nostris utcunq; co limus, utinam donet nobis filius tuus, ut sanctissimos tuos mores imitantes, mereamur & nos per spiritus sancti gratiam spiritualiter dominum Iesum intimis animi ui= scerimus concipere, semelq; conceptum nunquam amit= tere. Amen. Simulq; exosculatus aram, deposui drachmas aliquot,

Ex mundo, ex ornamētis. Dicitur autē mūdus muliebris.

Alia precatio.

Digitized by Google

aliquot, & abij. M E. Quid hic uirgo? Nullo ne nutu dedit signum auditæ precatiunculæ? O G. Lumen, ut dixi, erat ambiguum, & illa stabat in tenebris ad dextrum latus altaris. Postremo me sic deiecerat oratio prioris mystagogi, ut non auderem oculos attollere. M E. Istius igitur profectionis non erat admodum lætus exitus. O G. Imò multo lætissimus. M E N. Reddidisti animum, nam mihi quoque cor in genua decidebat, ut tuus loquitur Homerus. O G. A prandio repetimus templum. M E N. Audebas suspectus sacrilegij? O G. Fortassis, sed ipse mihi suspectus non eram. Nescit pauorem mens sibi bene conscia. Trahebat me tabulæ uisendæ cupiditas, ad quam mystagogus nos relegarat. Eam diu quæsitam tandem inuenimus, uerum in alto defixam, ut non à quibuslibet oculis legi posset. Mihi tales sunt oculi, ut nec Lynceus dici possim, nec omnino luscitosus. Itaque legentem Aldrisium oculis obiter assectatus sum, nec illi satis fidens in re tanta. M E. Excussa est omnis dubitatio? O G Y. Puduit me mei, qui subdubitassem, adeo res tota illic ponebatur ob oculos, nomen, locus, res ut erat ordine gesta: Breuiter, nihil omissum. Dictus est Guilhelmus Lutetiæ natus uir pius, quum aliâs, tum præcipue religiosus in conquirendis toto orbe diuorum reliquijs. Is peragratis regionibus plurimis, monasterijs ac templis, undiq; lustratis, tandem peruenit Constantinopolim. Nam huius Guilhelmi frater illic agebat episcopum. Is iam adornantem reditum, admonuit esse uirginem quandam deo dicatam, quæ lac haberet uirginis matris, abunde

Cor in genua. Est Iliados O. τάρβησαμ, πᾶσι δὲ πα ρὰ φρσὶ κάτω πεσε θυμός. Id est, Expauerunt, omnibus autem in pedes decidit animus.

felicem futurum, si uel precario, uel precio, uel arte portionem aliquam posset nanciſci. Nam cæteras reliquias omnes, quas hactenus collegerat, nihil esse ad tam sacrũ lac. Ibi Guilhelmus non conquieuit, donec exorat dimidium eius lactis. Eo thesauro plus quàm Crœsus sibi uidebatur. M E. *Quid ni, & quidem præter spem?* O G. *Rectà domum properat, in itinere morbus occupat.* M E. *Vt nihil est in rebus humanis nec diu, nec undiquaque felix.* O G. *Vbi uidet periculum, accersit clàm Gallum, fidißimum eius peregrinationis comitẽ. Et religioſe ſtipulatus ſilentium, cõmittit illi lac, hac lege, ut ſi incolumis domum redeat, deponat eum theſaurum in ara diuæ uirginis, quæ colitur Lutetiæ in augusto templo, utrinq; Sequanam præterlabentẽ intuens: & amnis ipſe uidetur honoris gratia decedere numini uirginis. Vt rem in pauca conferam: ſepultus eſt Guilhelmus, alter properat. Et hunc morbus corripit. Is deſperans ſui, tradit Anglo comiti lac, ſed multis obteſtationibus aſtricto, ut faceret, quod fuerat ipſe facturus. Moritur hic, recipit ille, & in aram deponit lac canonicis eius loci præſentibus, qui tum temporis adhuc dicebãtur regulares, quales adhuc ſunt apud diuam Genouefam. Ab his impetrauit lactis dimidium. Id delatum in Angliam, tandem in Parathalaßum detulit, huc uocante mentem illius afflatu ſpiritus.* M E. *Pulchre certe ſibi conſtat hæc narratio.* O G. *Imò ne qua reſidere poſſet dubitatio, aſcripta erant nomina epiſcoporum à ſuffragijs, qui lac illud inuiſentibus non abſq; munuſculo, tantum impartierunt relaxationis, quantum ex ſuo dimenſo largiri poßunt.*

Ex ſuo dimẽſo, id eſt, ex modo præſcripto. Romanus enim põtifex e dolio ꝓmit, epiſcopis certus modus præſcriptus eſt.

M E.

Digitized by Google

ME. Quantum id est? OG. Dierũ quadraginta. ME. Etiam apud inferos dies est? OG. Certe tẽpus est. ME. Vbi totum hoc dimensum semel fuerint elargiti, non superest quod largiantur? OGY. Minime. Subscatet enim subinde quod dent, ac planè diuersum quiddam accidit hic, atq; in dolio Danaidum. Illud enim quum cõtinenter impleatur, semper tamẽ inane est. Hinc si semper haurias, nihilo tamen minus est in dolio. ME. Si centum hominum milibus largiantur quadraginta, singuli tantũdem habent? OG. Tantundem. ME N. Et si qui ante prandium acceperunt quadraginta, rursus sub cœnam poscerent quadraginta, præstò ne esset quod daretur? OG. Imò si hora eadem decies. ME. Vtinam mihi tale scriniolũ esset domi, non optarim nisi tres drachmas, modo sic scateant. OGY. Quin optas, ut totus fias aureus, tantundem accepturus ex uoto. Verum ad tabulam redeo. Addebatur & illud, pij cuiusdam candoris argumentum: lac uirginis, quod alijs compluribus in locis ostendebatur, satis quidem esse uenerandum, hoc tamen cæteris esse uenerabilius, quod illa abraderentur à saxis, hoc ex ipsis uirginis uberibus effluxisset. ME. Vnde id constabat? OG. Oh, narrarat hoc uirgo, quæ lac dederat. ME. Et illi fortasse communicarat diuus Bernardus. OG. Sic arbitror. ME. Cui natu grandi contigit gustare lac ex eadem mamma, quàm suxit puer Iesus. Vnde miror, illum mellisluum dici potius quàm lactisluum. Sed quomodo lac uirginis dicitur quod nõ fluxit ex uberibus? OG. Fluxit & illud, sed saxo, cui forte lactans insidebat, exceptum concreuit, deinde uolente

Apud inferos. Nam ad purgatoriũ nunc pro rogãt dies, ubi nullus est dies, & tamen dies uocant.

Danaidum dolium. Vide prouerbium.

deo sic multiplicatum est. ME. Recte. Perge. OG. His itaq; peractis, dum paramus abitum obambulantes interim, & si quid offerretur spectatu dignum circumspectantes, rursum adsunt mystagogi, limis intuentur, digito subnotant, accurrunt, abeunt, recurrunt, nutant, videbantur compellaturi, si fuisset audaciæ satis. ME. N. Nihil ibi metuebas? OG. Imò faciem illis obuerti, sic arridens & intuens, quasi ad compellandũ inuitarem. Tandẽ unus aggressus, rogat quod mihi nomen esset. Aedo. Num is essem, qui ante biennium affixisset uotiuam tabellam literis Hebraicis. Fatebar esse me. ME. Scribis Hebraice? OG. Minime, sed isti quicquid nõ intelligũt, Hebraicum uocant. Mox accersitus, ut conijcio, uenit illius collegij πρῶτος ὑστερῶν. ME. Quod istuc dignitatis nomen est? Non habent abbatem? OG. Non. ME. Quur ita? OGY. Quia nesciunt Hebraice. ME. Nõ episcopum? OG. Nequaquam. ME. Quamobrem? OGY. Quia uirgo pauperior etiamnum est, quàm ut emat pedum ac mitram nimio uenalem. ME. Non saltem præpositum? OG. Ne id quidem. ME. Quid obstat? OG. Quia præpositus dignitatis est nomẽ, non sanctimoniæ. Et ideo canonicorum collegia nomen abbatis reijciunt, præpositi libenter amplectuntur. ME. Atqui πρῶτον ὕστερον antehac audiui nũquam. OG. Næ tu magnopere rudis es grãmatices. ME. ὑστερόπρωτον noui in tropis. OG. Tenes. Hic qui Priori proximus est, Prior est posterior. ME. Suppriorem dicis. OG. Is me salutauit satis humaniter. Narrat quantopere sudatum sit à multis, ut uersus eos legerẽt, quot frustra extersa cõspicilla.

Limis, id est, oculis obliquis ac semiclausis, quomodo se aspici leones indignantur.

Quoties

Quoties aduenisset aliquis uetustus theologiæ aut iuris doctor, adductus est ad tabellam, alius dicebat esse literas Arabicas, alius fictitias. Tandem repertus est, qui legeret titulum. Is descriptus erat uerbis ac literis Romanis, sed maiusculis. Græci uersus erant descripti Græcis maiusculis, quæ prima specie uidentur referre mauusculas Latinas. Rogatus descripsi sententiam carminũ Latine, uerbum uerbo reddens. Huius opellæ quum præmiolum oblatum constanter recusarem, affirmans nihil esse tam arduum, quod in uirginis sanctissimæ gratiã non essem cupidissime facturus, etiã si literas iuberet illinc perferre Hierosolymam. MENE. Quid opus te grammatophoro, quum illi tot angeli adsint à manibus atq; à pedibus? OGY. Ille protulit è crumena ligni fragmentum desectum è trabe, in qua uirgo mater uisa est consistere. Odor mirus protinus arguebat esse rem oppido sacram. Ego uero tam insigne munus pronus & nudato capite, summa cum ueneratione terq; quaterq; exosculatus reposui in crumenam. MENE. Licét ne uidere? OGY. Per me quidem licebit, cæterum si ieiunus non es, aut si nocte proxima fuit tibi res cum uxore, non suaserim, ut uideas. MENED. Ostende, nihil periculi. OGY. En tibi. MENED. O te beatum isto munere. OG. Ego, ne sis insciens, non permutarim hoc tantillum fragmentulum cũ uniuerso auro Tagi. Includam auro, sed sic ut per crystallum pelluceat. Tum Hysteroprotus ubi me uidet tã religiose gestientem eo munusculo, iudicans non indignum, cui maiora quoq; cõmitterentur, rogat, num quando uidissem secre-

Auro Tagi. Tagus iter fluuios aurificos commemoratur.

Digitized by Google

ta uirginis. Ea uox me nonnihil commouit, nõ tamen au sus sum percontari, quæ diceret secreta uirginis. Siquidẽ in rebus tam sacris etiã linguæ lapsus non uacat pericu lo. Nego me uidisse, sed uidendi cupidissimũ esse dico. Inducor iam uelut afflatus numine. Accenditur una atq; altera tæda cerata, ostenditur imaguncula nec magnitu dine, nec materia, nec opere præcellens, sed uirtute pol lens. ME N. Moles non multũ habet momenti ad ædẽ da miracula. Vidi Christophorum Lutetiæ non hama xiæum aut colossæum, sed monti iusto parẽ, nullis tamẽ illic miraculis nobilẽ, quod quidem audierim. OGY. Ad pedes uirginis est gemma, cui nondũ apud Latinos aut Græcos nomen inditũ, Galli à buffone dedere nomẽ, eo quod buffonis effigiem sic exprimat, ut nulla ars idem poßet efficere. Quoq; maius est miraculũ pusillus est la pillus, nõ prominet buffonis imago, sed in ipsa gẽma ue lut inclusa pellucet. ME. Fortaßis imaginãtur buffonis similitudinem, quemadmodũ insecta filicis stirpe imagi nantur aquilã. Et quemadmodum pueri qui non uident in nubibus? dracones ignem spirantes, montes igni can dentes, armatos concurrentes. OG. Imò, ne sis insciẽs, nullus buffo uiuus euidẽtius exprimit seipsum, quã illic erat expreßus. ME. Hactenus pertuli fabulas tuas, post hac alium quære, cui persuadeas de buffone. OG. Nihil mirũ est Menedeme, te sic affectũ esse. Nec mihi quis quam persuasurus erat, etiamsi totus ordo theologorum assseueraßet, nisi his oculis, hisce inquã oculis, uidissem, intuitus essem, cõperissem. Sed interim mihi uideris satis incurius rerũ naturaliũ. ME. Quãobrẽ? quia nõ credo

Hamaxiæa græcis dicunt prægrãdia, quasiq; plaustri iustum onus sint.

Colossi dicunt imagines ad miraculum usque grandes.

uolare

uolare asinos? O G. An non uides, quàm ludat artifex natura in omnium rerũ coloribus ac formis exprimendis, quũ alijs quidẽ in rebus, sed præcipue in gẽmis? deinde quàm admirãdas uires gemmis illis indiderit prorsus incredibiles, ni cominus experientia faceret nobis fidem? Dic mihi crediturus eras chalybem intactum à magnete attrahi, & rursus ab eodẽ depelli sine contactu, nisi uidisses oculis? M E. Profecto nunquam, etiã si decẽ Aristoteles mihi deieraſſent. O G. Ne protinus igitur fabulosum clames, si quid audis, nondũ experimento compertum. In ceraunia fulminis uidemus imaginẽ, in pyropo uuum ignem, in chalazia grandinis & speciem & rigorem, etiamsi conijcias in mediũ ignem: in smaragdo profundas ac pellucidas maris undas: carcinias cãcri marini speciem imitatur, echites uiperæ, scarites scari piscis, hieracites accipitris, geranites gruis collum effictũ exhibet, ægophthalmus caprinum oculum ostendit: est qui suillum, est qui tres simul hominis oculos: lycophthalmus lupi pingit oculũ quatuor coloribus, rutilo & sanguineo, in medio nigrũ candido cingitur: cyaneam nigram si aperias, fabam in medio reperies: dryites truncum arboris effingit, & ligni in modum ardet quoq;: cissites & narcissites hædrã pingit, astrapias fulminis radios è medio candido seu cyaneo iaculatur: phlegontites incendiũ intus ostendit, quod non exeat: Inanthracitide uideas scintillas quasdã discurrere, crocias croci colorẽ reddit, rhodites rosæ, chalcites æris, aëtites aquilã exprimit, cauda candicante: taos pauonis picturã habet, chelidonia aspidis, myrmecites innatum habet formicæ

In Ceraunia. Vide Plinium de gemmis.

Digitized by Google

micæ repentis imaginem, cantharias scarabeum totũ ex primit, scorpites scorpium mire depingit. Sed quid ego hæc persequor, quæ sunt innumera, quum nulla sit naturæ pars uel in elementis, uel in animantibus, uel in plantis, quam illa ueluti lasciuiens non expreßerit in gẽmis? Miraris in hac gemma buffonem expreßum? ME. Miror naturæ tantum esse ocij, ut sic ludat omnium rerum imitatione. OG. Voluit exercere curiositatem humani ingenij, nosq; uel sic ab ocio propellere. Et tamen quasi nihil sit quo fallamus tædium temporis, insanimus in moriones, in aleas, in præstigiarum ludibria. MEN. Verissima prædicas. OG. Addunt quidam non leues, hoc gemmarum genus si admoueas aceto, innatare, motis etiam membris. ME. Quur buffonem addunt uirgini? OG. Quia hæc spurcitiem omnem, uirulentiam, fastum, auariciam, & quicquid est terrenarum cupiditatũ, uicit, calcauit, extinxit. ME. Væ nobis, qui tantum buffonũ geramus in pectore. OG. Puri erimus, si sedulo colamus uirginem. ME. Quomodo gaudet coli? OG. Gratißimũ illi cultum præstiteris, si fueris imitatus. ME. Numero dixisti, sed istuc perdifficile est. OG. Est sanè, sed idem pulcherrimum. ME. Age, perge quod cœperas. OGY. Deinde commonstrat aureas argenteasq; statuas: hæc inquit, mere aurea est, hæc argentea inaurata: addit singulis pondus, pretium, ac doni autorem. Quũ ad singula mirabundus gratularer uirgini tam beatã opulentiã: mystagogus, quoniã, inquit, uideo te piũ spectatorẽ, nõ arbitror æquũ, ut te quicquam cælem, uidebis quæ uirginis sunt secretißima: simulq; depromit ex ipso altari mũ

Numero dixisti. i. expedite & compendio.

dum

dum rerum admirabilium, cuius singulas partes si pergã recensere, dies hic non sufficerit narrationi. Sic illa sanè peregrinatio mihi felicissime cessit. Expletus sum affatim spectaculis: & hoc inæstimabile donum mecũ auferro, pignus ab ipsa uirgine datum. ME. Nullum ne feci-sti periculum quid ualeat lignum tuum? OG. Feci in diuersorio quodam ante triduũ reperi quendam mente captum, cui iam parabantur uincula, lignũ hoc suppositũ est illius ceruicali clàm ipso, obdormijt somno profundo pariter ac prolixo. Mane surrexit integræ mẽtis. ME. Non fuerat phrenesis, sed paroenia fortassis. Huic malo solet mederi somnus. OG. Quum libebit iocari Menedeme, fac aliam tibi quæras materiam, in diuos iocis ludere nec piũ est nec tutũ. Imò uir ipse narrabat sibi in somnis apparuisse mulierem admiranda specie, quæ poculum ipsi porrexerit. ME. Elleborum opinor. OG. Istuc incertum est, illud certissimum, hominem mentis esse compotem. MENED. Præteristi Thomam Cantuariensem archiepiscopum? OGY. Minime gentium. Nulla peregrinatio religiosior. MENE. Audire gestio, nisi molestum est. OGY. Imò te quæso ut audias. Cantium dicitur ea pars Angliæ quæ Galliam & Flandriam spectat. Huius metropolis est Cantuaria. In ea sunt duo monasteria, penè contigua, utrunq; Benedictinos habet. Id quod habet diui Augustini titulum, uidetur antiquius: hoc quod nunc appellatur diui Thomæ, sedes archiepiscopi fuisse uidetur, ubi cum paucis electis monachis uitam ageret, quemadmodũ & hodie præsules habent ædes ecclesiæ contiguas, sed ab ædibus reliquorũ

Paroenia. i. delíratio ex uino.

Thomas Cãtuarieñ.

Cantium.

Cantuaria.

cano

Digitized by Google

canonicorum ſemotas. Olim enim ferè tum epiſcopi tum canonici monarchi erant. Id arguunt manifeſta rerum ueſtigia. Templum autem diuo Thomæ ſacrum tanta maieſtate ſeſe erigit in cœlum, ut procul etiam intuentibus religionem incutiat. Itaq; nunc ſuo ſplendore uicini luminibus officit, & locum antiquitus religioſiſſimum uelut obſcurat. Turres ſunt ingentes duæ, procul ueluti ſalutantes aduenas, mirǫ́q; nolarũ ænearum boatu, longe lateq; regionem uicinam perſonantes. In ueſtibulo templi quod eſt ad auſtrum ſtant ſaxo ſculpti tres armati, qui manibus impijs uirũ ſanctiſſimum trucidarunt. Addita ſunt gentis cognomina, Tuſci, Fuſci, Beri. ME. Quur tantum honoris habetur impijs? OG. Videlicet idẽ honoris habetur ijs quod habetur Iudæ, Pilato, Caiphæ, cohorti militum ſceleratorum, quos operoſe ſculptos uides in auratis altaribus. Adduntur cognomina, ne quis poſthac uſurpet gloriæ cauſa. Ingerũtur oculis, ne quis aulicus poſthac inijciat manus uel in epiſcopos, uel in poſſeſſiones eccleſiæ. Nam tres illi ſatellites à peracto ſacinore uerſi ſunt in rabiem, nec reddita mens eſt, niſi imprecato Thomæ ſanctiſſimi fauore. ME. O perpetuam martyrum clementiã. OG. Ingreſſis aperit ſeſe ſpacioſa quædam ædificij maieſtas. Ea pars quoslibet recipit. ME. Nihil ne illic uiſendũ? OG. Nihil præter ſtructuræ molẽ, & libros aliquot colũnis affixos, in quibus eſt Euangeliũ Nicodemi, & ſepulchrũ neſcio cuius. ME. Quid deinde? OG. Cãcelli ferrei ſic arcẽt ingreſſum, ut conſpectũ admittãt eius ſpatij, qd' eſt inter extremã ædẽ & chori quẽ uocãt locũ. Ad hũc cõſcenditur multis gradibus

dibus, ſub quibus teſtudo quædam aperit ingreſſum ad latus ſeptẽtrionale. Illic oſtenditur altare ligneum duæ uirgini ſacrum, puſillum, nec ulla re uiſendum, niſi monumento uetuſtatis, luxum hiſce temporibus exprobrantis. Illic uir puus dicitur extremum uale dixiſſe uirgini, quũ mors immineret. In ara eſt cuſpis gladij, quo præſectus eſt uertex optimi præſulis, ac cerebrum cõfuſum, uidelicet quo mors eſſet præſentior. Huius ferri ſacram rubiginem amore martyris religioſe ſumus exoſculati. Hinc digreſſi ſubimus cryptoporticum. Ea habet ſuos myſtagogos. Illic primum exhibetur caluaria martyris perforata, reliqua tecta ſunt argento, ſumma cranij pars nuda patet oſculo. Simul oſtenditur plumbea lamina, Thomæ Acrenſis titulum habẽs inſculptum: pendent ibidem in tenebris induſia cilicina, cingula, ſubligariaq;, quibus antiſtes ille ſubigebat carnẽ ſuam, ipſo aſpectu horrorem incutientia, nobisq; molliciem ac delicias noſtras exprobrantia. MEN. Fortaſsis & monachis ipſis. OGY. Iſtac de re nec affirmare poſſum, nec negare. Nec refert quidem mea. MEN. Vera narras. OGY. Hinc redimus in chori locum. Ad latus ſeptentrionale reſerantur arcana, dictu mirum, quantum oſſium illinc prolatum ſit, caluaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oſcula, nec erat futurus finis, niſi qui mihi tum comes erat eius peregrinationis parum commodus, interpellaſſet oſtentandi ſtudium. MENE. Quis iſte? OGY. Anglus erat nomine Gratianus Pullus, uir eruditus ac pius, ſed minus affectus erga partem hanc re-

Cryptoporticus .i. ſubterranea porticus, q̃ paratur aduerſus æſtum ſolis.

Digitized by Google

ligionis quam ego uolebam. MENE. Vicleuita quiſpiam, opinor. OGY. Non arbitror, etiam ſi libros illius legerat, incertum unde nactus. MEN. Is offendit myſtagogum? OGY. Prolatum eſt brachium adhuc carnem habens ſanguinolentam. Huius oſculum exhoruit, ac uultu quoque tædium quoddam præ ſe ferebat. Mox ſua recondidit myſtagogus. Hinc ſpectauimus altaris tabulam & ornamenta, mox quæ ſub altari fuerant recondita, opulenta omnia: Diceres Midam & Crœſum fuiſſe mendicos ſi ſpectares uim auri atq; argenti. MENE. Hic nihil oſculorum? OGY. Non, ſed aliud uotorum genus tetigit animum meum. MENE. Quodnam? OG. Suſpirabam domi meæ nihil eſſe taliũ reliquiarum. MEN. Sacrilegum uotum. OG. Fateor, & ſupplex ueniam precatus ſum à diuo priuſquam pedem efferrem templo. Poſt hæc ducimur in ſacrarium. Deus bone, quæ illic pompa ueſtium holoſericarũ, quæ uis candelabrorum aureorum? Ibidem uidimus pedum diui Thomæ, uidebatur arundo lamina argentea obueſtita, minimum erat ponderis, nihil operis, nec altius quam uſq; ad cingulum. MENE. Nulla crux? OGY. Nullam uidi. Oſtenſum eſt pallium, holoſericum quidẽ, ſed craſſo filo, nullo auro gemmiſue inſigne. Aderat & ſudarium, ſudoris ex collo contracti, manifeſtasq; ſanguinis notas retinens. Hæc uetuſtæ frugalitatis monumenta libenter ſumus exoſculati. MEN. Iſta non oſtenduntur quibuslibet? OG. Nequaquam ò bone. MEN. Vnde tibi tantum eſt habitum fidei, ut nihil arcani cælaretur? OGY. Erat mihi nonnihil notitiæ cum R. P. Guilhelmo

Gulihelmo Vuarano Archiepiſcopo. Is me tribus uerbis commendauit. MENE. Ex multis audio uirum ſingulari præditum humanitate. OGY. Quin potius dicas ipſam eſſe humanitatem, ſi noris. Iam ea doctrina, ea morum ſynceritas, ea uitæ pietas, ut nullam abſoluti præſulis dotem in eo deſideres. Ab his igitur deducimur ad ſuperiora, Nam poſt altare ſummum, rurſus uelut in nouum templum aſcēditur. Illic in ſacello quodam oſtēditur tota facies optimi uiri inaurata, multisq; gemmis inſignita. Hic caſus quidam inopinatus penè totam illam meam felicitatē interturbauit. MEN. Expecto quid mali dicas. OG. Hic minimū inijt gratiæ comes meus Gratianus. Is à precatiuncula rogauit myſtagogum aſſeſſorem: Heus, inquit, bone pater, uerum ne eſt quod audio, Thomam dum uiueret fuiſſe benigniſſimum erga pauperes? Veriſſimum, inquit ille. Cœpitq; multa de illius erga tenues beneficentia commemorare. Tum Gratianus: Non arbitror eum affectum in illo mutatum eſſe, niſi forte in melius. Aſſenſus eſt myſtagogus. Rurſum ille: Quum igitur uir ſanctiſſimus tam liberalis fuerit in egenos, quum adhuc pauper eſſet, & ipſe præſidijs pecuniarum egeret ob corpuſculi neceſſitatem, an nō putas æquo animo laturū nunc, quū tam opulentus ſit, nec ullius egeat, ſi qua mulier paupercula, domi habēs liberos famelicos, aut filias ob dotis inopiam de pudicitia periclitantes, aut maritū morbo decumbentem, omnibusq; præſidijs deſtitutū, precata ueniam, detrahat ex his tantis opibus aliquam particulam, ſubleuandæ familiæ, uelut à uolēte ſumens uel dono

Digitized by Google

uel mutuo. Ad hæc quum nihil responderet assessor capitis aurei: Gratianus, ut est uehemens, ego, inquit, planè cõfido sanctißimũ uirum etiã gauisurum, quod mortuus quoque suis opibus subleuaret inopiam pauperum. Ibi mystagogus corrugare frontem, porrigere labra, Gorgoneis oculis nos obtueri: nec dubito quin sputo cõuicijsq; nos eiecturus fuerit è tẽplo, nisi cognouisset nos ab Archiepiscopo cõmendatos. Equidẽ utcũq; placaui blãdis uerbis iram hominis, negãs Gratianũ quicquã horũ ex animo loqui, sed suo more ludere, simulq; drachmas aliquot deposui. MEN. Ego sanè tuam pietatem uehementer approbo. Verum mihi nonnunquam serio uenit in mentẽ, quo colore possint excusari à crimine, qui tantum opum insumunt templis extruendis, ornandis, locupletandis, ut nullus omnino sit modus. Fateor in sacris uestibus, in uasis templi, deberi cultui solẽni suam dignitatem, uolo & structuram habere maiestatem suã. Sed quorsum attinet tot baptisteria, tot candelabra, tot statuæ aureæ, quorsum organorũ quæ uocant, immensi sumptus? nec unicis interim contenti sumus, quorsum ille musicus hinnitus magno censu cõducẽdus, quum interim fratres & sorores nostræ, uiuaq; Christi templa siti fameq; cõtabescant? OG. In his quidem nemo uir pius ac prudens modum non desiderat. Verum quoniam hoc uitium ex immodica quadam pietate nascitur, fauorem promeretur, præsertim quoties in mentem uenit diuersus morbus istorum, qui templa suis opibus spoliant. Ista ferè donantur à potentibus ac monarchis, deterius peritura in aleam aut bellũ. Et si quid hinc

hinc alienes, primum habetur pro sacrilegio, deinde cõ trahunt manus suas qui dare solent, insuper & inuitan tur ad rapinam. Igitur harum rerum magis illi custo= des sunt quàm domini. Denicq; malim uidere templum sa cra supellectile luxuriens, quàm ut sunt quædam nuda, sordida, stabulis equorum similiora, quàm tẽplis. ME. At legimus olim laudatos episcopos, quod uasa sacra diuendiderunt, eáq; pecunia subuenerunt egenis. OG. Laudantur & hodie, sed laudantur tantum, imitari nec licet nec libet, opinor. ME. Remoror tuam narratio= nẽ. Nunc expecto fabulæ catastrophẽ. OG. Accipe, pau cis expediã. Inter hæc prodijt summus ille mystagogus. ME. Quis nam. Abbas loci? OG. Mitram habet, cẽsus habet abbaticos, solo nomine caret, & prior dicitur, ob id, quod archiepiscopus abbatis loco est. Nam anti= quitus quisquis erat eius ditionis archiepiscopus, idem erat & monachus. MEN. Equidem uel camelus ap= pellari sustineam, si census esset abbate dignus. OGY. Mihi quidem uisus est uir pius iuxta & prudens, neq; Scoticæ theologiæ rudis. Is nobis aperuit thecam, in qua reliquũ sancti uiri corpus quiescere dicitur. ME. Vidisti ossa? OGY. Id quidem fas non est, nec liceret nisi admotis scalis. Sed auream thecam theca cõtegit li= gnea. Ea funibus sublata opes nudat inæstimabiles. ME. Quid audio? OG. Vilissima pars erat aurum, gemmis rariis ac prægrãdibus colluccbant, nitebant ac fulgura= bant omnia: quædã superabãt oui anserini magnitudinẽ. Ibi multa cum ueneratione circũstabant aliquot mona= chi. Sublato tegumento adorauimus omnes. Prior can=

dida uirga demonstrabat cõtactu singulas gemmas, addens nomen Gallicum, pretium & autorem doni. Nam præcipuas Monarchæ dono miserant. MEN. Oportuit illum esse præditum insigni memoria. OGY. Recte coniectas, quanquàm iuuat & exercitatio, frequenter enim hoc agit. Hinc reducit in Cryptoporticum. Illic domicilium habet uirgo mater, sed subobscurum, semel atq; iterum ferreis cancellis circũsepta. MEN. Quid metuit? OG. Nihil opinor, nisi fures. Nec enim unquam uidi quicquàm diuitijs onustius. MEN. Cæcas mihi diuitias narras. OGY. Admotis lucernis uidimus plus quam regale spectaculum. MENE. Vincit opibus Parathalaßiam? OG. Specie longe superat, abstruſa nouit ipſa. Hæc non ostenditur, nisi magnatibus aut præcipuis amicis. Postremo reducimur in sacrarium. Illic detractum est scrinium nigro contectum corio. Depositum est in mensam. Apertum est. Mox omnes flexis genibus adorarunt. MENE. Quid inerat? OGY. Fragmenta quædam linteorum, lacera, pleraq; mucci uestigium seruantia. His, ut aiebant, uir pius extergebat sudorem à facie siue collo, pituitam è naribus, aut si quid esset simulum sordium, quibus nõ uacant humana corpuscula. Ibi meus Gratianus rursum non optimam iniit gratiam. Huic & Anglo & noto, nec mediocris autoritatis uiro, Prior benignus unum è linteolis obtulit dono, credens sese munus longe gratißimum offerre. Sed Gratianus hic parum gratus nõ sine fastidij significatione digitis cõtrectauit unum, & contemptim reposuit, porrectis labijs uelut popyſmum imitans.

Digitized by Google

tans. Nam hic illi mos erat, si quid offenderet, quod tamen contẽnendum esse iudicaret. Meum animum simul & pudor & timor discruciabant. Prior tamen, ut est homo non stupidus, dissimulabat hoc factum, nosq; post oblatum uini poculum humaniter dimisit. Quum rediremus Londinum. MEN. Quid oportuit, quum iam non procul abesses à littore tuo? OGY. Sic est. Sed ego littus illud perquàm lubens fugi, magis infame fraudibus ac rapinis, quàm ullæ sunt Maleæ naufragijs. Dicam quod proxima uidi traiectione. Complures è littore Calctiensi deuehebantur ad nauem maiorem. In his erat Gallus quidam iuuenis pauper ac pãnosus. Ab hoc exigunt dimidium drachmæ. Tantum enim extorquent è singulis ob breuissimam uectationem. Ille excusabat paupertatem, isti per iocum explorant scilicet, ac detractis calceis, inter suppactas soleas reperiũt decem aut duodecim drachmas, eas eripiunt palam ridentes & cõuicijs ludentes in sceleratum Gallũ. ME. Quid iuuenis? OG. Quid aliud? Flebat. MEN. Num ex autoritate faciebant ista? OGY. Prorsus eadem qua furantur sarcinas hospitum, qua tollunt crumenas, si quando datur opportunitas. MEN. Mirum est istos tantum audere facinus, tot testibus consciis. OGY. Sic assueuerunt, ut recte fieri putent. Spectabant è maiore naui complures, in cymba aderant aliquot Angli negociatores, qui frustra obmurmurabant. Illi uelut in re facta gloriabãtur, deprehensum sceleratum Gallũ. ME. Ego istos maritimos fures ludens ac iocans subigerem in crucẽ. OGY. Atqui talibus scatet utrunq; littus. Hic

Littus Anglię rapinis infame.

mihi coniecta, quid domini faciant, auſint quum talia fiares. Proinde poſt hac quaslibet ambages malim, quàm illud cõpendium. Ad hæc quẽadmodum ad inferos facilis deſcenſus, ſed reditus difficillimus: ita per hoc littus ingreſſus nõ admodũ facilis, exitus difficillimus eſt. Hærebant Londini nautæ aliquot Antuerpienſes, cum illis decreuerã me mari cõmittere. MEN. Habet ea regio nautas adeo ſanctos? OGY. Vt ſimia ſemper eſt ſimia, fateor, ita nauta ſemper eſt nauta: uerũ ſi ad hos conferas, qui rapto uiuere didicerunt, angeli ſunt. ME. Meminero ſi quando me quoq; libido ceperit eam inſulam inuiſendi. Sed in uiam redi, unde te deduxi. OG. Ergo Londinum petẽtibus, haud procul à relicta Cantuaria, occurrit uia uehementer caua ſimul & anguſta, præterea decliuis, ſic utrinq; abrupto aggere, ut non poſſis effugere: nec uitari poteſt, quin hâc facias iter. Ad eius uiæ læuum latus eſt mendicabulum aliquot ſenicularum. Ab ijs procurrit aliquis, ſimul atque ſentiunt aduenientem equitem, conſpergit aqua ſacra, mox offert calcei ſummam partem, obuinctam æreo circulo, in quo uitrum eſt gemmæ ſpecie. Exoſculati dant nummulum. MEN. In eiuſmodi uia malim mendicabulum ſenicularum, quã gregem ualentium latronum. OGY. Gratianus equitabat mihi ſiniſter, propior mẽdicabulo: Cõſperſus eſt aqua, tulit utcũq; Vbi porrigeretur calceus, rogabat quid ſibi uellet. Ait calceum eſſe ſancti Thomæ. Incanduit homo, & ad me uerſus: Quid, inquit, ſibi uolũt hæc pecudes, ut oſculemur calceos omniũ bonorum uirorũ? Quin eadem opera porrigunt oſculandum

Calceus D. Thomæ.

Digitized by Google

dum ſputum, aliaq; corporis excrementa? Miſerebat me feniculi, datoq; nummulo conſolatus ſum triſtem. M E. Mea ſententia, non omnino præter cauſam incanduit Gratianus. Si calcei ſoleæq; ſeruarentur, ut argumentum frugalis uitæ, non improbarem, cæterum impudens eſt ſoleas, calceos, & ſubligaria oſculanda obtrudere. O G Y. Præſtabat iſta non fieri, ne quid diſſimulem. Verum ex his rebus, quæ ſubito corrigi non poſſunt, ſoleo ſi quid ineſt boni decerpere. Delectabat interim animum meum illa contemplatio: uirum bonum eſſe ſimilem oui, malum noxiæ beſtiæ. Vipera poſteaquàm perijt, mordere quidem non poteſt, odore tamẽ, ſanieq; inficit. Ouis quum uiuit, lacte nutrit, lana ueſtit, fœtura ditat: mortua porrigit utile corium, totaq; eſculenta eſt. Itidem uiri feroces, & huic mundo dediti, dum uiuunt omnibus incommodi ſunt, mortui ſtrepitu nolarum, ambitioſa ſepultura moleſti ſunt uiuis, nonnunquam & ſuæ ceſſorum inaugurationibus, hoc eſt, nouis exactionibus. Probi uero nulla non ex parte magnam omnibus de ſe præbent utilitatem. Velut hic diuus, dum in uiuis eſſet, exemplo, doctrina, monitis ad pietatẽ inuitabat, conſolabatur deſtitutos, ſubleuabat egenos. Ac mortui penè maior utilitas. Extruxit hoc locupletiſſimum templum, ſacerdotum ordini per uniuerſam Angliam plurimum auctoritatis conciliauit. Hoc deniq; calcei fragmentum alit egenorum conuenticulum. M E N E. Eſt quidem iſta pia contemplatio. Sed demiror te, quum iſto ſis animo, nunquam inuiſiſſe antrum Sancti Patricij, de quo prodigioſa quædam uulgò iactãt, nec mihi ſatis ueriſimilia.

Comparatio uiri boni & mali.

Sancti Patricij antrum.

Digitized by Google

O G Y. Imò nulla hic tam prodigiosa potest esse narratio, quin res ipsa superet. M E N E. Ergo illuc quoq; penetrasti? O G. Enauigaui paludem uere Stygiam, descendi in fauces Auerni, uidi quicquid apud inferos geritur. M E. Bearis me, si non grauaberis referre. O G. Sit hoc colloquij nostri procœmium, satis ut arbitror prolixum. Eo domum, ut iubeam adornari cœnam, nam adhuc impransus sum. M E. Quur impransus? num religionis gratia? O G. Minime, sed inuidiæ causa. M E N. Num inuides uentri tuo? O G. Imò rapacibus cauponibus, qui quum nolint quod æquum est apponere, tamen non uerentur ab hospitibus quod iniquum est exigere. Eos sic ulcisci soleo. Si spes datur cœnæ lautioris uel apud notum, uel apud pandocheum paulo minus sordidum, in prandio laborat mihi stomachus. Sin prandium obtulit fortuna quale uolo, sub cœnam incipit dolere stomachus. M E N E. Non pudet uideri parcum ac sordidum? O G Y. Menedeme, qui talibus in rebus pudoris impendium faciunt, crede mihi, male collocant sumptũ. Ego meum pudorem alijs usibus seruare didici. M E. Iam sitio reliquum fabulæ: quare me in cœna expecta conuiuam, ibi narrabis commodius. O G Y. Equidem habeo gratiam, quod ultro temet offers conuiuam, quum multi uehementer rogati pernegent: sed hec tibi conduplicabitur gratia, si hodie domi cœnes. Nam mihi tempus hoc sumetur salutandæ familiæ. Sed habeo consilium utrique nostrum commodius. Cras mihi uxoriq; meæ domi tuæ adornato prandiũ. Tum uel usq; ad cœnã proferẽtur fabulæ donec te fatearis iã esse saturũ. Et si uo-

les,

Digitized by Google

les, ne in cœna quidem te destituemus. Quid scabis caput: Tu para, nos bona fide ueniemus. M E N. Malim inemptas fabulas. Verum age prandiolum dabitur, sed insipidum, nisi tu bonis fabulis condias. O G. Sed heus tu, nónne titillat te animus, ut has peregrinationes, obeas? M E N E. Fortasse titillabit, ubi tu peroraueris, nunc ut affectus sum, sat habeo stationes obire Romanas. O G. Romanas, qui Romam nunquā uideris? M E. Dicam. Sic domi obambulo, ingredior conclaue, curóq; ut salua sit filiarum pudicitia. Rursus hinc in officinā, contēplor quid agant famuli famulæq;. Inde in culinā circūspiciens, si quid opus sit admonitu: hinc aliò, obseruans quid agant liberi, quid uxor, solicitus ut omnia sint in officio. Hæ mihi sunt stationes Romanæ. O G Y. At ista prote curaret diuus Iacobus. M E. Vt ipse curē ista, præcipiunt sacræ literæ, ut diuis committam, nusquam legi præceptum. Stationes Romanæ.

IXΘΥΟΦΑΓΙΑ.

LANIO ET SALSAMENTARIVS.

LANIO.

DIC mihi insulsissime Salsamentarie, nondū emisti restim? S A L. Restim Lanio? L A. Ita restim. S A. Cui tandē rei? L A N. Cui, nisi suspendio? S A L. Emant alij, me nōdū usq; adeo tædet huius uitæ. L A. At breui tædebit. S A. In uatem ipsum ista uertat deus aliquis potius. Sed qd est mali? L A. Si nescis dicā. Instat tibi tuisq; planè Sagūtina, quod aiunt, fames, ut res planè sit uobis ad laqueū reditura. S A. Bona uerba Lanio. Ista sint hostibus nostris. Vnde nobis ex lanio repente prodisti pythus

pythius quiſpiam, ut diuines tantam calamitatem? L A. Non eſt diuinatio, ne tibi blandiaris. Res ipſa adeſt in foribus. S A L S A M. Enecas, æde rem, ſi quid habes. L A N. Aedam tuo magno malo. A Romano ſenatu uenit edictum, ut poſthac liberum ſit cuiq; ueſci quibus uelit. Quid igitur tibi tuoq; ordini reſtat, niſi bulimia cum putribus ſalſamentis? SAL. Per me quidem uel limacibus, uel urticis ueſcatur, qui uolet. At num interdictum eſt cuiquam, ne ueſcatur piſcibus? L A. Non, ſed data poteſtas ueſcēdi carnibus quibus fuerit collibitum. S A. Siue uana prædicas, tu potius dignus es ſuſpendio: ſiue uera, tibi potius parādus finis. Nam mihi poſt hac ſpero quæſtum uberiorem. L A. Imo prouentum uberrimum, ſed eſuritionis uſque ad ſaturitatem: Aut ſimauis audire lætiora, poſthac longe mundius uiues, neq; quod ſoles cubito naſum emunges pituitoſum & ſcabie fruticantem. S A. Ohe uenimus ad ſummum, cæcus conuicia iacit in luſcum, quaſi uero quicquam apud laniones purius ſit ea parte corporis, quæ dicitur ſemper lotione ſuperior. Vtinam uerum eſſet quod annuncias, at uereor, ne me conijcias in falſum gaudium. L A N. Tibi quidem nimium uera nuncio. Sed unde tibi quæſtum promittis uberiorem? S A. Quoniam eò uideo recidiſſe mores hominum, ut quod uetitum ſit, impotentius appetant. L A N. Quid tum poſtea? S A L. Quia plures abſtinebunt ab eſu carnium, ubi permiſſa eſt ueſcendi poteſtas, nec ullum erit lautum conuiuium abſq; piſcibus, quemadmodum apud priſcos fieri conſueuit. Itaque carnium eſum permiſſum gaudeo, utinam & piſcium eſus eſſet

Cubito naſum; extat hoc Ciceronis in Sal ſamētarij filiū.

Venimus ad ſummum. De re extremæ impudentiæ. Sic Horatius.

Lotione ſuperior, quia ſub inde inquinaſ, de quo dictū eſt alias.

Digitized by Google

esset interdictus: auidius his uescerenter homines. L A. *Pium me hercule uotum.* S A L. *Hoc optarem, si quod tu facis, nihil aliud spectarem quàm pecuniæ lucrum, cuius amore tu crassam istam & carniuoram animam dijs manibus deouisti.* L A N. *Salsus es totus quum insulsa sit oratio.* S A L. *Quæ ratio commouit Romanos, ut tot seculis obseruatam legem carnariam relaxarint?* L A N. *Nimirum hoc ipsa res iam dudum illis persuasit. Reputant id quod est, per salsamentarios inquinari ciuitatem, infici terram, flumina, aërem & ignem, & si quod aliud est elementum: corrumpi corpora mortalium: ex piscium enim esu corpus impleri putribus humoribus, hinc febres, tabes, podagræ, epilepses, lepræ, & quid non malorum?* S A L. *Dic igitur mihi Hippocrates, quur in ciuitatibus bene institutis, uetitum est intra mœnia mactare tauros ac sues? Rectius etiam consuleretur saluti ciuium, si nec pecudes iugularentur. Quur lanijs describitur certus locus, ne si passim uiuant, totam urbem reddant pestilentem? An est ullum fœtoris genus corrupto animantium cruore sanieq; pestilentius?* L A. *Aromata mera sunt si ad piscium putorem conferas.* S A L. *Tibi quidem, opinor, aromata mera sunt, at non idem uisum magistratibus, qui uos ab urbe submouent. Porrò quàm suauiter oleant uestræ istæ lanienæ, declarant ij, qui naribus obturatis prætereunt, declarant uulgo, qui malunt habere uicinos decem lenones quàm unũ lanionem.* L A N. *At uobis ad abluenda putria salsamẽta, nec lacus, nec amnes toti sufficiunt: uereq;, quod dici solet, inaniter aquam consumitis. Semper enim piscis piscem*

Dijs manibus. i. inferis; sic Decius & Q. Curtius se dijs manibus deuouerunt.

Tabes, ἢ φθίσις Græci. Epilepsis, morbus comitialis.

Digitized by Google

piſcem olet, etiam ſi unguentis oblinas. Quid autem mirum mortuos ſic olere, quum pleriq; uiui mox ut capti ſunt oleant? Carnes muria conditæ ſeruantur multos in annos, adeo non putentes, ut aromaticum quiddã redoleant. Rurſus uulgari ſale conditæ, durãt abſq; fœtore. Duratæ fumo uentoue nihil molesti odoris contrahũt. Hæc omnia ſi pariter adhibeas piſci, nihil aliud quam piſcem olebit. Vel hinc conijce nullum eſſe putorem cum piſcium fœtore conferendum, quod ab his putrefit etiam ipſe ſal, in hoc à natura datus ut à rebus arceat putrefactionem, dum genuina ui claudit conſtringitq; ſimul & excludens quæ extrinſecus noxã afferre poſſit, & humores intus unde putrefactio poterat oriri deſiccans, in ſolis piſcibus ſal non eſt ſal. Noſtras ædes fortaſſis aliquis delicatior præteriens obturat nares: at nemo ſuſtinet in cymba ſedere in qua ueſtra ſunt ſalſamenta. Viatori ſi quãdo occurrunt plauſtra onuſta ſalſamentis, quæ ibi fuga? quæ narium obturatio? quæ ſputa? quæ excreatio? Et ſi quâ fieri poſſit, ut ſalſamenta pura in urbem aduehrentur, quemadmodum nos mactatorum boum carnes apportamus, lex non dormiret, nunc quid facias ijs, quæ putria ſunt etiam quum comeduntur? Et tamen quoties uidemus ab Agoranomis damnatas merces ueſtras conijci in flumẽ, uobis indicta multa? Id uero ſæpius etiã fieret, niſi illi corrupti per uos magis ſpectarent priuatum commodum, quàm publicam ſalutem. Nec hac tantum parte nocetis reipub. ſed impia conſpiratione uetatis, ne aliunde piſces recentiores aduehantur in ciuitatem. S A L. Quaſi uero nullus unquam

Muria, ſiue muries. eſt aqua ſalſamentorũ.

Agoranomi, præfecti foris in quibus uenduntur eſculenta.

Digitized by Google

quam uiderit mulcta percussum lanionem, quod porcũ insyncerum, & linguæ maculis lepræ uitium profitentem uendiderit, aut quod ouem aquis cœnoue. suffocatam, aut alioqui uerminantes armos, lotione, & circũlito recenti cruore uitium dissimularit. L A. Atqui nullum ex nobis tale extat exemplum, quale nuper ex uobis. Ex unica anguilla, crusto panis incocta, periere nocturna conuiuæ. Talibus obsonijs uos instruitis mensas ciuium. S A L. Casum narras, qui nemini uitari posit, si fortuna uelit. At uobis penè quotidianum est pro cuniculis altiles feles uendere, pro leporibus canes, si per auriculas & pedes hirsu tos liceret. Quid autem commemorem artocreas ex humanis carnibus confectas. L A. Tu quod in me dãnabas, casus & hominum uitia mihi opprobras, tueantur ista qui committunt. Ego quæstum cũ quæstu confero. Alioqui dãnentur & olitores, quod interdum imprudentes pro caule uendant cicutam aut aconitum. Damnentur & pharmacopolæ, quod interdum pro remedijs porrigunt uenena. Nulla est ars tam inculpata, quin ist hæc incidant mala. Vos quum omnes officij numeros impleueretis, uenenum est quod uenditis. Si torpedinem, si hydrum, si leporem marinum retibus admixtum cum cæteris uenderitis, casus esset non crimen, nec magis imputari poterat uobis, quàm medico, qui nonnunquam occidit ægrum quem curat. Ferri poterat hoc malum, si mensibus duntaxat hybernis extruderetis uestra purulenta: rigor temporis mitigaret pestilẽtiam. Nunc æstatis incendio putrem additis materiam, autumnum per se nocentem redditis nocentiorẽ.

Torpedo piscis letalis cõtactu.

Hydros, serpẽs aquatilis.

Lepus piscis, homini præsentissimum & immedicabile uenenũ, & homo pisci, adeo ut hominis contactu solo moriatur.

Quumq;

Quumq; iam se renouat annus, & humores cõditi sese rursus proferunt, non absq; corporum periculo, ibi uos totos menses duos tyrãnidem occupatis, & anni renascẽtis infantiam accersito senio uitiatis, quumq; hoc meditetur natura ut corpora succis insalubribus repurgata, nouis succis repubescant, uos ingeritis meros putores meraq; sanies, & si quid est in corporibus uitij, augetis, malum malo adijcientes, & bonos insuper corporis succos corrumpentes. Tolerari poterat hoc quoq;, si tantum corpora uitiaretis: nunc quoniam ex ciborũ differentijs uitiantur animorum organa, fit ut & ipsi uitientur animi. Tales ferè uideas homines istos pisculentos, quales sunt ipsi pisces, pallent, olent, stupent, muti sunt. SAL. O nouum Thaletem. Quid igitur sapiunt qui betis uictitant? NIMIRUM quantum ipsæ betæ. Quid sapiunt qui boues & oues & capras deuorant? NIMIRUM quod boues, oues & capræ. Vos hœdos pro delicijs uenditis, & tamen hoc animal, ut est morbo cõmitiali obnoxium, ita gignit eundem morbum in his qui gaudent esu carnium. An non præstabat salsamentis plãcare latrantem stomachum? LA. Quasi solum hoc mentiti sint rerum naturalium scriptores. Et si maxime uerum sit quod narrant, corporibus morbo obnoxijs sæpe quæ per se optima sunt pessima sunt. Hecticis ac phthisicis uendimus hœdos, non uertiginosis. SAL. Si piscium esus tantam perniciem adsert rebus mortalium, quur nobis præsulum ac principum sententia licet toto anno nostras merces diuendere, uobis bonam anni partem indictæ sunt feriæ? LAN. Istud quid mea refert

Hectici, q̃ perpetua laborant febri, iam in habitum acta.

Phthisici, qui contabescũt & exarescunt.

Vertigo capitis est præludiũ ad morbum comitialem.

Hœdus autẽ dicitur esse obnoxius ei morbo, & carnes inimicæ ad id propensis mali.

Digitized by Google

refert? Fortaßis hoc procuratũ eſt à malis medicis, quo quæſtus ipſis eſſet uberior. SA. Quos malos medicos mihi commemoras, quũ nulli ſint piſcibus hoſtes æque capitales? LA. Ne quid erres ò bone, non faciunt hoc ſtudio ueſtri, nec amore piſcium quum ab his nulli religioſius abſtineant, ſuum agunt negocium. Quo plures tuſciũt, languent, ægrotant, hoc illis annona benignior eſt. SA. Medicis hic non patrocinabor, ipſi ſuam uicem ulciſcentur, ſi quando in caſſes illorum incideris. Mihi pro mea cauſa ſufficit ueterum ſanctimonia uitæ, probatißimorum autoritas, epiſcoporũ maieſtas, publica Chriſtianarum gentium conſuetudo, quos omnes ſi damnabis inſaniæ, malo cum illis inſanire, quàm cũ lanijs eſſe ſobrius. LA. Tu recuſas patronus eſſe medicis, ego nolim eſſe criminator aut cenſor ueterum publicæ ue conſuetudinis. Iſta uenerari ſoleo nõ inceſſere. SA. Iſto qui dẽ nomine cautus es uerius quàm puꝰ lanio, niſi te prorſus nõ noui. LA. Meo iudicio ſapiũt, qui cauẽt ne quid habeant rei cum his qui fulmen habẽt in manibus. Attamen quid ex meis biblijs quæ populari lingua uerſa nõ nunquam lego, ſentiam nõ tacebo. SA. Vt nũc fies ex lanione Theologus. LA. Arbitror primos illos homines ſimul atq; ex uda argilla prodierunt, fuiße corpore ſalubri ac ſucculento. Id declarat illorũ uiuacitas. Deinde paradiſum fuiſſe locũ multo cõmodiſſimum ſitu cœloq; ſaluberrimo. Tali locò talia corpora, uel aëris hauſtu, herbarum, arborũ ac florũ undiq; aſpirantiũ fragrantia, citra cibũ ullũ potuiſſe uiuere, præſertim quũ ultrò citra ſudorem hominis affatim tellus effunderet omnia,

Digitized by Google

nec morbus esset ullus nec senium. Cultus enim talis horti uoluptas erat uerius quàm labor. SA. Adhuc uerisimilia prædicas. LA. Ex tam uario horti feraciβimi prouentu, nihil interdictum est, præter unicam arborẽ. SA. Veriβimum est. LA. Idq; non ob aliud nisi ut per obedientiam agnoscerent dominum & conditorem suum. SA. Recte. LA. Quin & illud arbitror, recentẽ terram omnia progenuiβe feliciora, melioriscq; succi, quàm nũc gignit senescens ac propemodũ effœta. SA. Esto. LA. Idq; præcipue in paradiso. SA. Haud diβimile ueri. LA. Illic igitur uesci, uoluptatis erat, nõ necessitatis. SA. Au diui. LA. Et abstinere à laniandis animantibus, humanitas erat non sanctitas. SA. Nescio. Animantium esum à diluuio permiβum lego, prius interdictũ nõ lego. Quor sum autem attinebat permittere, si iam permiβus erat? LA. Quare nõ uescimur ranis? Nõ quia uetitæ, sed quoniam abhorremus. Qui scis, an deus illic admonuerit, quem cibum requireret humana fragilitas, non quẽ permitteret? SA. Nõ sum ariolus. LA. Atqui in ipso statim cõditi hominis initio legimus: Dominamini piscibus maris & uolatilibus cœli & uniuersis animalibus, quæ mouentur super terram. Quis usus dominij, si uesci non licet? LA. O crudelem herũ. Itá ne deuoras seruos & ancillas, tuos liberos & uxorẽ? Quin eadẽ opera uescaris matula tua, cuius dominus es? LA. Sed audi uicissim insulse salsamentarie. E cæteris usus est, nec est inane dominij nomen. Equus uehit me tergo, camelus gestat sarcinas. E piscibus uero quis usus nisi uescaris? SA. Quasi uero nõ sint innumera ex piscibus remedia. Deinde multa sunt

ta sunt in hoc tantum condita, ut delectent hominem cõ templantem & in cõditoris admirationem rapiãt. Forte non credes delphinos hominem tergo uehere. Deniq; sunt pisces, qui nobis prædicãt imminere tempestatẽ, ue lut echinus. An nõ talem seruũ optares domi tuæ? LA. Verũ ut hoc largiamur ante diluuiũ non fuisse fas uesci cibis, præterquã terræ frugibus, nihil magni erat abstinere ab ijs, quæ non requirebat corporis necessitas, & habebant laniandi crudelitatẽ. Illud fateris, animantium esum initio permissum ob humanorũ corporũ imbecillitatem. Frigus induxerat diluuiũ, & hodie uidemus in regionibus frigidis nasci homines cæteris edaciores: ac terræ prouentũ uel extinxerat, uel corruperat inundatio. SA. Esto. LA. Et tamen à diluuio præteribant annũ ducentesimũ. SA. Credo. LA. Quur igitur deus quod illis robustis citra exceptionẽ permisit, post imbecillioribus æuiq; contractioris astrinxit ad certa animantiũ genera, quemadmodũ præcepit Moses? SA. Quasi meũ sit eorũ quæ deus gerit rationẽ reddere. Arbitror tamẽ hoc tum fecisse deũ, quod solẽt heri, qui cõtrahunt indulgentiam in seruos, ubi uident illos abuti lenitate dominorum. Sic equo plus satis ferocienti subducimus fabas & auenam, parcoq; fœno pascimus, frenoq; & calcaribus asperiori bus subigimus. Excusserat hominũ genus omnẽ reuerentiã, in tãtamq; licentiã sese effuderat, quasi nullus omnino deus esset. Hic inueti sunt legis cancelli, ceremoniarũ repagula, minarũ ac præceptorũ frena, quo uel sic resipiscerent. LAN. Quin igitur manent hodie legis illius repagula? SA. Quia sublata est carnalis seruitutis aspe-

Velut Echinus, piscis est, spinas habens pro pedibus, hic imminente tempestate affigit sese, aut saburrat harena.

Digitized by Google

ritus, posteaquam per Euangelium adoptati sumus in filios dei. Detractum est præceptis, ubi contigit uberior gratia. LAN. Quum deus appellet suum testamentum sempiternum, quumq; Christus negarit se soluere legẽ, sed consummare, qua fiducia posteriores ausi sunt bonam legis partem abrogare? SA. Gentibus ea lex data non erat, & ideo usum est apostolis, eas non onerare circuncisionis molestia, ne quod Iudæi faciunt & hodie, in corporalibus obseruationibus constituerent salutis spem potius quàm in fiducia & charitate erga deũ. LA. Omitto gentes, quæ scriptura manifeste docet Iudæos, si professionem Euangelicam fuerint amplexi, ma numissos esse à Mosaicæ legis seruitute? SA. Quoniã id fore prædictum erat à prophetis, qui promittunt testamentum nouum, & cor nouum, inducuntq; deum abominantem festos Iudæorum dies, auersantem illorum uictimas, detestantem iciunia, reijcientem donaria, desiderantem populũ circũciso corde. Cõfirmauit illorũ promissa dominus ipse, qui porrigẽs discipulis corpus & sanguinem suũ, appellat testamentum nouum. Si nihil aboletur de ueteri, quur hoc dicitur nouum? Ciborũ delectum nõ exemplo quidẽ, sed sententia sua abrogauit dominus, quũ negat hominem inquinari cibis qui mittuntur in stomachum, & per secessum repurgantur: docet idẽ Petrum cõspecta uisione, imò Petrus ipse cum Paulo cæterisq; ue scens cibis cõmunibus, à quibus lex præceperat tẽperari. Agit hoc ubiq; Paulus in suis epistolis, nec dubitatur, quin quod hodie sequitur populus Christianus, ab apostolis ueluti per manus traditũ ad nos deniq; peruenerit.

Itaq;

Digitized by Google

Itaq; non tam manumißi sunt Iudæi, quã à legis superstitione uelut à lacte, consueto quidẽ & familiari, sed iam intempestiuo depulsi. Neq; lex abrogata est, sed ea pars iussa est cedere, quæ iam erat ociosa. Frondes & flores pollicentur fructũ exoriturum. Is ubi grauat arborem, nemo flores desiderat. Neq; quisquã deplorat perisse filij sui pueritiam, ubi iam ad ætatem maturam peruenit. Neq; quisquam requirit lucernas & funalia, ubi se terris deprompsit sol. Nec habet quod queratur pædagogus, si filius iam puber suam libertatem sibi uindicat, ac pædagogum in sua uicißim habet potestate. Pignus desinit esse pignus, ubi promißa sunt exhibita. Sponsa prius quàm deducatur ad sponsum, epistolijs ab illo mißis sese consolatur, exosculatur munuscula ab illo uenientia, picturas illũ referentes amplectitur. Cæterũ ubi iã ipsius spõsi data est copia, præ huius amore negligit illa prius adamata. At Iudæi primũ ægre diuellebantur à consuetis, uelut si puer assuetus lacti, iam grandis mammã inclamet, cibum solidũ fastidiens. Itaq; propemodũ ui depulsi sunt ab illis uel figuris, uel umbris, uel tẽporarijs solatijs, quò se iam totos cõcurrant in eum, quẽ lex illa promiserat & adumbrarat. LA. Quis expectarat tantũ theologiæ à falsamentario? SA. Soleo pisculentum commeatum suppeditare nostræ ciuitatis Dominicano collegio. Itaq; fit, ut illi frequenter prandeant apud me, ego nonnunquam apud illos. Ex eorum cõflictationibus hoc decerpsi. LA. Næ tu dignus es, qui ex falsamẽtario fias piscium recentium uenditor. Verum illud expedi: Si Iudæus esses, neq; mihi satis liquet, an sis, & immineret ex

fame certum uitæ periculum, uescereris carne suilla, an mortem præoptares? SA. Quid facturus essem scio, quid mihi faciendum esset, nondū intelligo. LA. Deus utrūq; uetuit, non occides, & non uescēris carne suilla. In tali casu utrum præceptum utri par est cedere? SA. Primum non constat, an hoc animo deus uetuerit uesci suilla, ut mortem uellet oppeti potius, quàm esu uitæ consuli. Nā ipse dominus excusat Dauid, qui contra legis præceptū comederit sacros panes. Et in exilio Babylonico multa nō obseruata sunt à Iudæis, quæ lex præscripserat. Proinde censerem eam legem, quam ipsa quoq; natura tulit, eoq; perpetua est & inuiolabilis, debere potiorem haberi, ea quæ neq; semper fuit, & post erat abroganda. LA. Quur igitur laudati sunt fratres Macchabæi, qui maluerunt duris cruciatibus exanimari, quàm carnē gustare suis? SA. Opinor, quoniam hic esus à rege præscriptus, complectebatur totius patriæ legis abnegationem, quemadmodum circūcisio, quàm Iudæi gentibus obtrudere conabantur, continebat totius legis professionē, nō aliter, quàm arra data ad uniuersum contractum præstādum obligat. LAN. Itaq; si craßior illa legis pars post exortam Euangelij lucem recte sublata est, quo consilio nunc uidemus uel eadem, uel his grauiora reuocari, præsertim quum dominus iugum suū appellet suaue: & Petrus in Actis apostolorum, Iudæorum legem appellet duram, quam nec ipsi ferre potuerint, nec patres ipsorūs Sublata est circuncisio, sed succeßit baptismus duriore prope dixerim conditione. Illa differebatur in octauum diem, & si quis interim casus intercepisset puerum, no

tum

tum circunciſionis pro circunciſione imputabatur. Nos pueros uix dum è latebris uteri materni egreſſos in frigidam aquam, quæq; diu in alueo ſaxeo conſtitit, non enim dicam computruit, totos immergimus: & ſi uel primo die, atque adeo in ipſo partus oſtio perierit, nulla parentum aut amicorum culpa, deditur miſer æternæ damnationi. SAL. Sic aiunt. LAN. Sublatum eſt ſabbatum, imò non ſublatum eſt, ſed translatum in diem dominicum. Quid refert? Paucorum dierum ieiunia indixit lex Moſaica: Nos illis quantum addidimus numerum? In delectu ciborum quanto liberiores Iudæi nobis, quibus licebat uel totum annum ueſci, ouibus, capis, perdicibus & hœdis? Illis nullum ueſtis genus erat interdictum, præter eam, quæ eſſet lana linoq; contexta. Nunc præter tot ueſtium præſcriptas & interdictas formas & colores, acceſſit capitis raſura, eaq; uaria. Ne commemorem interim confeſſionis onus, & conſtitutionum humanarum ſarcinas, decimationes non ſimplices, aſtrictum arctioribus uinculis matrimoniũ, nouas affinitatis leges, aliaq; permulta, quæ faciunt, ut hac parte nõ paulo cõmodior uideatur fuiſſe Iudæorũ, quàm noſtra conditio. SA. Erras tota uia Lanio, Chriſti iugũ nõ æſtimatur ad iſtã regulã, quã imaginaris. Pluribus aſtringitur Chriſtianus, & aſtringitur ad difficiliora, deniq; ad pœnam grauiorẽ, ſed his adiũcta copioſior uis fidei & charitatis facit ea ſuauia, quæ natura ſunt grauiſſima. L. Atqui quũ olim ſpiritus ſpecie linguarũ ignearũ è cœlo delapſus, copioſiſſimo dono fidei & charitatis locupletarit pectora credentiũ, quur detractũ eſt legis onus, uelut

imbecillibus ac ſub iniqua ſarcina periclitantibus? Quur Petrus iam afflatus ſpiritu uocat onus intolerabile? SA. Detractum eſt ex parte, ne Iudaiſmus, ut cœperat, obrueret Euangelij gloriã, & ne legis odio gentes aliena rentur à Chriſto, inter quas erant infirmi plurimi, quibus inſtabat duplex periculum, alterũ ne crederent ſine legis obſeruatione neminem poſſe ſalutem conſequi, alterum ne potius haberent in paganiſmo manere, quàm Moſaicæ legis iugum accipere. Horũ imbecilles animos oportebat uelut eſca quadam libertatis allicere. Rurſus quo mederentur illis, qui negabant ex Euãgelij profeſſione ſalutis eſſe ſpem, citra legis obſeruationẽ, circũciſionem, ſabbatiſmos, delectus ciborũ, aliaq; id genus aut prorſus ſuſtulerunt, aut in aliud uerterunt. Porrò quod Petrus negat ſe legis onus portare potuiſſe, non eſt referendum ad eam perſonam, quam tum gerebat, quũ illi iam nihil eſt intolerabile, ſed ad craſſos & infirmos Iudæos, qui non ſine tædio arrodebant hordei tunicã, nõdum guſtata ſpiritus medulla. LA. Satis tu quidẽ craſſe diſſeris. Atqui mihi uidetur & hodie non minus eſſe cauſarum, quur obſeruationes iſtæ carnales hactenus tolli debeant, ut arbitrariæ ſint, non obligatoriæ. SAL. Qui ſic? LA. Nuper in linteo quodã ampliſſimo, uidi totũ orbem depictum: Illic didici quantula eſſet mundi portio, Chriſti religionẽ pure ſyncereq; profitẽs: nimirũ Europæ particula uergens ad occidentẽ, rurſus altera uergẽs ad ſeptentrionẽ, tertia tẽdens, ſed procul, ad meridiẽ: ad orientem uergẽtis quartæ poſtrema uidebatur Polonia. Reliquus orbis aut Barbaros habet, non ita multum à brutis

Hordei tunicã. Alludit ad allegoriam parabolæ de quinque panibus hordeaceis.

Digitized by Google

brutis animantibus differentes, aut schismaticos, aut hæreticos, aut utrunq;. S A. At non uidisti totum illud littus Austrinum, & sparsas insulas Christianis insignibus notatas? L A. Vidi, didiciq; illinc auectas prædas, Christianismum inductũ non audiui. Quum igitur tam ampla sit messis, uidetur hoc esse consultissimum ad religionem Christianam propagandã, quemadmodũ apostoli sustulerunt onus legis Mosaicæ, ne gentes resilirent, ita nunc ad illiciendos etiam imbecilles, tolli quarundam rerum obligationes, sine quibus initio seruatus est orbis, & nũc seruari posset, modo adsit fides & charitas Euangelica. Rursus audio uideoq; plurimos esse, qui in locis, uestibus, cibis, ieiunijs, gesticulationibus, cantibus, summam pietatis constituunt, & ex his proximũ iudicant, contra præceptũ Euangelicum. Vnde fit, ut quum omnia referantur ad fidem & charitatẽ, harum rerum superstitione extinguatur utrunq;. Procul enim abest à fide Euãgelica, qui fidit huiusmodi factis. Et procul abest à charitate Christiana, qui ob potũ aut cibum, quo recte quis uti potest, exasperat fratrem, pro cuius libertate mortuus est Christus. Quàm amarulentas contentiones uidemus inter Christianos, quàm inimicas calũnias ex ueste aliter cincta tinctáue, ex cibo quem porrigunt aquæ, & quem porrigunt pascua. Hoc malum si ad pauos serpsisset, contemni poterat. Nunc uidemus uniuersum orbem ob hæc dissidijs exitialibus concuti. Hæc si tollerentur, & nos maiori concordia uiueremus, negle ctis ceremonijs, ad ea tantum contendentes, quæ docuit Christus, & reliquæ nationes citius amplecterẽtur re-

Digitized by Google

ligionem cum libertate coniunctam. S A. Extra ecclesiæ domũ non est salus. L A. Fateor. S A. Extra ecclesiam est, quisquis non agnoscit Pontificem Romanum. L A. Nõ reclamo. S A. Sed hunc nõ agnoscit, qui illius præscripta negligit. L A. Atq; ideo spero futurum, ut hic põtifex nomine Clemens, animo pietateq; clemẽtißimus, quo magis omnes nationes ad ecclesiæ sodalitatem alliciat, omnia mitiget, quæ hactenus uisa sunt aliquot populos à Romanæ sedis fœdere alienare, potusq; habeat Euangelij lucrum, quàm suum in omnibus ius persequi. Audio quotidie ueteres querimonias de annatis, de condonationibus, de dispẽsationibus, deq; reliquis exactionibus, de grauatis Ecclesijs: sed arbitror hũc ita moderaturũ omnia, ut posthac impudens sit, qui pergat queri. S A. Vtinã idem facerent omnes monarchæ. Nihil addubito quin res Christiana nunc in arctũ coacta felicißime sit proferẽda, si gẽtes barbaræ senserint se uocari, nõ ad seruitutem humanã, sed ad libertatem Euangelicam, nec ad rapinã expeti, sed ad felicitatis & sanctimoniæ consortiũ. Vbi coaluerint, & in nobis mores uere Christianos cõpererint, ultrò plus offerẽt, quàm ab eis ulla uis queat extorquere. L A. Id breui futurũ auguror, si pestilens Ate, quæ duos potẽtißimos orbis monarchas funesto bello cõmisit, abierit ἐς κόρακας. S A. Atq; ego demiror iam dudum nõ esse factũ, quum Francisco nihil fingi possit humanius, & Carolo Cæsari arbitror à præceptoribus instillatũ, ut quo per fortunam plus accesserit imperij finibus, hoc ipse plus addat clemẽtiæ benignitatiq;. Ad hæc habere solet & ætas ea peculiarem facilitatis

Ate, dea Homerica, quæ dissidia serit inter deos & homines. Litæ tardæ, Ate, uelox.

ἐς κόρακας, id est, in malam rem.

facilitatis ac manſuetudinis dotem. L A. Nihil eſt quod in utroq; deſideres. S A. Quid igitur remoratur publicum orbis uotum? L A. Adhuc Iureconſulti de finibus ambigunt, & ſcis comœdiarum tumultus ſemper deſinere in nuptias. Itidem principes ſuas finiũt tragœdias. Sed in comœdijs ſubito coëunt nuptiæ, hic inter magnos magnis moliminibus res agitur. Et præſtat aliquanto ſerius obduci cicatricem, quàm mox iterum hulcus erumpere. S A. An credis iſtas nuptias eſſe firma concordiæ uincula? L A. Vellem quidem, ſed ex his uideo ferè naſci maximam bellorum partem, & ſi quod bellum ortum fuerit, dum affinis adeſt affini, latius ſe ſpargit incendium, & difficilius componitur. S A. Fateor & agnoſco ueriſsimum eſſe quod dicis. L A. Sed æquum ne tibi uidetur, ut ob Iureconſultorum rixas, & contractuum moras totus orbis tantum perpetiatur mali? Nunc enim nihil uſquam tutum eſt, & peſsimis licet plurimum, dum neque bellum eſt neque pax. S A. De principum conſilijs nõ eſt meum dicere. Verum ſi quis me faciat Cæſarem, ſcio quid ſim facturus. L A. Eia, facimus te Cæſarem, ſimulq; Romanum Pontificem ſi libet. Quid facis? S A. Fac me potius Cæſarem & regem Galliæ. L A. Age, eſto utrunq;. S A L. Protinus concepto pacis uoto, edicerem per uniuerſam ditionem meam inducias, dimiſsis copijs, denuncians pœnam capitis, ſi quis uel gallinam alterius attigerit. Ita pacatis rebus meo commodo, uel ut melius dicam, publico, tranſigerem de ditionis finibus, aut de coniugij cõditionibus. L A. Habés ne firmiora fœderis uincula quàm matrimonium?

nium? S A. Arbitror. LA. Imparti. S A. Si Cæsar eßem, sic absq; mora transegissem cum rege Gallorũ: Frater, malus quißpiã genius bellũ hoc inter nos excitauit, neq; tamen inter nos certamen fuit de capite, sed de ditione. Tu quod in te fuit, fortẽ ac strenuum bellatorẽ præstitisti: Fortuna mihi fauit, teq; ex rege fecit captiuum. Quod accidit tibi, mihi potuit accidere, & tua calamitas omnes nos admonet humanæ cõditionis. Experti sumus quàm hoc certaminis genus utriq; sit incõmodum. Age diuerso genere inter nos cõflictemur. Dono tibi uitam, dono libertatẽ, pro hoste recipio te in amicum. Sit omnium præteritorũ malorum obliuio. Redi ad tuos gratis ac liber, habe tibi tua, esto bonus uicinus, & posthac geratur unum hoc certamen inter nos, uter alterũ fide, officijs ac beneuolentia uincat, neq; certemus uter altero latius regnet, sed uter sanctius administret suam ditionẽ. In priori conflictu fortunati laudẽ tuli, hic qui uicerit longe splendidius auferet decus. Mihi quidem hæc clementiæ fama plus adferet ueræ laudis quàm si uniuersam Galliam meæ ditioni adiunxissem. Et tibi gratitudinis opinio plus decoris cõciliabit quàm si me tota Italia depulisses. Noli inuidere mihi laudẽ quam affecto, ego uicißim tuæ sic fauebo, ut huic amico libẽter sis debiturus. L A. Profecto sic poßit astringi Gallia. Imò totus orbis. Etenim si cõditionibus iniquis hulcus hoc obducatur uerius quàm sanetur, uereor ne mox per occasionẽ rupta cicatrice, pus uetus erũpat maiore cum malo. SA. Quàm magnificã quamq; plausibilẽ gloriam hæc humanitas per uniuersum orbem pararet Carolo. Quæ natio

se non

ſe non lubens tam humano tamq; clementi principi ſubmitteret? L A. Egiſti Cæſarem ſat feliciter: Nunc age Pontificem. S A. Perlongũ ſit ſingula perſequi. Dicam compendio. Sic agerem, ut uniuerſus orbis intelligeret eſſe principẽ Eccleſiæ, qui nihil aliud ſitiret, quàm Chriſti gloriam & ſalutem omnium mortalium. Ea res uere mederetur inuidiæ Põtificij nominis, & ſolidã ac perennem pararet gloriam. Sed interim ab aſino, quod aiunt delapſi, multum aberrauimus ab inſtituto. L A. Ego te mox reducã in uiam. Ais igitur obligare Pontificum leges omnes qui ſunt in Eccleſia? S A. Aio. L A. Ad pœnam gehennæ? S A. Aiunt. L A. Etiam Epiſcoporum? S A. Sic arbitror, in ſua cuiuſq; ditione. L A. Etiã Abbatum? S A. Hæreo, nam hi certis conditionibus accipiunt adminiſtrationem, nec poſſunt ſuos grauare cõſtitutionibus, niſi ex autoritate totius ordinis. L A. Quid ſi epiſcopus iiſdem conditionibus accipiat ſuam functionem? S A. Addubito. L A. Quod epiſcopus conſtituit, Pontifex poteſt reſcindere? S A. Opinor. L A. Quod Pontifex decreuit, nemo poteſt abrogare? S A. Nemo. L A. Vnde igitur audimus reſciſſas Pontificum ſententias, hoc titulo, quod parum recte fuerint edocti, & priorum conſtitutiones à poſterioribus antiquatas, quod à pietate delirarent? S A L. Iſta ſubreptitia ſunt ac temporaria. Nam & in Pontificem ut hominem cadit ignorantia perſonæ factiue. Cæterum quod ex autoritate concilij uniuerſalis proficiſcitur, cœleſte oraculum eſt, & pondus habet par Euangelijs aut certe proximum. L A N. Licét ne de Euangelijs dubitare? S A.

Ab aſino, id eſt, a propoſito digreſſi. Vide Chiliades.

Antiquatas, id eſt, abrogatas.

Bona

Bona uerba, ne de concilijs quidem rite in ſpiritu ſancto congregatis, peractis, æditis & receptis. LA. Quid ſi quis dubitet, an hæc competant in concilium quod obijcitur, quemadmodum audio Baſilienſe Concilium à nonnullis reijci, nec omnibus probari Conſtantienſe: loquor de his qui nunc habentur orthodoxi, ne quid dicam de proximo Concilio Lateranenſi. S A. Dubitent qui uelint ſuo periculo. Ego nolo dubitare. L A. Petrus igitur habuit autoritatem condendi nouas leges? S A. Habuit. L A N. Habuit & Paulus cum cæteris Apoſtolis? S A. Habuerunt in ſuis quiſque eccleſijs, à Petro ſeu Chriſto commiſſis. L A N. Et Petri ſucceſſoribus par eſt poteſtas cum ipſo Petro? S A. Quid ni? L A N. Tantundem igitur honoris debetur reſcripto Romani Pontificis, quantum epiſtolis Petri: & tantundem conſtitutionibus epiſcoporum, quantum epiſtolis Pauli? S A L. Equidem arbitror etiam amplius deberi, ſi præcipiant & legem ferant cum autoritate. L A N. Sed fas ne eſt dubitare, an Petrus & Paulus ſcripſerint afflatu diuini ſpiritus? S A. Imò hæreticus ſit qui dubitet. L A. Idem cenſes de reſcriptis & conſtitutionibus Pontificum & epiſcoporum? S A. De Pontifice cenſeo, de epiſcopis ambigo, niſi quod pium eſt de nullo perperam ſuſpicari, ni res ipſa palàm clamitet. L A N. Quur ſpiritus cituus patitur errare epiſcopum, quàm Pontificem? S A L S. Quia grauius eſt à capite periculum. L A N. Si tantum ualent præſulum conſtitutiones, quid ſibi uult quod dominus in Deuteronomio tam rigide comminatur, ne quis quid addat aut adimat legi?

S A L.

Digitized by Google

SAL. Non addit legi, qui latius explicat quod latebat, qui ea suggerit quæ spectant ad legis obseruationem, neque detrahit qui pro uiribus audientium legem dispensat, alia promens, alia cælans pro ratione temporis. LAN. *Num obligant pharisæorum ac scribarum constitutiones?* SA. *Non arbitror.* LA. *Quur ita?* SA. *Quia docendi habebant autoritatem, non condendi leges.* LAN. *Vtra potestas uidetur amplior, condendi leges humanas, an interpretandi diuinas?* SAL. *Condendi humanas.* LA. *Mihi secus uidetur. Etenim cuius est interpretandi, huius sententia pondus habet legis diuinæ.* SA. *Non satis assequor quod dicis.* LA. *Dicam explanatius. Lex diuina iubet subuenire parenti: Pharisæus interpretatur hoc esse datum patri, quod missum est in corbonā, eo quod deus pater sit omnium. Nonne huic interpretationi cedit lex diuina?* SA. *Ista quidem falsa interpretatio est.* LAN. *Sed posteaquàm illis semel tradita est interpretandi autoritas, unde mihi constabit, cuius sit uera interpretatio, maxime si ipsi inter se dissentiant?* SA. *Si minus satisfecit tibi sensus cōmunis, sequere præsulum autoritatem. Id tutissimum est.* LA. *Ergo pharisæorum & scribarum autoritas deoluta est ad theologos & concionatores?* SAL. *Est.* LA. *Sed nullos audio frequentius inculcantes, audite, ego dico uobis, quàm eos qui nūquam uersati sunt in palæstris theologicis.* LA. *Audies omnes candide, sed cum iudicio. Modo ne simpliciter insaniant. Tum enim oportet populū cum sibilo surgere, quo suam agnoscāt demētiam. Cæterum quibus cōtigit titulus doctoris, his oportet fidere.*

tet fidere. L A. Verum in his quoq; comperio nonnullos multo rudiores ac ſtultiores illis qui prorſus ſunt illiterati, & inter doctiſſimos miram uideo controuerſiã. S A. Elige quæ ſunt optima, inexplicata alijs relinquito, ea ſemper amplectens, quæ procerum & multitudinis conſenſus approbauit. L A. Scio iſthuc eſſe tutius. Sunt igitur & cõſtitutiones iniquæ, quemadmodũ ſunt interpretationes falſæ? S A. An ſint, alij uiderint, arbitror eſſe poſſe. L A. Annas & Caiphas habebant potestatem condendi leges? S A. Habebant. L A. Num horum quauis de re conſtitutiones obligabant ad pœnam gehennæ? S A. Neſcio. L A. Puta Annam cõſtituiſſe, ne quis reuerſus à foro ſumeret cibum, niſi loto corpore, qui illotus caperet cibum, num crimen gehenna dignum admitteret? S A. Non arbitror, niſi cõtemptus publicæ poteſtatis crimen exacerbaret. L A. An omnia præcepta dei obligant ad pœnam gehennæ? S A. Nõ opinor. Nam deus prohibuit omne peccatum quãlibet ueniale, ſi theologis habenda fides. L A. Fortaſſis & ueniale pertraheret in gehennã, niſi deus ſua miſericordia ſubleuaret imbecillitatem noſtram. S A. Non eſt abſurdum dictu, affirmare non auſim. L A. Quum Iſraëlitæ exularent in Babylone, præter alia plurima, quæ lex præſcripſit, in multis fuit omiſſa circunciſio. An omnes hi perierunt? S A. Deus novit. L A. Si Iudæus clàm fame periclitans ueſceretur carne ſuilla, committeret ne crimen? S A. Mea quidem ſententia neceſſitas excuſaret factum, quandoquidem ore domini defenſus eſt Dauid, quod contra legis præceptum comederit panes ſacros,

quos

Digitized by Google

quos appellant propositionis: nec solum comedit ipse, sed & fugæ comites prophanos ijsdē pauit. LAN. Si quem ea necessitas constringeret, ut aut pereundum sit fame, aut furtum cōmittendum, utrum eligeret, mortē, an furtum? SA. Forsitan in eo casu furtum furtum non esset. LA. Hem quid audio, ouum non est ouum? SAL. Præsertim si caperet animo reddendi, placandiq; domi-num, quum primum liceret. LA. Quid si pereundum homini, nisi falsum testimonium ferat aduersus proxi-mum, utrū eligendum? SA. Mors. LA. Quid si cōmisso adulterio posit seruare uitam? SAL. Potior erit mors. LA. Quid si simplici stupro possis effugere mortem? SAL. Moriendum potius, ut aiunt. LAN. Quur hic ouum non desinit esse ouum? præsertim si nulla fiat uis aut iniuria. SA. Fit iniuria corpori puellæ. LA. Quid si periurio? SA. Moriendum. LAN. Quid si simplici nulliq; noxio mendacio? SA. Docent præoptandā mor-tem. At ego crediderim graui necessitate, aut ingenti propositæ utilitate mendaciū huiusmodi aut nullum esse crimen, aut leuissimū, nisi quod aperta fenestra, pericu-lum est, ne discamus & pernicios mēdacijs assuescere. Finge incidisse casum, ut innoxio mendacio posit ser-uare & corpora & animas totius patriæ suæ, utrum eliget uir pius, fugiet mendacium? LAN. Quid alij sint facturi nescio, ego uel quindecim Homerica mendacia non uerear dicere, moxq; labeculam illam abstergerem aqua sacra. SAL. Idem ego facerem. LAN. Igitur non quicquid deus præcipit aut interdicit obligat ad pœ-nam gehēnæ. SAL. Non uidetur. LAN. Modus igitur

Digitized by Google

obligationis nõ eſt ab autore legis tantum, ſed ex materia. Quædam enim cedunt neceßitati, quædam non cedunt. S A. Sic uidetur. L A. Quid ſi ſacerdos periclitetur de uita, ſeruandus ſi ducat uxorem, utrum eliget? S A. Mortem. L A. Quum diuina lex cedat neceßitati, quur hæc lex humana Terminũ agit, nulli dignans cõcederc? S A. Non lex obſtat, ſed uotum. L A N. Quid ſi quis uouiſſet uiſere Hieroſolymam, nec id poſſet, niſi certo uitæ diſpendio, non ibit, an morietur? S A. Morietur, ni uoti relaxationẽ impetrarit à pontifice Romano. L A. Quur alterum uotum relaxatur, alterũ minime? S A L. Quia alterum ſolẽne, alterum priuatum. L A. Quid eſt ſolẽne? S A L. Quod ſolet fieri. L A N. An non igitur ſolenne & alterum quod quotidie fit? S A. Fit, ſed priuatim. L A N. Proinde monachus ſi priuatim apud abbatẽ profiteretur, nõ eſſet uotum ſolẽne? S A. Nugaris. Ideo facilius relaxatur priuatũ, quia minore offendiculo ſoluitur, & is qui facit, hoc animo facit, ut ſi cõmodum ſit, mutet ſententiã. L A. Hoc igitur animo uouent, qui priuatim profitentur perpetuã caſtimoniam? S A. Deberent. L A. Perpetuũ igitur & non perpetuum? Quid ſi Cartuſianum monachum hic conſtringat caſus, ut aut ueſcendum ſit carnibus, aut moriendum, utrum eliget? S A. Docent medici, nullas eſſe carnes tam efficaces, quin idem efficiat aurum potabile & gemmæ. L A N. Vtrum igitur conducibilius, gemmis & auro ſuccurrere periclitanti, an earum rerum precio multos de uita periclitantes ſeruare, & egroto dare pullum gallinaceum? S A L. Hæreo. L A N.

Terminũ agit. Fabula de Termino deo, qui nec louí uoluit concedere, notiſſima eſt.

Atqui

Digitized by Google

Atqui piſcium aut carnium eſus non eſt ex eorũ numero, quæ uocant ſubſtantialia. S A. Cartuſianos ſuo iudici relinquamus. L A. Dicamus in genere. Diligenter, frequenter, multisq; uerbis inculcatur in lege Moſi ſabbatiſmus. S A. Verum. L A N. Vtrum igitur ſuccurram urbi periclitanti uiolato ſabbato, an nõ? S A. At interim me uis eſſe Iudæum? L A. Volo, & quidem recutitum. S A. Iſtum nodũ ſecuit ipſe dominus. Sabbatũ enim hominis cauſa eſt inſtitutũ, non cõtra. L A. Iſta lex igitur ualebit in omnibus humanis conſtitutionibus? S A. Valebit, niſi quid obſtet. L A N. Quid ſi cõditor legis nõ hoc animo ferat legem, ut quenquam obliget ad pœnã gehennæ, imò ne ad reatum quidem ullum, ſed conſtitutionem nihilo plus uelit habere ponderis, quàm exhortationem? S A. O bone, non eſt in manu cõditoris, quãtum obliget lex. Vſus eſt ſua poteſtate ferenda lege: cæterum ad quid obliget, aut non obliget, id deo in manu eſt. L A. Quur igitur audimus quotidie parochos noſtros è ſuggeſto clamantes: cras ieiunandum ſub pœna damnationis æternæ: ſi nobis non conſtat, quomodo lex obliget humana? S A L. Id faciunt, quo magis terreant contumaces, nam ad hos arbitror ea uerba pertinere. L A. Sed interim an contumaces talibus dictis territent, neſcio, certe infirmos uel in ſcrupum, uel in periculum conijciunt. S A. Difficile eſt utriſq; conſulere. L A. Eadem autẽ eſt uis conſuetudinis & legis? S A L. Aliquando maior. L A. Proinde tametſi non adeſt animus conſuetudinem inducentibus inijciendi laqueum cuiquam, tamen obligat uolentes nolẽtes? S A. Arbitror. L A N.

Digitized by Google

Onus imponere poteſt, tollere non poteſt? S A. Admodum. L A. Iam itaq; uides opinor, quãtum ſit periculi, nouas leges ab hominibus ferri, ſi nulla neceſsitas urgeat, aut nulla magna inuitet utilitas. S A. Fateor. L A. Dominus quum ait, nolite omnino iurare, num quĕuis iurantem obnoxium facit gehennæ? S A L. Non arbitror. Conſilium eſt enim, nõ præceptũ. L A N. At iſtud unde mihi liquet, quum uix aliud accuratius aut ſeuerius interdixerit, quàm ne iuremus? S A. Diſces à doctoribus. L A. Et Paulus quum dat conſilium, non obligat ad gehĕnam? S A. Nequaquam. L A N. Quur ita? S A. Quia non uult injicere laqueũ infirmis. L A. Eſt igitur in manu condentis legem, obſtringere ad gehĕnam, aut non obſtringere. Et ſanctum eſt cauere, ne quibuslibet cõſtitutionibus illaqueemus imbecilles? S A. Eſt. L A. Et ſi Paulus hic cautionem adhibuit, multo magis ſacerdotibus adhibenda, de quibus incertum, quo ſpiritu agantur. S A. Fateor. L A. Atqui pauloante negabas eſſe in manu conditoris, quatenus obſtringeret lex. S A. Iam conſilium eſt non lex. L AN. Nihil eſt facilius, quàm commutare uocabulum. Noli furari, præceptum eſt? S A L. Eſt. L A. Noli omnino reſiſtere male? S A. Cõſiliũ eſt. L A. At hoc poſterius magis habet ſpeciẽ præcepti, quàm illud prius. Saltem hoc eſt epiſcopis in manu, utrũ uelint eſſe præceptum, quod inſtituunt, an cõſilium? S A. Eſt. L A. At iſtud pauloante fortiter negabas. Etenim qui nõ uult ſuã conſtitutionem quĕquã ad ullũ crimĕ aſtringere, nimirum uult eam eſſe conſilium, nõ præceptum. S A L. Verum, ſed non expedit hoc ſcire uulgus,

Digitized by Google

uulgus, ne protinus clamitent esse consilium, quod seruare non libet. L A N. *At quid interim facies, tot infirmis conscientijs tam misere cõfusis tuo silentio? Verum age dic mihi, nullis ne notis docti deprehẽdere possunt, utrum consilij uim habeat cõstitutio, an præcepti?* S A. *Possunt, sicut audiui.* L A. *Non licet scire mysterium?* S A. *Licet, nisi uelis effutire.* L A. *Ah, pisci dixeris.* S A. *Quũ nihil audis, nisi hortamur, ordinamus, mandamus, cõsilium est: quum audis iubemus, districte præcipimus, præsertim si accedãt minæ excõmunicationis, præceptũ est.* L A. *Quid si debeam pistori meo, quumq; soluẽdo non sim, fugere malim quàm cõijci in carcerẽ, num pec co criminaliter?* S A. *Non arbitror, nisi desit soluẽdi uoluntas.* L A. *Quur igitur excõmunicor?* S A. *Istud fulmen territat improbos, nõ adurit innocentes. Scis enim & apud priscos Romanos fuisse leges diras ac minaces, sed in hoc ipsum tantũmodo latas, qualis illa fertur è duodecim tabulis, de dissecãdo corpore debitoris, cuius ideo nullum extat exemplũ, quod nõ in usum, sed ad terrorem esset prodita. Iam ut fulmen nõ agit in cerã aut linum, sed in æs: ita tales excõmunicationes non agunt in museros, sed in cõtumaces. Et tamen, ut ingenue dicã, in huiusmodi friuolis adhibere fulmen à Christo traditum, propemodũ esse uidetur, quod ueteres dicebant, in lente unguentũ.* L A. *Num idem ius patrisamuliás in sua domo, quod episcopo in sua diœcesi?* S A. *Arbitror, proportione.* L A. *Et huius præscripta similiter obligant?* S A. *Quid ni?* L A. *Edico, ne quis uescatur cepis. Quomodo periclitatur apud deum, qui non paruerit?* S A.

Pisci dixeris. Pisces mutos eẽ declarat puerbium.

De dissecãdo corpore. Vide Aul. Gelliũ de pœna talionis.

Digitized by Google

Ipſe uiderit. L A. Poſt hac non dicã meis, præcipio, ſed admoneo. S A. Sapies. L A. Verum perſpicio uicinum meũ proximum eſſe periculo, & arreptum clàm admoneo, ut ſeſe ſubducat ab ebrioſorum & aleatorũ commercio, ille monitorẽ aſpernatus, perditius incipit uiuere quàm antea, num hic illum obſtringit admonitio? S A. Videtur. L A. Igitur neq; conſulendo, neq; exhortando fugimus laqueum. S A. Imò nõ adfert laqueũ admonitio, ſed admonitionis argumentũ. Etenim ſi frater admonitus, ut crepidis uteretur, negligeret, nullo crimine teneretur. L A. Non hic percõtabor, quantũ obligent præſcripta medicorũ. Votũ obſtringit ad pœnam gehennæ? S A. Maxime. L A. Omne? S A. ~~Omniſſimum~~, modo ſit licitum, legitimum, ac liberũ. L A. Quid appellas liberũ? S A. Quod nulla extorſit neceſſitas. L A. Quid eſt neceſſitas? S A. Eſt metus cadens in conſtantẽ uirum. L A. Etiam in Stoicum, quẽ ſi fractus illabatur orbis impauidum ferient ruinæ? S A. Iſtum Stoicũ mihi oſtende, & reſpondebo. L A. Sed extra iocum, num famis aut infamiæ metus cadit in conſtantem uirum? S A. Quid ni? L A. Si filia nõdum emancipata clàm nubat inſcijs parentibus, nec paſſuris ſi ſciant, legitimum erit uotum? S A. Erit. L A. An ſit, neſcio, certe ſi qua ſunt, hoc eſt unum ex illorum numero, quæ licet uera ſint, tamen ob ſcandalum imbecillium ſilenda ſunt. Quid ſi uirgo quæ ex autoritate parentũ contraxit matrimonium cũ ſponſo, clàm, & inuitis parẽtibus, uoto ſemet addicat collegio ſanctæ Claræ, erit ne licitum & legitimum? S A. Si fuerit ſolenne. L A N. Num ſolẽne eſt, quod

Si fractus illabatur. Retulit uerba Flacci ex Odis.

Digitized by Google

quod in agro fit, in obscuro monasteriolo? S A. Sic habetur. L A. Si eadē domi paucis testibus uoto profitea-tur perpetuam corporis integritatem, non erit legiti-mum? S A. Non. L A. Quamobrem? S A. Quia sanctius uotum obstat. L A. Eadem puella si uendat agellum, ua-lebit contractus? S A L. Nō opinor. L A N. Et ualebit, si seipsam dederit in potestatem alienam? L A. Si se deo dicauerit. S A. An non & uotum priuatum dicat homi nem deo? Et qui suscipit sanctum coniugij sacramentū, nonne se dicat deo? Et quos deus iungit, dicant se dia-bolo? De solis cōiugibus dixit dominus: quos deus iun-xit, homo ne separet. Ad hæc quū adolescens uix dum pubescēs, aut puella simplex, minis parentū, sæuitia tu-torum, improbis instinctibus monachorū, blāditijs, & odijs protruditur in monasteriū, num liberū est uotū? S A. Si sint doli capaces. L A. Ea ætas maxime capax est doli, ut cui facillime posßis imponere. Quid si pro-ponā in animo diebus Veneris abstinere à uino, pinde obstringit propositum ut uotum? S A. Non arbitror. L A. Quid igitur interest inter certū propositum, & uotum tacita cogitatione cōceptum? S A. Animus obli-gandi. L A. Negabas ante hic ualere animū. Propono si queam, & uoueo, siue queam, siue non queam? S A. Habes. L A N. Habeo nebulas in pariete depictas, hoc est, nihil. Est igitur & in proposito dispicienda mate-riæ ratio? S A. Opinor. L A. Et ut illic à legis, ita hic à uoti nomine cauendū? S A. Recte. L A. Si Romanus Pon tifex statueret, ne quis iungat matrimoniū intra septi-mum propinquitatis gradū, admitteret crimē qui duce

Doli capaces. Ita loquunt iu-reconsulti. Alter ex ambiguo io-catur, quasi do-li capax, qui do lo est idoneus.

Digitized by Google

ret cognatã gradu ſexto? S A. Opinor, certe periclitaretur. L A. Quid ſi epiſcopus ſuis ediceret, ne quis haberet rem cũ uxore, niſi die lunæ, Iouis & ſabbati, cõmitteret crimen, qui clàm alijs diebus uteretur uxore? S A. Arbitror. L A. Quid ſi ediceret ne quis bulbis ueſceretur? S A. Quid iſtuc ad pietatẽ? L A N. Quia bulbi prouocant libidinẽ. Quod de bulbis dico, idẽ dictum puta de erucis. S A. Hæreo. L A. Quid hæres? unde eſt humanis legibus obligãdi uis? S A. Ex dictis Pauli: Obedite præpoſitis ueſtris. L A. Hinc igitur obligat omnis epiſcoporum ac magiſtratuum conſtitutio? S A. Modo ſit æqua, iuſta, & legitime lata. L A. Sed iſtius rei quis erit iudex? S A. Ipſe qui cõdidit. Nã eius eſt interpretari, cuius eſt condere legẽ. L A. Ergo citra delectum eſt obediendum quibuslibet conſtitutionibus? S A. Opinor. L A. Quid ſi præpoſitus ſtultus & impius ferat legem impiã & iniquã, ipſius iudicio ſtandũ eſt, & populus cui nullũ eſt iudicãdi ius obtemperabit? S A. Quorſum attinet ea ſomniare quæ nõ fiunt? L A. Qui ſubuenit parenti, nõ ſubuenturus niſi lex cogeret, num impleuit legem? S A. Non arbitror. L A N. Qui ſic? S A. Primũ nõ ſatisfacit animo eius qui condidit legem. Deinde uoluntati impiæ addit hypocriſim. L A N. Qui ieiunat, non ieiunaturus, niſi præciperet eccleſia, num ſatisfacit legi? S A. Mutas & autorem legis & materiã. L A. Cõfer igitur Iudæum ſic ieiunantem diebus præſcriptis, ut ni lex huc adigat non ſit ieiunaturus, cum Chriſtiano ſeruante ieiunium ab hominibus indictum, haud quaquã ſeruaturo, ſi legẽ tollas: aut ſi mauis Iudæum abſtinentem

Bulbis. Genus eſt cepis. Et bulbus & eruca prouocat uenerem; unde Ouidius ſalaces uocat erucas.

Digitized by Google

nentem à carne ſuilla, & Chriſtianum abſtinentem à carnibus & lactarijs die Veneris. S A L. Infirmitati nonnihil reluctanti legi, puto paratam eſſe ueniam, certe propoſito legem auerſanti & obmurmuranti non item. L A. Atqui fateris leges diuinas non ſemper obligare ad pœnam gehennæ. S A. Quid ni fatear? L A N. Nec audes fateri eſſe legem humanam quæ non obligat ad eãdem pœnam, ſed hominem relinquis in ancipiti. Videris igitur aliquanto plus tribuere legibus hominum quàm dei. Mendacium & obtrectatio ſuapte natura ſunt mala, & à deo prohibita, & tamen fateris eſſe aliquod mendacij & obtrectationis genus, quod non obliget ad pœnam gehẽnæ: Nec audes eum qui quomodocunq; ueſcitur carnibus in die Veneris liberare à pœna gehennæ. S A. Non eſt meum quemquàm abſoluere aut damnare. L A N. Si diuinæ leges & humanæ pariter obſtringunt, quid igitur intereſt inter has & illas? S A. Nimirum quod qui uiolat legem humanam, immediate peccat aduerſus hominem, (ſi mihi concedis ſcholaſticorum floſculis uti) mediate aduerſus deum: qui uiolat legem diuinam, contrà. L A. Quid refert, utrũ prius muſcueris acetum, an abſinthium, quum mihi utrunq; ſit ebibendum? Aut quid refert, utrum lapis à me uulnerato repercuſſus feriat amicum, an ordine uerſo? S A L. Hoc didici. L A N. Et ſi ex materia circumſtantijsq; ſumitur obligandi modus in utriſq; legibus, quid intereſt inter autoritatem dei & hominum? S A N. Impia percontatio. L A N. Attamen multi credunt plurimum intereſſe. Deus tulit legem per Moſen, nec licet uiolare.

Digitized by Google

Idem fert leges per Põtifices, aut certe concilium, quid interest inter has et illas? lex Mosi per hominem, leges nostræ per homines. Et uidentur minus ponderis habere, quæ deus tulit per unum Mosen, quàm quæ spiritus sanctus ædit per frequens episcoporum & eruditorum concilium. S A. De spiritu Mosi dubitare nõ licet. L A. Paulus in episcoporum uicẽ uenit. Quid igitur interest inter Pauli præcepta & cuiuslibet episcopi? S A. Quia sine controuersia Paulus scripsit afflatus spiritu. L A. Hæc scriptorum autoritas quousq; se porrigit? S A. Arbitror non ultra apostolos, nisi quod conciliorum est inuiolata autoritas. L A. Quare de Pauli spiritu dubitare non licet? S A. Quia obstat Ecclesiæ consensus. L A. De episcopis dubitare licet? S A L. De his nihil temere suspicandum, nisi res ipsa palàm clamitet quæstum, aut impietatem. L A N. Quid de concilijs? S A L. Non licet si fuerint rite, & per spiritum sanctum cõgregata peractaq;. L A. Est igitur aliquod concilium in quod ista non cõpetunt? S A L. Esse potest. Quod ni esset, Theologi nequaquam adderent hanc exceptionem. L A. Videtur igitur & de concilijs dubitari posse. S A. Non arbitror, posteaquàm fuerint Christianarum gentium iudicio consensuq; recepta cõprobataq;. L A. Posteaquàm exceßimus pomeria quibus deus uoluit circũscribi sacro sanctam illam & inuiolabilem scripturæ autoritatem, uidetur mihi & aliud esse discrimen legum diuinarum & humanarum. S A L. Quod? L A N. Leges diuinæ sunt immutabiles, nisi si quæ sunt eius generis ut significandi, coërcendi ue gratia uideantur ad tempus datæ, quas

Pomeria. i. limites præscriptos.

& pro

Digitized by Google

& prophetæ defituras iuxta carnalem ſenſum prædixerunt, & apoſtoli iam omittendas docuerunt. Deinde, inter leges humanas exiſtunt nonnunquam iniquæ, ſtultæq; & peſtilentes, unde & abrogantur uel autoritate ſuperiorum, uel conſentiente neglectu populi. Tale nihil eſt in legibus diuinis. Rurſus humana lex ſuapte ſponte ceſſat, ubi ceſſarit cauſa propter quam lata eſt. Veluti ſi conſtitutio iuberet ſingulos quotannis aliquid conferre in ſtructuram templi, tēplo abſoluto, ceſſat rigor legis. Ad hæc lex ab hominibus lata, nō eſt lex, niſi fuerit utētium conſenſu comprobata. Lex diuina, nec expendi debet, nec poteſt abrogari. Quanquam & Moſes legem laturus, ſuffragia populi collegit, non quod hoc eſſet neceſſe, ſed ut illos magis haberet obnoxios. Impudēs enim eſt legem cōtemnere, quam tuo ſuffragio comprobaris. Poſtremo cum leges hominū, quæ ferè corporalia præſcribunt, pædagogi ſint ad pietatem, ceſſare uidētur, ubi quis profecit ad ſpiritus robur, ut iam talibus cancellis non egeat, modo pro uirili utetur ſcandalum infirmorum, non malicioſe ſuperſtitioſorum. Velut ſi pater præſcribat filiæ impuberi, ne bibat uinū, quo tutior ſit illius uirginitas uſq; ad nuptias, quum adoleuerit, iamq; uiro tradita fuerit, non tenetur præcepto patris. Multæ leges habēt inſtar pharmacorum, ea uero mutantur, & cedūt pro re nata, ipſis etiā medicis approbantibus. Quiſi ſem per ijſdem utantur remedijs à ueteribus proditis, plures occiderēt quàm ſanarent. S A. Multa tu quidem congeris, quorū nonnulla placent, aliqua diſplicent, quædam non intelligo. L A N. Si lex epiſcopi quæſtum euidenter oleat,

oleat, hoc est, statuat ut singuli parochi bis in anno emant aureo ducato ius absoluendi à casibus quos uocant episcopales, quò plus extorqueat à suis, obtemperãdum censes? S A. Censeo, sed interim clamandum aduersus legem iniquã, excluſa semper seditione. Sed unde hic mihi percontator Lanio? Tractent fabrilia fabri. L A. Huiusmodi quæstionibus sæpe torquemur in conuiuijs. Interdum diatriba feruescit ad pugnam & sanguinem. S A. Pugnent qui uolent, ego censeo leges maiorum esse reuerenter suscipiendas & obseruandas religiose, uelut à deo profectas: nec esse tutum, nec esse pium de potestate publica siniſtram concipere aut ferere suspicionem. Et si quid est tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, satius est ferre, quàm seditiose reluctari. L A. Ista quidem ratione fateor bene consultum rebus eorum qui dignitate pollent, & tecum sentio, nec illis inuideo. Cæterum lubens audiam rationem qua consulatur & populi uel libertati uel commodis. S A. Deus non destituet populum suum. L A N. Verum ubi interim illa libertas spiritus, quam apostoli promittunt ex Euangelio, quam Paulus toties inculcat, clamans: Regnum dei non est esca & potus: & quod filij non simus sub pædagogo, nec amplius seruiamus elementis huius mundi: aliáq; innumera, si tanto pluribus constitutionibus onerantur Christiani quàm Iudæi, & si arctius obligãt hominum leges quàm pleraq; à deo tradita præcepta? S A L. Dicam Lanio. Non in hoc est Christianorum libertas, ut liceat illis facere quæ uelint, liberis à constitutionibus humanis, sed quod ex feruore spiritus ad

omnia

omnia prompti, lubẽtes & alacres ea faciunt, quæ præscribuntur, nimirum filij potius quàm serui. LAN. Expedite, sed erant & sub lege Mosaica filij, & sunt sub Euangelio serui, atque adeo uereor, ne maxima pars hominum, si serui sunt, qui lege coacti suum officium faciunt. Quid igitur discriminis inter nouam & ueterẽ? SAL. Meo iudicio multum interest. Quod uetus sub inuolucris docuit, noua sub oculos posuit. Quod illa sub ænigmatibus prædixit, hæc dilucidius ostendit. Quod illa subobscure promisit, hæc exhibuit maxima quidem ex parte. Illa tradita erat uni genti, hæc ex æquo docet omnes salutem. Illa paucis prophetis & eximijs uiris impartijt insignem illam & spiritualem gratiam, hæc omne donorum genus largiter effudit in omnium ætatum, sexuum, et nationum homines, linguas, sanationes, prophetias, miracula. LAN. Vbi nunc igitur ista? SA. Cessarunt, non interierunt, uel quia non est opus, iam euulgata Christi doctrina, uel quia plerique titulo tantũ Christiani, fide quæ est miraculorum architectrix, caremus. LAN. Si propter incredulos ac diffidentes opus est miraculis, talium nunc plena sunt omnia. SAL. Est incredulitas simpliciter errans, qualis erat Iudæorum obmurmurantium Petro, quod Cornelij familiam recepisset ad Euangelij gratiam: qualis erat gentium, quæ religionem quam à maioribus acceperant, putabant esse salutiferam, & apostolorum doctrinam esse superstitionem peregrinam: hi conspectis miraculis conuersi sunt. Nunc qui diffidunt Euangelio, tanta luce per uniuersum orbem coruscante, non simpliciter errant, sed excæcati

excæcati malis affectibus nolūt intelligere, ut bene agāt: Hos nulla miracula reducerent ad mentem meliorem. Et sanandi tempus nunc est, puniendi post futurum est. LAN. Quanquam multa dixisti satis probabiliter, tamen mihi propositum est, non fidere salsamētario, sed adibo theologum quēdam eximie doctum, quicquid is de singulis pronunciauerit, cœlestis oraculi uice fuerit. SAL. Quis iste? Pharetrius? LAN. Ille simpliciter delirat & ante annos, dignus qui concionetur deliris aniculis. SAL. Bliteus? LAN. An ego tam loquaci sophistæ credam? SA. Amphicholus? LAN. Nunquam ei credam in soluēdis quæstionibus, cui meo malo credidi carnes meas. An ille bona fide soluat problemata, qui pessima fide nondum soluit pecuniam? SA. Lemantius? LA. Nō utor cæcis ad indicandā uiā. SA. Quis igitur? LA. Si scire uis, Cephalus est, uir trium linguarum & omnis politioris literaturæ perpulchre gnarus, tum in sacris uoluminibus & uetustis theologis diu studioseq; uersatus. LA. Dabo rectius cōsilium. Eas ad inferos, illic inuenies rabinum Druinum, qui tenedia bipenni dissecabit omnes tuas quæstiunculas. LAN. Tu præi, quo mihi uiam appares. SAL. Sed extra iocum: Est ne uerum quod narras, datum potestatem uescendi carnibus? LA. Ludebam, te ut urerem. Et si Romanus pontifex id uellet maxime, ordo salsamentariorum moueret seditionem, deinde mundus est plenus pharisaicis hominibus, qui non alia re sibi possunt uindicare sanctimoniam, nisi talibus obseruatiunculis, hi nec paterentur sibi detrahi iam partam gloriam, nec sinerent minoribus plus esse libertatis,

bertatis, quàm ipsis fuit. Ne in lanionum quidem rem esset, permitti liberum quarumlibet rerum esum. Tum enim uarius esset euentus nostræ negociationis, nũc certius est lucrum & minus aleæ, minusq; laborum. S A L. Verissima prædicas, sed eadem incommoditas ad nos redit. L A. Gaudeo tandem inuentum aliquid, in quo sal samentario cum lanione conueniat. Iam ut incipiam & ipse serio loqui, quemadmodum fortassis expediret populum Christianum paucioribus constitutiunculis obstringi, præsertim si quæ non multum aut nihil cõducunt ad pietatem, ne dicam officiunt: ita non libet ab istis stare, qui omnes omnium hominum constitutiones reijciunt, neque flocci faciunt. Imò ob hoc ipsum multa faciunt, quia præceptum est, ne faciant. Attamen demirari non possum in plerisq; rebus præpostera mortaliũ iudicia. S A. Idem nec ego satis admirari possum. L A. Cœlum terræ miscemus, si quid periculi suspicamur, ne quid decedat ponderis sacerdotum constitutionibus, autoritatiq;, & dormitamus quum imminet euidens periculum, ne tantum tribuamus hominum autoritati, ut autoritati diuinæ minus tribuatur quàm oportet. Sic à Scylla declinamus, ut nõ metuamus Charybdim, malũ exitiabilius. Debetur episcopis suus honos, quis negat? præsertim si agunt quod dicũtur. Sed impiũ est, honores soli deo debitos transferre in homines, & dum impense reueremur hominẽ, parum reuereri deũ. Honorandus deus in proximo, uenerãdus in proximo, sed interim adhibenda cautio, ne deus per hãc occasionẽ suo fraudetur honore. S A. Itidẽ uidemus multos in tantũ fidere corporali-

Minus aleæ. i. minus periculi

bus

bus ceremonijs, ut his freti negligant ea, quæ sunt ueræ pietatis, suis meritis arrogantes, quod est diuinæ largitatis, & ibi consistentes, unde gradus erat ad perfectiora, & ex his rebus proximũ calũniãtes, quæ per se nec bonæ sunt, nec malæ. L A. Quin in eadẽ re quum duo sint, quorũ alterum altero præstantius, semper deteriores est nobis potior ratio. Corpus et quæ corporis sunt, ubiq; pluris fiũt, quàm ea quæ sunt animi, et hominẽ occidisse pro graui crimine ducitur, ut est: at pestifera doctrina, uipereis instinctibus corrupisse mẽtẽ hominis, ludus est. Si sacerdos alat capillitiũ, aut uestẽ sumat hominis prophani, rapitur in carcerẽ, acriter punitur: si bibat in lupanari, si scortetur, si ludat aleã, si uitiet alienas uxores, si nihil attingat sacræ lectionis, tamẽ colum nã est ecclesiæ. Nõ excuso mutatã uestẽ, sed accuso præposterũ iudiciũ. S A. Imò si nõ persoluat pẽsum ~~precum horariarũ~~, paratũ est anathema: si fœneretur, si simoniã admittat, impune est. L A. Si quis uideat Cartusianũ aliter uestitũ, aut uescẽtẽ carnibus, quàm execratur, quàm horret, quàm timet, ne terra dehiscẽs & spectatorẽ & spectatũ absorbeat: idẽ si uideat eũ temulẽtũ, mẽdacibus uerbis in famam aliorum debacchãtem, manifestis dolis imponentem tenui uicino, nemo perinde abominatur. S A L. Veluti si quis uideat Franciscanum enodi cingulo cinctum, aut Augustinensem non corio sed lana cinctum, aut discinctum Carmelitam, aut cinctum Rhodiensem. Rursus si ~~percalceatum~~ Franciscanum, aut ~~semicalceatum~~ cruciferũ, nonne concitaret Tyria quod dici solet, maria? L A N. Imò nuper apud nos ex duabus

Tyria maria. i. summos tumultus. Vide prouerbium.

Digitized by Google

bus fœminis, quarum utramq; dixisses prudentem, altera abortijt, altera cõcidit syncopi, quod cõspicerent canonicum quendam sacris uirginibus præfectum in propinqua uicinia, sed tamen in publico obambulare, qui ueſtem lineam non haberet tectam nigro pallio. At eædem crebro uiderant aues eiusmodi comeſſantes, cantillantes, ſaltitantes, non addam cætera, nec ullam ſentiebant nauſeam. SAL. Sexui fortaſſe debetur uenia. Opinor tibi notum Polythreſcum. Is ægrotabat periculoſe, phthiſis erat. Medici diu ſuaſerant, ut ueſceretur ouis & lactarijs, ſed fruſtra: Eôdem cohortabatur epiſcopus. Ille quum eſſet uir nõ indoctus, & theologiæ baccalaureus, uidebatur citius emoriturus, quàm utruſq; medici conſilio morem geſturus. Ita uſum eſt medicis & amicis, ut falleretur. Parata eſt ſorbitio ex ouis & lacte caprino, dictum eſt lac amygdalinum. Ille lubens comedit, & idem aliquot diebus faciens, cœpit habere meliuſcule, donec puella quædam fucum prodidit. Ibi cœpit quod comederat reuomere. At idem ſuperſtitioſus in lacte, nulla religione commotus eſt, quo minus abiuraret pecuniam mihi debitam. Nam chirographum ſimpliciter exhibitum clàm ungui ſciderat. Delatum eſt iuſiurandum, ego illi ceſſi. Is uero tam non grauatim recepit, ut optare uideretur quotidianas eiuſmodi delationes. Quid hoc iudicio peruerſius? Peccabat aduerſus mentem eccleſiæ, qui hic non obtemperarit ſacerdoti & medicis, & in periurio manifeſto firmam habebat conſcientiam, tam infirmus in lacte. LAN. Hic mihi ſuccurrit fabula, quam nuper

Dominicanus quidam narrauit in concione frequentissima, quo sermonis amaritudinem (nam in die Parasceues exponebat mortẽ domini) iucũdiore narratione dilueret. Virginem sacram oppressérat adolescẽs. Vteri tumor arguit factum. Conuocatus est uirginũ chorus, præsedit abbatissa. Accusata est. Inficiali statui nõ erat locus, argumentũ erat necessariũ. Confugit ad statum qualitatis, nisi mauis translationis: Oppressa sum à ualentiore. At saltem exclamasses. Fecissem, inquit, sed in dormitorio nefas est soluere silentium. Sit hæc fabula, modo fateamur hoc stultiora geri permulta. Nunc dicam, quod his oculis uidi. Nomen hominis loci; silebitur. Habebam affinem Priorẽ abbati proximũ, ordinis Benedictini, sed ex eorum numero, qui nõ uescũtur carnibus, nisi extra locum, quem appellant magnum refectorium. Habebatur doctus, & ipse uolebat haberi, annos natus ferè quinquaginta. Certare poculis, & hilarescere uino, erat illi quotidianum. Duodecimo quoq; die adibat thermas publicas. Illic dabatur opera purgandis renibus. S A. Erat unde id fieret? L A N. Posidebat annue sexcẽtos florenos. S A. O paupertatẽ optabilẽ. L A. Ex uino & Venere incidit in phthisim. Desperantibus medicis, abbas imperabat esum carnium, addens illud terribile uerbum, sub pœna inobedientiæ. Ille uix adigi potuit, ut moriẽs gustaret carnes, à quibus tot annis nõ abhorruerat. S A. Prior tali abbate dignus. Diuino tamen quos dicas, nam eandem fabulã & ab alijs audire memini. L A. Diuina. S A. Nonne abbas est prægrandi obesoq; corpore, lingua subblesa: Prior humiliore

Inficialis status, quũ factum negatur. Qualitatis, quũ defenditur, ut iure factum. Trãslationis quũ culpa facti trãsfertur in alium.

Digitized by Google

humiliore ſtatura, ſed erecta, gracili uultu? L A. Diuina ſti. S A. Accipe par pari relatũ. Audies quod ipſe nup uidi, cuiq; non interfui ſolum, uerum etiam propemodũ præfui. Erant duæ monachæ, quæ uiſebant cognatos ſuos. Vbi uenissent quò uolebant, famulus per obliuionem reliquerat codicem precum iuxta cõſuetudinẽ ordinis & loci, in quo uiuebant. Deum immortalẽ, quanta illic perturbatio. Non audebant cœnare, niſi dictis præcibus ueſpertinis, nec ſuſtinebant ex alio codice dicere, quàm ex ſuo. Interim tota domus cœnaturiebat. Quid multis? Cantherio recurrit famulus, ſub multã noctem adfert relictum codicẽ. Dicuntur preces, uixq; ad decimã cœnauimus. L A. Hactenus nihil audio, quod ſit magnopere reprehendendum. S A. Nimirum, dimidium dũtaxat audiſti fabulæ. Inter cœnandũ cœperũt illæ uirgines hilareſcere uino, tandem riſu ſoluto, iocis parum pudicis perſtrepuit conuiuium, ſed nemo licentius egit, quàm illæ, quæ niſi dictis ex ordinis forma precibus, cœnare noluerunt. A conuiuio luſus, chorcæ, cantilenæ, reliqua nõ audeo cõmemorare, ſed planè uereor, ne quid ea nocte patratum ſit parum uirgineum, niſi me fallebant procemia, laſciui luſus, nutus & ſuauia. L A. Iſtam peruerſitatem non tam imputo uirginibus, quàm ſacerdotibus earum curam gerentibus. Sed age, fabulam fabula penſabo: quin potius audies oculatam hiſtoriam. Hiſce diebus aliquot coniecti ſunt in carcerem, quod auſi ſint die dominico panẽ coquere, quũ fortè deeſſet. Equidem non damno factum, ſed excutio iudicium. Aliquanto poſt die dominico, qui uulgò palmarũ dicitur,

fortè erat quur uicus propinquus mihi esset adeundus. Ibi tum ad horam diei fermè quartã à prandio, obuiũ habeo, ridiculum ne dicam, an miserandum spectaculũ, arbitror nulla Bacchanalia plus habuisse turpitudinis. Alij uacillabant huc illuc uino, non aliter quàm nauis destituta rectore iactatur uentis & fluctibus. Erãt qui complexi brachium alterius sustinebant lapsantem, sed ipsi parum firmi, alij subinde cadebant, ægreq; surgebant. Nonnulli quernis frondibus erant coronati. S A. Magis cõueniebat pampineis, tum addẽdi thyrsi. L A. Senior quidam Silenum agens, sarcinæ in morem sublimis gestabatur humeris, eo gestu quò solent olim esseri cadauera, pedibus eò porrectis quò ibant, nisi quod pronus baiulabatur, ne uomitu præfocaretur supinus. Is misere conuomebat suras extremorum baulorum. Nec inter baiulos quisquã erat sobrius, pleriq; ridebant, sed sic ut facile diceres mentem abesse. Bacchi furor habebat omnes. Atq; hac pompa ciuitatẽ ingressi sunt, idq; clara luce. S A. Vnde collegerant eam insaniam? L A. In uico propinquo uinum paulo uilius uenditur quàm in urbe. Eò se contulerant aliquot combibones, quo uilius insanirent, sed largius. Non enim minus impensum est pecuniæ, sed plus cõtractum est dementiæ. Hi si gustassent ouum, uelut admisso parricidio, pertracti fuissent in carcerem, quum præter omissam sacram concionem, præter neglectas preces uespertinas, in die tam sacrato, tantum intemperantiæ publicitus esset admissum, nemo punijt, nemo detestatus est. S A L. Atqui ne istuc tanto pere mireris, in medijs urbibus, in popinis tẽplo proximis,

Pampineis, quia Baccho operabantur.

Thyrsi hastæ uiteæ quas gestabant agentes bacchanalia.

Silenus apud Vergilium inducitur senex Epicureus, est & deus comes Bacchi.

Digitized by Google

mis, diebus quamlibet festis, potatur, cantatur, saltatur, pugnatur tanto strepitu, tantoq; tumultu, ut nec sacrū peragi, nec sacra concio possit exaudiri. Iidem si eodē tempore consuissent calceum, aut si in die Veneris gustassent suillam, capitis accersērentur. Et tamen dies dominicus ob hoc potissimū est institutus, quo uacaret audire doctrinā Euangelicā, & ideo uetitum consuere calceos, ut sit ocium cōcinnandis animis. An nō hæc mira iudiciorū peruersitas? L A. Prodigiosa. Iam in ipso ieiunij præscripto, quū duo sint, alterū abstinentia cibi, alterum delectus cibi: nemo nescit, prius illud præcepti diuini, aut certe iuxta præceptum duinū esse: alterū uero non solum humanū, uerum etiam propemodū pugnans cum apostolica doctrina, utcunq; hoc excusamus: tamē hic quoq; præpostero iudicio, cœnare uulgò impune est, gustasse cibum ab homine uetitū, à deo permissum & itē ab apostolis, capitale est. Ieiunium tametsi nō cō stat esse certò præceptū ab apostolis, tamē illorū exemplis ac literis commēdatum est. At interdictū ciborum esum, quos deus creauit ad uescendum cum gratiarum actione, ut tucamur apud iudicē Paulum, quot lemmatis est opus? & tamen toto passim orbe cœnatur affatim, nullus offenditur, si ualetudinarius gustet pullum gallinaceum, periclitatur Christiana religio. In Anglia uulgus quadragesimæ tempore, iustam cœnam apparat alternis diebus, nemo miratur: si febri periclitans tentet attingere ius pulli, plus quàm sacrilegium admissum uidetur. Apud eosdem in quadragesima, quo ieiunio ut nihil antiquius, ita nihil sanctius habitū est apud Chri-

Ieiuniū Abstinentia & Delectus cibi.

Lemmatis. I. argumentis, sed pprie argumentum futile lēma dicitur.

Digitized by Google

ſtianos, impune cœnatur ut dixi. Si tentes idem extra quadrageſimã die Veneris, nemo ferct. Si quæras quã obrem, allegant patriæ conſuetudinẽ. Execrantur eum qui regionis negligit conſuetudinem, & ipſi ſibi ignoſcunt, qui negligant uetuſtiſſimam totius eccleſiæ cõſuetudinem. S A. Nec probandus eſt, qui ſine cauſa negligit conſuetudinẽ patriæ, in qua uiuit. L A. Nec ego cri minor eos, qui quadrageſimam cũ deo uentreq; partiuntur, ſed indico præpoſterum de rebus iudiciũ. S A. Quũ dies dominicus præcipue legatur inſtitutus, quo populus ſimul cõueniret ad audiendũ ſermonem Euangelicum, qui nõ audit miſſam, abominabilis eſt: qui negligit concionem, malens pila ludere, purus eſt. L A N. Quantũ flagitium admiſſum exiſtiment, ſi quis ſumat Euchariſtiam illotis faucibus, quàm nihil trepidãt, quũ idem faciũt illoto animo, peruerſiſq; cupiditatibus ſordidato. S A L. Quàm multi ſunt ſacerdotes, qui citius mortem oppetant, quàm ſacrificent, calice & patina nondum ab epiſcopo conſecrata, aut quàm ſacrificent ueſte quotidiana. At inter hos q ſic affecti ſunt, quàm multos uidemus, qui non uerentur ad ſacram menſam accedere, noctis proximæ crapula adhuc temulenti. Quanta trepidatio, ſi fortè contigerint corpus domini, ea manus parte, quæ ſacro oleo contacta non fuit? Quin eadem religione diſpicimus, ne prophanus animus offendat domunũ? L A. Vaſa ſacra nõ attingimus, & piaculum admiſſum arbitramur, ſi id fortè acciderit, & interim uiua templa ſancti ſpiritus quàm ſecuri uiolamus? S A. Humana conſtitutio uetat, ne nothus, claudus,

claudus, aut luscus recipiatur ad sacra ministeria. Hic quàm simus difficiles, & tamen interim passim recipimus, indoctos, aleatores, temulentos, milites & homicidas. Dicũt, latent nos animorum morbi. De occultis nõ loquor, de his loquor quæ magis in propatulo sunt, quã uitia corporis. L A. Sunt & episcopi, qui ex functionibus nihil sibi uindicant, præter rationes, aliaq; sordida: Cõcionandi munus, quæ prima dignitas est episcopi, cedũt quãlibet sordidis, haud quaquã facturi nisi præpostero iudicio tenerentur. S A. Qui festum diem uiolat ab episcopo quopiam institutum, rapitur ad pœnam, & satrapæ quidam, qui tot cõstitutionibus pontificum & cõciliorum, tot fulminibus fortiter contemptis, impediunt canonicas electiones, opprimunt immunitates ecclesiasticorũ, nec his quidem parcentes domibus, quæ fouẽdis senibus, ægrotis, & egenis ex piorum hominũ eleemosynis institutæ sunt, abunde Christiani sibi uidentur, si sæuiant in leuissimarũ rerum præuaricatores. L A. Præstat satrapas missos facere, loquiq; de salsamentis & carnibus. S A. Assentior. Redeamus igitur ad ieiuniũ & pisces. Audiui Pontificũ leges nominatim excipere pueros, senes, ægrotos, inualidos, grauem laborẽ sustinentes, grauidas, lactantes, ac uehementer tenues. L A. Idẽ & ipse frequenter audiui. S A. Rursus audiui præcellentẽ quendã Theologũ, opinor Gersoni nomẽ esse, hoc addere, si quid extiterit causæ paris momenti, cũ his quæ Pontificũ leges nominatim excipiũt, similiter cessare uigorẽ præcepti. Sũt enim corporũ peculiares habitus, qui reddunt capitaliorẽ inediã

quã morbus euidens. Et ſunt uitia morbi iue, qui nõ apparẽt, quũ reuera plus habeãt diſcriminis. Proinde qui ſibi notus eſt, nihil opus habet cõſulere ſacerdotẽ, quẽadmodum infantes nõ cõſulunt ſacerdotem, quia cauſa eximit illos à lege. Et qui pueros, aut uehemẽter ſenes, aut alioqui inualidos, adigunt ad ieiuniũ aut eſum piſcium, bis peccant, primũ aduerſus fraternam charitatẽ: deinde aduerſus mentem Pontificum, qui nolũt eos inuolui lege, quibus obſeruata perniciẽ adferret. Chriſtus quicquid inſtituit ad ſanitatẽ animi & corporis inſtituit. Nec ullus Pontifex ſibi uindicat tantam poteſtatẽ, ut ſua conſtitutione quenquã adigat ad uitæ diſcrimen: Veluti, ſi quis ex inedia ueſpertina cõtrahat inſomniã, & ob inſomniam periclitetur paraphroneſi, ſimul & aduerſus eccleſiæ mentem, & aduerſus dei uoluntatem homicida eſt ſui. Principes quoties cõmodum eſt, ædita lege minantur ſupplicium capitale. Quid illis liceat, nõ definio, illud dicã, tutius facerent, ſi nõ infligerent mortem corporis, niſi ob cauſas in diuinis literis expreſſas. In odioſis dominus longius auocat ab extrema linea, uelut à periurio, uetans omnino iurare, in homicidio prohibens iraſci: nos ob humanam conſtitutionem ad extremam homicidij lineam impellimus, quam uocamus neceſsitatem. Imò quoties apparet cauſa probabilis, charitatis eſt ultrò hortari proximum ad ea, quæ poſtulat corpuſculi imbecillitas. Et ſi nulla apparẽt cauſa, tamen Chriſtianæ charitatis eſt, benigne interpretari, quod recto animo fieri poteſt, niſi qui comedit, præ ſe ferat manifeſtum eccleſiæ contemptũ. Contumaciter ac ſeditioſe

Paraphroneſis deliratio. i. leuior infamia.

Digitized by Google

seditiose uescentes, recte punit magistratus prophanus: at quid quisq; domi suæ pro corpusculi sanitate comedat, medicorum est curare, non magistratuum. Quod si quorum improbitas hinc quoq; concitet tumultum, ipsi seditionis accersantur, non is qui seruiuit ualetudini, nec diuina nec humana lege uiolata. Hic certe non in loco præteximus autoritatem Pontificũ, quorum tanta est humanitas, ut ubi cognorint causam haud absurdam, ultro inuitent ad ea quæ postulat ualetudo, diplomatis armẽt aduersus malorum obtrectationes. Denique per uniuersam Italiam patuntur in certis macellis uendi carnes, ni mirum illorum saluti consulentes quos illa lex nõ astringit. Quin & in concionibus sacris audiui Theologos paulo minus pharisaicos dicere: Nihil est quod ueremini cœnæ tempore sumere panem unum & heminam uini ceruisiæ ue propter imbecillitatem humani corporis. Si tantum sibi sumunt autoritatis ut pro cœna cœnulam indulgeãt ualidis, idq; contra præceptum ecclesiæ, quæ ieiunium indixit, non cœnulam: quur non audent iustam cœnam permittere ijs, quorum imbecillitas hoc requirit, & pontifices expressis causis declararunt sibi placere. Dicatur zelus, si quis durius tractet corpus suum, Nam sibi quisq; notus est: at ubi pietas, ubi charitas istorum qui contra legem naturæ, contra legẽ dei, contra sensum legis pontificiæ fratrem imbecillem, spiritu promptum, corpusculo infirmum ad mortem adigunt, aut morbum morte duriorem? L A N. Suggerit mihi tua commemoratio quiddam quod ante biennium uidi. Erotem nosti uirum iam natu grandem, uidelicet

Hemina mensuræ genus, sextarij dimidium.

Digitized by Google

sexagenarium: ualetudine plusquam uitrea, tum quotidianis morbis ijsq; atrocißimis grauißimisq; studiorum laboribus sic afflicta, ut uel Milonem possint deijcere: ad hæc occulta quadam naturæ proprietate uel à puero sic & abhorrens à piscium esu, & impatiens inedie, ut nũquam id tentarit absq; capitis discrimine, postremo diplomatis pontificum abunde communitus aduersus pharisaicas linguas. Is nuper eò uocantibus amicis, inuisebat ciuitatem Eleutheropolim, non omnino suo nomini respondentem. Erat autem quadragesimæ tempus, Datus est unus atque alter dies amicorum affectibus. Interim ueiebatur piscibus ne quem offenderet, quum haberet præter necessitatem à pontifice diploma, per quod licebat uesci quibuslibet. Iam præsentiebat morbum imminentem, quem habebat familiarem, sed morte crudeliorẽ: parat abitum, & res urgebat, nisi maluisset ibi decumbere. Ibi quidam suspicantes illum hoc maturius abire, quod nõ ferret esum piscium, effecerunt ut Glaucoplutus uir adprime doctus & primæ in ea repu. autoritatis, Erotem inuitaret domum suam ad ientaculum. Eros iam turbæ satur, quã in publico diuersorio uitare nõ poterat, assensus est, sed hac lege, ne quid esset apparatus præter oua duo, quæ stans ubi comedisset, equum cõscenderet. Promißum est ita fore. Vbi eò uenit, paratus erat pullus gallinaceus. Eros indigne ferẽs, præter oua nihil attigit, & abrumpens conuiuium cõscendit equos, deducẽtibus eruditis aliquot. Eius pulli nidor, nescio quomodo peruenerat ad sycophãtas. Ab his rumor sparsus est tã atrox, ac si decẽ homines fuissent ueneno necati. Nec

Eleutheropolis. i. libera ciuitas.

ea ciuitas

ta ciuitas modo perſtrepuit hac fabula, ſed eodem fermè die rumor ad alias ciuitates tranſuolarat, quæ aberant itinere tridui. Atq; ut fit, rumor aliquid ueris addiderat, Erotem ni propere fugiſſet, accerſendum fuiſſe ad magiſtratum. Hoc ut erat falſiſſimum, ita uerum erat Glaucoplutum magiſtratui expoſtulanti ſatisfeciſſe. Iam Eros ſic affectus, ut dixi, ſi uel in publico carnibus ueſceretur, quis deberet offendi? Et tamen in eadem ciuitate totam quadrageſimam, ſed præcipuæ diebus feſtis, bibitur uſq; ad inſaniã, clamatur, ſaltatur, pugnatur, luditur alea, proxime templum, ut ſacra cõcio non poßit audiri, & nullũ eſt offendiculum. S A. Mira iudiciorum peruerſitas. L A. Accipe fabulam huic nõ diſſimilem. Iam fermè biẽnium eſt, quod idem Eros ualetudinis ergò uiſeret Feruẽtiam, ego officij gratia comitatus ſum. Diuertit in ædes ueteris amici, cuius crebris literis fuerat euocatus. Is eſt uir præpotens, et illius eccleſiæ procerũ unus. Ventũ eſt ad piſces, rurſus Eros cœpit periclitari, agmen morborũ erat febris, cephalalgia, uomitus, calculus. Hoſpes tametſi uideret grauiter periclitatẽ amicũ, nõ auſus eſt tamẽ carniũ micam dare amico. Quãobrẽ? Videbat tot cauſas quur liceret, uiderat diploma. Sed metuebat linguas hominũ. Et iã eò profecerat morbus, ut fruſtra daturus fuerit. S A L S. Quid Eros? Noui hominis ingenium, emoriatur citius, quàm amicũ ulla grauet inuidia. L A. Incluſit ſe cubiculo, triduũ uicitauit ſuo more. Prandiũ erat ouũ unum, potus aqua ſaccaro decocta. Simulatq; ſe remiſerat febris, conſcẽdit equum, ſecũ deferẽs cõmeatum. S A. Quem? L A.

Lac

Lac amygdalinum in laguncula, & uuas passas in crumena. Vbi domum rediit, tum aperuit sese calculus, totumq; mensem decubuit. Et tamẽ hunc quoq; abitum sæuus sed uanus carnium rumor sequutus est, & Lutetiã usq; perlatus, non sine frequenti splendidorum mendaciorum comitatu. Quod tu remedium arbitraris idoneũ talibus offendiculis? S A. Vt in illorum capita omnes suas matulas effundant, & si fortè occurrant, obturatis naribus prætereantur, quo uel sic agnoscant suam ueseniã. I A. Certe hanc pharisaicam impietatẽ oportebat acribus theologorum conuicijs flagellari. De hospite uero illo quid censes? S A. Mihi uir prudens uidetur, qui norit, quàm friuolis de causis quantas tragœdias interdũ excitet populus. L A. Sit hoc sanè prudenter factum, & boni uiri metum ciuiliter interpretemur. At quàm multi sunt, qui quum in simili casu fratrem mori patiantur, ecclesiæ cõsuetudinem, & populi scandalum prætexũt: cæterum in uita palàm dedecorosa, quam agũt in comessationibus, in amoribus, in luxu, in ocio, in summo contemptu sacrorum studiorum, in rapinis, simonijs et fraudibus, nihil formidant populi scandalum. S A. Omnino tales sunt quidam. Quod isti pietatem appellant, immanis & impia crudelitas est. Sed illi mihi uidentur crudeliores, qua nõ ex occasione relinquunt hominem in periculo, sed inuentis periculis ueluti laqueis, impellunt mul-

Sapientiæ. Alludit ad locũ Plautinum, habet ne acetũ in pectore. Et acri ingenio dicim⁹.

tos in corporis animiq; manifestum discrimem, præsertim nulla publica autoritate pollentes. L A N. Expecto quid dicas. S A L. Ante annos triginta uixi Lutetiæ in collegio, cui cognomen ab aceto. L A N. Sapientiæ uocabulũ

cabulum audio. Quid uero narras? Vixit Salsamentarius in eo collegio tam acido? Nõ mirũ igitur, si tantũ tenet quæstionum theologicarum. Nam illic, ut audio, parietes ipsi mentem habent theologicam. S A. Sic est, ut dicis, ego tamen præter corpus pessimis infectum humoribus, & pediculorum largissimam copiam nihil illinc extuli. Verum ut pergam, quod cœpi. In eo collegio tum regnabat Ioannes Standoneus, uir in quo non damnasses affectũ, sed iudiciũ oĩno desideraßes. Etenim qd' ipse memor adolescentiæ, quam cũ extrema paupertate trãsegerat, rationem habebat pauperum, uehementer probari debet. Et si iuuenum inopiam hactenus subleuaßet, ut honestis studijs suppeteret rerum usus, nõ ad lasciuiã exuberaret copia, laudem merebatur. Cæterum quod rẽ aggressus est, cubitu tã duro, uictu tam aspero parcóq;, uigilijs ac laboribus tam grauibus, ut intra annum prima experientia, multos iuuenes felici indole præditos, ac spem amplissimam præ se ferentes, alios neci dederit, alios cæcitati, alios dementiæ, nonnullos & lepræ, quorum aliquot ipse noui, certe nullus omnium non periclitatus est, quis non intelligat esse crudelitatem in proximum? Nec his contentus, addidit pallium & cucullam, ademit in totũ esum carnium. Et huius generis plãtaria transtulit in longinquas regiones. Quod si quisq; tantum permittat suis affectibus, quantum ille permisit, futurum est, ut istorum similes totum occupent mundum: Siquidem à talibus initijs, primum orta sunt monasteria, quæ nunc minitantur pontificibus & monarchis. In proximi ad pietatem respiscentis lucro gloriari pium est, in

eſt, in ueſte aut cibo gloriam quærere phariſaicum eſt. Proximorũ inopiam ſubleuare pietas eſt: proſpicere ne liberalitate bonorum abutantur ad luxum, diſciplina eſt. Cæterum in morbos, in delirationem, in mortem his rebus impellere fratrem, crudelitas eſt, parricidium eſt. Abeſt fortaſſe uoluntas occidendi, at non abeſt homicidium. Quæ igitur iſtis debetur uenia? Nimirum quæ me dico, qui per inſignem imperitiam occidit ægrotũ. Dicet aliquis: nullus illos cogit ad hoc uitæ genus, ſponte ueniunt, rogant admitti & liberum eſt abire pertæſis. O Scythicam reſponſionem. Ita ne poſtulant, ut adoleſcentes rectius perſpiciant, quid ipſis conueniat, quàm uir doctus, rerum uſu tritus, & ætate prouectus? Sic ſeſe excuſet lupo, qui famelicum oſtenſa eſca pellexit in retia. An qui uehementer eſurienti apponat cibum inſalubrem aut letiferum etiam, ita ſemet excuſabit pereunti? Nemo te coëgit edere, uolens ac lubens deuoraſti quod erat appoſitum. Nonne is iure reſpondeat? Tu non cibũ dediſti, ſed uenenum. Telũ ingens neceſſitas, graue tormentum fames. Auferant igitur illa magnifica uerba, libera erat electio. Imò magnam uim admouet, quiſquis talibus utitur tormentis. Nec ea ſæuitia tantum perdidit tenues, ſuſtulit non paucos diuitum filios, & generoſam indolem deprauauit. Aetatem laſciuientem moderatis rationibus cohibere, paternũ eſt. Cæterum in medio hyemis rigore datur poſtulantibus paululum panis, potus iubetur è puteo peti, qui aquam habet peſtilentem, peſtiferam alioqui etiam ſi nihil haberet præter rigorem matutinum. Noui multos, qui ualetudinem ibi contractam

nec

Digitized by Google

nec hodie poßunt excutere. Erant aliquot cubicula humili ſolo, putri gypſo, uicinia latrinarum peſtifera. In his nullus unquam habitauit, niſi aut mors aut morbus capitalis fuerit conſequutus. Omitto nunc miram flagrorum carnificinam, etiam in innoxios. Sic aiunt dediſci ferociam, ferociam appellant indolem generoſiorem, quã ſtudio frangunt, ut eos reddant habiles monaſterijs. Quantum ibi deuorabatur ouorum putrium? quantum uini putris hauriebatur? Sunt fortaßis hæc iam correcta, ſed ſero uidelicet ijs qui perierunt, aut corpus circunferunt infectum. Neq; uero hæc commemoro, quod male uelim illi collegio, ſed operæprecium eſſe iudicaui monere, ne ſub umbra religionis humana ſæuitia corrumpat ætatẽ imperitam ac teneram. Iam quantũ ibi diſcatur ciuilitatis, aut ueræ pietatis, in præſentia non excutio. Quod ſi uiderem malicitiam exuere, quicunq; cucullam induunt, hortarer omnes ad cucullam. Nunc alia res eſt, proinde non ſunt ad hoc uitæ genus frangendi ſpiritus ſuppullulantis ætatis, ſed animus magis ad pietatem educandus. Mihi uix contigit ullum ingredi monaſterium Cartuſianorum, quin illic offenderim unum atq; alterum aut ſimpliciter mente captum, aut delirantem. Verum iamdudum tempus eſt, ut à tam longa digreßione redeamus ad inſtitutum. LAN. Imò nullum eſt digreſſionis diſpendium. Rem ipſam egimus, niſi ſi quid tibi fortè ſuccurrit, quod adijciendum putes, ijs quæ diſſerta ſunt de conſtitutionibus humanis. SALSA. Mihi quidem nec humanum præceptum implere uidetur, qui negligit hoc præſtare quod ſpectauit is qui præcepit.

Etenim

Etenim qui festis diebus tantũ abstinet ab operibus manuarijs, nec interim uacat sacris, aut audiendis concionibus, uiolat festum diem, negligens id cuius gratia festus dies institutus est. Ideo enim interdictum est opus bonum, ut fieret melius. Iam uero qui pro solutis operis, uacant popinis, scortis, temulentiæ, pugnis & aleæ, bis uiolant diem festum. LAN. Opinor & precum sacrarum pensum in hoc præscriptum sacerdotibus ac monachis, ut hac exercitatione consuescerent sustollere mentem in deum: & tamen qui pensum hoc non exoluit pericliatur. Qui tantum ore demurmurat uoces, nec curat animum ad ea quæ sonat colligere, imò ne literas quidem studet discere, sine quibus quæ sonant intelligi non possunt, uir bonus habetur, ac sibi quoq; uidetur. SALSA. Ego multos noui sacerdotes, qui piaculum inexipiabile putant, aliquam partem precum omisisse, aut per errorem dixisse de diua uirgine, quum dicendum esset de S. Paulo. At ijdem pro nihilo ducebant, aleam, scortum, ac temulentiam, quæ diuinis pariter & humanis legibus uetita sunt. LAN. Nec paucos ego comperi, qui citius mortem oppetissent, quàm uel casu gustato cibo, aut dum os proluunt, delapsis in stomachum aliquot aquæ guttis sacrificassent: at ijdem fatebantur esse sibi cum quibusdam simultatem, quod si daretur opportunitas occiderent, nec uerebantur cum hoc animo ad sacram Christi mensam accedere. SALSAMEN. Atqui ut ieiuni sacrificent, hominis præceptum est, ut deponant iras prius quàm accedant ad sacram mensam, dei præceptum. LANI. Iam uero

uero de periurio quàm præpostere iudicamus, infamis habetur, qui iureiurãdo cõfirmauit se diſsoluiſse æs alienum, ſi cõuincatur non diſſoluiſſe: nec periurium obijcitur ſacerdoti, qui palàm impudice uiuit, quum iureiurando publice profeſsus ſit caſtitatem. S A. Quin iſtam cantionem canis epiſcoporũ uicarijs, qui coram altari deierant, ſe cõperiſſe omnes quos offerunt initiandos idoneos ætate, ſcientia & moribus, quum aliquoties inter hos uix duo trésue ſint tolerabiles, plurimi uix ad ſtiuam idonei. L A. Vocatur ad pœnam, qui cõmotus aliqua cauſa peierat, & non puniũtur, qui tertio cuiq; uerbo admiſcent periuriũ. S A. Iſti non iurant ex animo. L A. Eodẽ colore patrocineris licebit ei, qui hominẽ occidit non ex animo. Peierare nec ioco, nec ſerio fas eſt. Et atrocius crimen foret, ſi quis ioco necaret hominem, quàm ſi cõmotus ira. S A. Quid ſi quis ad eandem trutinam expendat uſiurandum principum quo inauguratur? L A. Et iſta quum ſint maxime ſeria, tamen quoniam uelut ex more fiunt, non habentur pro periurijs. Eadem eſt querimonia de uotis. Matrimonij uotum eſt iuris ſine controuerſia diuini, & tamen dirimitur per monaſticæ uitæ profeſsionem ab hominibus repertam. S A. Quum nullum uotum religioſius ſit quàm baptiſmi, tamẽ qui ueſtem mutat aut locum, perinde quaſi patrem ueneno necarit perquiritur, rapitur, ſtringitur, nonnunquam & occiditur propter honorẽ ordinis. At quorum tota uita pugnat ex diametro cum profeſsione baptiſmi, quippe qui toti ſeruiunt mammonæ, uentri & huius mundi põpis, habentur in pretio, nec his obijcitur

Ad ſtiuã, id eſt, ad aratrũ. Nam ſtiua pars aratri.

Eodem colore. Color in Rhetoricis, eſt ratio defenſionis. Iuuen, Dic Quintiliane colorẽ. Et Seneca in cõtrouerſijs, ſæpe meminit coloris.

uoti uiolati crimen, nec exprobratur, nec uocantur apostatæ, sed habentur pro Christianis. L A. Simile uulgi iudicium est de benefactis ac malefactis, deq; præsidijs beatitudinis. Quanta infamia sequitur puellam lapsam? at longe grauius crimen est lingua mendax & obtrectatrix, & animus odio liuoreq; corruptus. Vbi non grauius punitur quamuis leue furtum quàm adulterium? Nemo lubens cum eo consuetudinem habet, qui semel furti aspersus est infamia, cum eo qui coopertus est adulterijs pulchrum est habere familiaritatem. Spiculatori publico, qui stipendio conductus seruit legibus, quemadmodum & iudex ipse, nemo dignetur locare filiam: Et non detestamur affinitatem militis, qui toties inuitis parentibus, & uetante nonnunquam magistratu subduxit sese ad bellum mercenarium, tot stupris, tot raptibus, tot sacrilegijs, tot homicidijs, alijsq; facinoribus imputati, quæ uel in ipsa militia, uel in profectione ad bellum, & reditu à bello committi solent: hunc generum asciscimus, hunc quouis carnifice peiorem adamat uirgo, & interpretamur etiam nobilitatem quæsitam scelere. Qui nummum tollit pendet, qui fraudata moneta publica, qui monopolijs, qui usuris, qui mille technis ac fraudibus tam multos spoliant, inter præcipuos habentur. S A. Qui uni cuipiam uenenum porrigunt, ut uenefici, dant pœnas legibus, qui uinis infectis aut oleo uitiato, populum inficiunt, impune faciunt. L A N. Noui quosdam monachos adeo superstitiosos, ut existiment sese esse in manu diaboli, si uel casu sacra uestis absit, nec metuunt ab unguibus diaboli, si mentiantur, si calumnientur,

Digitized by Google

lumnientur, si inebrientur, si inuideant. S A. Istiusmodi licet & inter nos idiotas complures uidere, non credunt domum tutam à uiolentia cacodæmonis, nisi para tam habeant aquam consecratam, frondes sacras ac cereum, & non metuunt suis ædibus in quibus quotidie tot modis prouocatur deus, & colitur diabolus. L A. Quàm multi sunt, qui magis fidunt præsidio uirginis matris, aut Christophori, quàm ipsius Christi? Matrem colunt imaginibus, candelis & cantiunculis, Christum impia uita fortiter offendunt. Nauta quum periclitatur, Christi matrem aut Christophorum, aut quemuis diuorum citius inuocat quàm ipsum Christum: & uirginem se credunt habere propitiam, quod illi sub noctem cantiunculam non intellectam canunt, Salue regina: ac non potius metuũt, ne illa se putet irrideri talibus cantiũculis, quum totus dies magnáq; noctis pars illis transigatur, obscœnis sermonibus, temulẽtijs, & factis non referendis. S A. Ita militi periclitanti citius in mentem uenit Georgius aut Barbara, quàm Christus. Porrò quum nullus sit cultus diuis gratior, quàm imitatio factorũ, quibus ipsi Christo placuerunt, hanc partem fortiter contemnimus. Et Antonium nobis egregie fauentẽ fore credimus si illi porcos aliquot sacros alamus, siq; ipsum cum suo porco, igni & tintinnabulo pictũ habeamus in foribus ac lateribus ædiũ: nec metuimus, qd' magis erat metuendũ, ne ille male uelit ædibus, in quibus regnãt ea uitia, quæ uir sanctus semper fuit detestatus. Virgini annumeramus rosariola, & salutatiũculas, quin potius annumeramus in illius gratiam coërcitũ animi tumorem,

repreſſam libidinem, condonatam iniuriam? Huiuſmodi cantiunculis delectatur Chriſti mater, his officijs demereris utrunq;. L A. Itidem morbo periclitanti citius in mentem uenit S. Rochus aut Dionyſius, quàm Chriſtus unica ſalus hominum. Quin & hi qui ſacras literas interpretantur è ſuggeſto, quas nemo ſine ſpiritus afflatu, uel intelligere recte, uel docere poteſt utiliter, malũt inuocare uirginis matris auxiliũ, quàm ipſum Chriſtum aut Chriſti ſpiritum. Et in hæreſcos ſuſpicionem uocatur qui mutire audet aduerſus hanc conſuetudinẽ, quam uocant laudabilem. Atqui laudabilior erat ueterum conſuetudo, quam obtinuerunt Origenes, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, qui ſpiritum Chriſti identidem inuocant, uirginis auxilium nuſquam implorant: Nec in eos ſtomachãtur, qui tam ſanctam conſuetudinem, ex Chriſti & apoſtolorum doctrina, ex ſanctorum patrum exemplis deſumptam, auſi ſunt immutare. S A. Similis error habet complures monachos, qui ſibi perſuadent Benedictum eſſe propitium, donec geſtent illius cucullam & pallium, quanquam nõ arbitror eum uirum unquam geſtaſſe tam laciniоſam magnoq; emptam ueſtem, nec uerentur illius iram, quod in uita nihil habeant cum illo cõmune. LA. Franciſci germanus eſt, qui ueſtem cinericiam, & cana beum cingulum non abijcit, uitam confer, nihil pugnantius. De pleriſq; loquor nõ de omnibus. Atq; hic ſermo per omnes ordinũ & profeßionum formas circumferri poteſt. Ex corruptis iudicijs naſcitur præpoſtera fiducia, & ex ijſdem naſcũtur præpoſtera ſcandala. Prodeat Franciſcanus

Laciniоſam, id eſt, ſinuoſã multiq; pãni, quod tamen primum uidetur inuentũ, quo minus appareret ueſtigia corporis.

Digitized by Google

Franciſcanus coriacea zona cinctus, qui caſu ſuũ ſuum perdiderit: aut Auguſtinenſis laneum geſtans cingulum, aut diſcinctus, qui cingi ſoleat: quæ futura eſt abominatio, quãtum periculum ne mulieres ad hoc ſpectaculum abortiant? Et ex huiuſmodi nugis, quanta fraternæ charitatis ruptura? quàm acerba odia? quàm uirulentæ obtrectationes? Aduerſus hæc clamat dominus in Euangelio, nec minus gnauiter Paulus apoſtolus. Aduerſus eadem clamandum eſſet Theologis & concionatoribus. S A. Eſſet ſanè, ſed in his multi ſunt quibus expedit talem eſſe populum, imò tales eſſe principes, tales epiſcopos: Et ſunt rurſus qui nihilo plus ſapiunt in his quàm populus, aut ſi quid ſapiunt, diſſimulant, ſuo uentri cõſulentes potius quàm Ieſu Chriſto. Itaq; fit, ut populus undiq; corruptus præpoſteris iudicijs, ibi fidat ubi præſens eſt periculum: ibi trepidet, ubi nihil eſt periculi: ibi conquieſcat, unde progrediendum erat: eò proficiant, unde erat recedẽdum. Ab his male ſtructis, ſi quid tentes conuellere, clamant excitari ſeditionem, quaſi ſeditio ſit, ſi quis uitioſum corporis habitum, quem imperitus medicus diu fouerit, ac propemodũ uerterit in naturam, conetur eximere pharmacis melioribus. Verum abrumpenda eſt querimonia, quæ finem non habet. Et periculum ſit, ſi ſenſerit populus hoc noſtrum colloquium, ne nouum ſuſcitent prouerbium, quod hæc curæ ſint Salſamentario & Lanioni. LA. Iſtis ego regeram uetus prouerbium: Sæpe etiã eſt holitor ualde opportuna loquutus. Nuper quum iſta diſſererem ſuper cœnam malis auſpicijs aderat quidã pannoſus, pediculoſus, luridus, uietus, exuccus,

Digitized by Google

facie cadaueroſa, cranium uix habebat tres pilos, quoties loquebatur, claudebat oculos, aiebant Theologum eſſe. Is me uocabat diſcipulum antichriſti, aliáq; permulta balbutiebat. S A. Quid ibi tu, mutus? L A. Ego illi precabar micam ſobriæ mentis in tam putido cerebro, ſi tamen ullum habebat cerebrum. S A L. Iuuaret & iſtam audire fabulam ordine. L A. Audies ſi die Iouis ueneris ad prandium. Habebis uitulinam cruſto incoctam, contuſam, adeoq; teneram, ut poſsis uel exugere. S A L. Polliceor hac lege, ſi die Veneris apud nos prandeas, efficiam ut intelligas ſalſamentarios non ſemper ueſci putribus ſalſamentis.

FVNVS.

MARCOLPHVS, PHAEDRVS.

MARCOLPHVS.

Ex antro. Vide prouerbium, de Trophonij antro.

VNde nobis Phædrus, num ex antro Trophonij? PH. Quur iſtuc rogas? MAR. Quia præter morem triſtis, horridus, ſqualidus, toruus, in ſumma, nihil minus quàm quod diceris. PH. Si qui diutius uerſantur in officinis fabrorum ærariorum, aliquid nigroris ſibi contrahunt, quid miraris ſi ego tot dies uerſatus apud duos ægrotantes, morientes, & ſepultos, ſolito ſum mœſtior, præſertim quum uterque mihi fuerit egregie charus? MAR. Quos mihi narras ſepultos? PHAE. Noſti Georgium Balearicum? MAR. Nomine duntaxat, de facie non noui. PHAED. Alterum ſcio tibi prorſus ignotum eſſe. Is erat Cornelius Montius, qui cum mihi plurimis iam annis interceſſit arctiſſima neceſſitudo. MAR. Mihi nunquam contigit adeſſe morienti.

Nihil minus. Quia Phædrus Græcis ſonat hilarem.

rienti. PH. Mihi sæpius quàm uellem. MAR. Sed est ne mors res tam horrenda quàm uulgo prædicant? PH. Iter ad mortem durius quàm ipsa mors. Quod si quis horrorem illum & imaginationem mortis excutiat animo, magnam mali partem sibi detraxerit. Breuiter quicquid est cruciabile, uel in ægrotatione, uel in morte, longe tolerabilius redditur, si quis se totum tradat uoluntati diuinæ. Nam quod attinet ad sensum mortis, quum iam animus distrahitur à corpore, arbitror aut nullum esse, aut perquàm stupidum esse sensum, quod natura prius quàm huc ueniatur, consopiat, ac stupefaciat omnes partes sensibiles. MAR. Nascimur absq; sensu nostri. PH. Sed non absq; sensu matris. MAR. Quur non itidem emorimur? Quur deus mortem uoluit esse tam cruciabilem? PH. Natiuitatem uoluit esse graue ac periculosam matri, quo charius haberet quod peperisset. Mortem autem unicuiq; uoluit esse formidabilem, ne passim homines sibi mortem consciscerent. Etenim quum uideamus & hodie tam multos sibi manus adferre, quid censes futurum si mors nihil haberet horribile? Quoties uapulasset seruus aut etiam filius adolescens, quoties uxor indignaretur marito, quoties perisset res, aut aliud accidisset quod ægre esset animo, protinus ad laqueum, ad gladium, ad flumen, ad præcipitium, ad uenenum currerēt homines. Nunc mortis acerbitas uitam nobis reddit chariorem, præsertim quum medici nō queant mederi semel uita defuncto. Quāquam ut non omnibus eadem est nascendi sors, ita non est eadem omnibus mortis ratio. Quosdā cita mors protinus

liberat, alij lenta morte cõtabescunt. Lethargici quemadmodum & ab aspide percussi, somno consopiti, citra sensum sui moriuntur. Illud obseruaui, nullum esse mortis genus tam acerbum, quin perferatur, si quis obfirmato animo decreuit exire. M A. Vtrius mors uisa est Christianior? P H. Mihi quidẽ Georgij uisa est honorificentior. M A. Etiámne mors habet ambitionẽ suam? P H. Ego nunquam uidi duos tam dispari morte morientes. Si uacat audire, depingam excessum utriusq;, tuum erit iudicare, utra mors sit optabilior homini Christiano. M A. Imò te rogo, ne graueris narrare. Nam ipse nihil audiero cupidius. P H. Ergo de Georgio prius audi. Vbi mors iam certa sui signa dederat, medicorũ chorus, qui diu curarant ægrotum, dissimulata uitæ desperatione cœperunt mercedẽ poscere. MA. Quot erãt medici? P H. Aliquando decem, interim duodecim, quum pauciss̃imi, sex. MA. Satis erat ad occidendum uel ualentem. P H. Numerata pecunia clàm submonuerunt proximos, non procul abesse mortẽ, curarent ea quæ pertinerent ad animæ salutem: nam de corporis incolumitate nihil esse spei: per amicos intimos blãde submonitus est & ægrotus, ut corporis curam deo cõmitteret, ea tantũ curaret, quæ pertinerent ad feliciter hinc emigrandum. His auditis mira toruitate Georgius oculos intendit in medicos, uelut indigne ferens, quod ab illis destitueretur. Illi responderunt, se medicos esse, non deos, quod artis erat præstitisse. Cæterum aduersus fatalem necessitatem nullam ualere medicinam. His actis abeunt in proximum cubiculum. M A R C. Quid, morantur etiam accepta mercede?

mercede? PH. Inter illos nihil conuenerat de morbi genere. Alius aiebat hydropē, alius tympaniten, alius apostema in inteſtinis, alius aliud atq; aliud malum. Totoq; hoc tempore quo tractabant ægrotum, acerrime diſceptarunt de morbi genere. MAR. O felicē interim ægrotum. PH. Eam litem ut tandem finirent, per uxorem poſtularunt, ut ſinerent exanimati corporis anatomiam fieri. Id eſſe honorificum, & ſolere uel honoris gratia fieri in magnatibus, deinde rem eam fore ſaluti multis, idq; ad meritorum ipſius cumulum acceſſurum, poſtremo pollicentur ſuo ſumptu ſe commercaturos triginta miſſas, ceſſuras in commodum mortui. Id ægre quidem, ſed tandem blanditijs uxoris ac propinquorum impetratum eſt. His actis ſubduxit ſeſe ſtatio medicorū. Negant enim fas eſſe, ut qui uitæ ſolēt opitulari, mortis ſint ſpectatores, aut exequijs interſint. Mox accitus eſt Bernardinus uir, ut ſcis, reuerendus Franciſcanorum cuſtos, qui confeßionem exciperet. Vix peracta eſt confeßio, iam aderat in ædibus turba quatuor ordinum, quos uulgus appellat mendicantium. MAR. Tot uultures ad unum cadauer? PH. Deinde uocatus eſt parochus, qui hominem inungeret, ſacrumq; ſymbolum corporis domini porrigeret. MAR. Religioſe. PH. Verum ibi minimum abfuit, quin inter parochum & monachos cruenta pugna fuerit orta. MAR. Apud lectum ægroti? PH. Et quidem ſpectante Chriſto. MAR. Quid excitauit tantos tumultus ſubito? PH. Parochus ubi cognouit ægrotum fuiſſe cōfeßum Franciſcano, negauit ſe uel unctionis ſacramentum, uel Euchariſtiam, uel ſepulturā

Statio medicorum. i. conuentus ſtati.

Tot uultures. Vultures præſentiunt cadauera, unde captatores teſtamentorum uultures dicunt.

Digitized by Google

impartiturum, ni suis auribus audisset ægroti confessorem: se parochum esse, sibi pro sua ouicula reddendam domino rationem. Id non posse, si solus ignoraret arcana conscientiæ. MAR. Nonne uisus est æquum dicere? PH. Non illis quidem. Nam strennue reclamabant omnes, præsertim Bernardinus & Vincentius Dominicanus. MAR. Quid adferebant? PH. Magnis conuicijs incessabant parochum, subinde uocantes eum asinum, dignumq; qui pastorem ageret porcorum: Ego, inquit Vincentius, sum sacræ theologiæ baccalaureus formatus, mox licentiandus, atq; etiam doctoris titulo insigniendus: tu uix legis Euangelium, tantum abest, ut possis excutere secreta conscientiæ. Quod si libet esse curiosum, exquire quid agat uxor & manzares tui domi, aliaq; permulta, quæ me pudet referre. MAR. Quid ille, mutus ad hæc? PH. Mutus? imò diceres cicadam alacorreptam. Ego, inquit, baccalaureos multo te meliores nectam è stipulis fabarum. Autores & principes ordinum uestrorum Dominicus & Franciscus, ubi didicerũt philosophiam Aristotelicã, aut argumenta Thomæ, aut speculationes Scoti? aut ubi donati sunt titulo baccalaureorum? Irrepsistis in mũdum adhuc credulum, sed pauci, humiles, quidam etiam docti ac pij. Nidulabamini in agris ac uicis, mox in opulentißimas quasq; ciuitates, & in florentißimam ciuitatis partem demigrastis. Tot sunt agri qui pastorem alere non posunt. Ibi locus erat uestræ operæ. Nunc nusquam adestis, nisi in ædibus diuitum. Iactatis nomen pontificium, at uestra priuilegia nihil ualent, nisi quũ cessat Episcopus, pastor, aut huius uicarius

Manzares. Iureconsulti Mãzares uocãt ex incesto natos.

Cicadam ala. Vide prouerb.

E stipulis fabarũ. E culmis tritici nectũtur galeri, nonnunq; & pallia aduersus pluuiam, faba caules habet, grandes, in tortos & fragiles, ad nihil minus utiles, quã ad texendũ. Est uulgo iactatum puerbiũ apud Barauos.

Digitized by Google

uicarius. In meo templo nullus uestrum concionabitur me pastore incolumi. Nõ *sum baccalaureus, nec S. Martinus erat, & tamen agebat episcopum. Si quid mihi deest doctrinæ, à uobis non petam. An creditis etiã nũc mundum esse tam stupidum, ut ubicunq; uiderit uestem Dominici aut Franciſci, putet adesse illorum sanctimoniam? Num uestra refert, quid agam domi meæ? Quid uos agatis in latebris uestris, quomodo tractetis sacras uirgines, etiam populus nouit. Iam quàm nihilo sint uel feliciores uel puriores diuitum domus, quas frequentatis, omnibus & lippis & tonſoribus notißimum est. Cætera Marcolphe non audeo referre, omnino patres illos reuerendos minime reuerenter tractauit. Nec erat futurus finis, ni Georgius manu mota signum dediſſet, ſe uelle quippiam dicere. Aegre impetratum est, ut rixa tantißper conſileſceret. Tum ægrotus: Sit pax, inquit, inter uos, tibi parocho denuo confitebor. Deinde pro ſtrepitu nolarum, pro cantionibus funeralibus, pro cenotaphio, pro ſepultura numerabitur tibi pecunia, prius quàm exeas hanc domum, neque committam, ut ulla in parte de me queri poßis.* M'ARC. *Num parochus recuſauit tam æquam conditionem?* PHAE. *Non. Tantum obmurmurauit nonnihil de confeßione, quã ægroto remißit. Quid opus est, inquit, iſdem repetendis fatigare tum ægrotum, tum ſacerdotem? Si in tempore mihi confeßus fuiſſet, fortaßis ſanctius condidiſſet ſuum teſtamentum. Nunc uos uideritis. Hæc æquitas ægroti peßime habebat monachos, indigne ferentes, eam prædæ partẽ decidi parocho. Ego tamen interceßi, feciq;*

Digitized by Google

fecíq; ut lis sopiretur. Parochus unxit ægrotum, dedit corpus domini, & numerata summa discessit. MAR. Sequuta est igitur eam tempestatem tranquillitas? PH. Imò tempestatem hanc seuior tempestas protinus excepit. MAR. Obsecro, quid causæ? PHAE. Audies. Confluxerant in ædes quatuor ordines mendicantium, his adiunxit sese quintus cruciferorum. Aduersus hunc ceu nothum quatuor illi magno tumultu coorti sunt. Rogabant, ubi uidissent unquam plaustrum quinq; rotarum: Aut qua fronte uellent esse plures mendicantium ordines, quàm sint Euangelistæ. Eadem, inquiunt, opera adducite huc mendicos omnes è pontibus ac triuijs. MA. Quid ad hæc cruciferi? PH. Vicissim rogabant quomodo tum incessisset plaustrum ecclesiæ, quum nullus esset ordo mendicantium, deinde quum unus esset, postea tres? Nam Euangelistarum, inquiũt, numerus nihilo plus habet affinitatis cum nostris ordinibus, quam cum alea, quæ undiq; quatuor ostendit angulos. Augustinenses quis allegit in ordinem mendicantium? aut quis Carmelitas? Quando mendicauit Augustinus, aut quando Helias? Nam hos faciunt suorum ordinũ autores. Hæc aliáq; multa fortiter quidẽ illi detonabant: sed soli, qua tuor exercituum impressionem non ferentes cesserunt, dira minitantes. MAR. Hic saltem effulsit tranquillitas. PH. Imò Syncretismus ille in quintũ ordinem uersus est in pugnam gladiatoriam. Franciscanus ac Dominicanus contendebant, nec Augustinenses, nec Carmelitas esse germane mendicos, sed nothos ac suppositicios. Hæc rixa sic incruduit, ut planè uererer, ne ueniretur ad manus.

Impressio est uehemens hostiũ irruptio.

Syncretismus, id est, conspiratio prius dissidẽtium in cõmunem hostẽ. Vide Chiliades.

Digitized by Google

nus. MAR. Hæccine ferebat ægrotus? PH. Nõ hæc acta sunt apud lectũ, sed in atrio, quod cubiculo adhærebat, uoces tamen omnes ad ægrotũ permanabant, neq; enim mussabant, sed plenis tibijs res agebatur, & scis alioqui in ægrotis aurium sensum esse acutiorem. MAR. Quis tandem exitus belli? PH. Aegrotus per uxorem denunciauit, ut silerent pauliſper, se compositurum hoc dißidium. Itaq; rogauit, ut tum quidem temporis Augustinenses & Carmelitæ discederent, hoc illos nullo suo damno facturos. Nam tantũdem, inquit, cibi mittetur eis domum, quantũ hic daretur remanentibus. In funere uero iußit omnes ordines adesse, etiã quintũ, atq; ut æqua pecuniæ portio diuideretur singulis, ad cõmune tamen cõuiuium nõ adhiberẽtur, ne quid turbæ posset oriri. M. Virum œconomicũ mihi narras qui uel moriens norit tot rerũ undas cõponere. PH. Phy. Multis annis gesserat militiæ ducẽ. Ibi quotidianũ est huiusmodi tumultus suboriri inter cohortes. MA. Erat igitur re splendida? PH. Admodũ. M. Sed male parta, ut fit, rapinis, sacrilegijs, extorsionibus. PH. Ita quidẽ uulgò faciunt duces, nec ausim deierare, hũc fuisse ab illorũ moribus alienũ. Si satis hominẽ noui, magis auxit rem ingenij dexteritate quàm uiolentia. MAR. Qui sic? PH. Callebat arithmeticã. MAR. Quid tum postea? PH. Quid tũ? apud principẽ supputabat militũ triginta milia, quũ uix essent septem milia. Deinde multis militibus nihil numerabat. MAR. Næ tu mihi magnificã narras arithmeticã. PH. Deinde bellũ arte ducebat, solitus simul & ab hostium & amicorũ uicis & oppidis pecuniam stipulari men-

Mussare tacite loqui.

Plenis tibijs. i. clare, uidẽ prouerbium.

Peritum rei domestice uocat œconomicũ.

Arte ducebat. Ducũt bellum qui de industria proferunt; Sed gerunt qui uere bellant.

struam

ſtruam: ab hoſtibus ne paterentur hoſtilia: ab amicis, ut illis liceret cum hoſte paciſci. MAR. *Agnoſco morem uulgatum militum. Sed abſolue narrationem.* PH. *Bernardinus igitur & Vincentius cum aliquot ſui ordinis ſodalibus remanſerũt apud ægrotum: Ad reliquos miſſus eſt commeatus.* MAR. *Satin inter eos conueniebat, qui remanſerunt in præſidio?* PH. *Non uſq; quaq;. Grũniebant neſcio quid, de prærogatiuis diplomatum, ſed ne non perageretur fabula, diſſimulatũ eſt. Hic iam proferuntur cautiones teſtamentariæ, fiuntq; ſtipulationes accitis teſtibus, de ijs quæ inter ipſos ante trãſegerant.* MAR. *Iſthæc audire geſtio.* PH. *Dicam ſummatim, nam perlonga eſt fabula. Supereſt uxor, annos nata duo de quadraginta, mulier ſanè proba cordataq;, filij duo, alter annum natus undeuigeſimum, alter decimum quintum, filiæ totidem, ſed impubes utraq;. Teſtamento ſic cautum erat, ut uxor quoniam perpelli non poterat, ut fieret monacha, ſumeret pallium Beghinæ, id eſt medium genus inter monachas & laicas: filius natu maior, quoniam nec is induci potuit, ut fieret monachus.*

Commeatus. i. cibus, militare uerbũ. Et ideo præſidium uocat domum unde alios depulerant.

Vulpes anus. Vide prouerb.

MAR. *Vulpes anus non capitur laqueo.* PH. *Mox ab exequijs patris properaret Romam, ibiq; ex relatione pontificis factus ante legitimam ætatem ſacerdos, totũ annum ſingulis diebus ſacrificaret in templo Vaticano pro anima patris, & ſacros gradus in Laterano, ſingulo quoq; Veneris die genibus perreptaret.* MAR. *Suſcepit hæc libenter?* PH. *Ne dicam dolo, ut aſini ſolent ſarcinas impoſitas. Filius minor dicaretur S. Franciſco, filia maior S. Claræ, minor Catarinæ Senenſi. Hoc tantum*

Vt aſini ſolent. Alluſit ad illud Flacci; Demitto auriculas, ut iniquæ mẽtis aſellus, quum grauius dorſo ſubijt onus.

Digitized by Google

tum potuit obtineri, nam Georgij mens erat, quo magis sibi deū haberet obnoxium, quinq; superstites parti in quinq; mendicantiū ordines. Et acriter quidem adlaboratum est, sed ætas uxoris filijq; maioris nec minis nec blandicijs cessit. MA. Exhæredandi genus. PH. Vniuersa hæreditas sic erat diuisa, ut detractis de solido impendijs funeralibus, uncia cederet uxori, cuius dimidio uictitaret ipsa, dimidiū cederet loco, cui se foret addictura. Vnde si mutato cōsilio recederet, tota pecunia resideret penes eum gregē. Altera uncia decideretur filio, cui tamen statim numeraretur uiaticū, & quod satis esset emendo diplomati, parandoq; uictui annuo Romæ, Qui si mutata sententia recusaret initiari sacris ordinibus, illius uncia diuideretur inter Franciscanos & Dominicanos. Et id ne fiat uereor, adeo uidebatur adolescens à sacris abhorrere. Duæ unciæ cederent monasterio, quod excepisset filiū natu minorē, binæ itē monasterijs, quæ excepissent puellas, sed hac lege, ut si illi detrectarent eam uitam profiteri, omnis tamen pecunia penes illos maneret incolumis Iā una rursus uncia decideretur Bernardino, tantūdem Vincentio: dimidium unciæ Cartusianis, pro communione bonorum operum omnium, quæ toto ficrēt ordine. Vncia & semis quæ superaret distribueretur occultis pauperibus, quos beneficio dignos iudicassent Bernardinus & Vincētius. M. Debebas iure consultorū more dicere, quos uel quas. PH. His igitur uerbis stipulati sunt recitato testamēto, Georgi Balearice uiuus & sanæ mētis approbas hoc testamentū, qd' dudū ex animi tui sentētia cōdidisti? Approbo. Et hæc est tua su

De solido. i. de integra hæreditate, quæ assis dicitur nōdum diuisa. Vncia duodecima pars assis.

Diplomati, quo liceret consecrari sacerdotem ante tempus legitimū.

Digitized by Google

tua ſuprema & immutabilis uoluntas? Eſt. Meq; & huc Vincentium Baccalaureum inſtituis ultimæ tuæ uoluntatis exequutores? Inſtituo. Iußus eſt denuo ſubſcribere. MAR. Qui potuit moriens? PH. Bernardinus rexit ægroti manum. MAR. Quid ſubſcripſit? PH. S. Fraciſcum & S. Domunicum iratos habeat, qui tentarit hinc aliquid immutare. MAR. At non metuebant actionem te ſtamenti inofficioſi? PH. Iſta actio non habet locum in his quæ deo dicantur, neq; quiſquam libenter cum deo litem ſuſcipit. His peractis, uxor & liberi datis dextris ægroto, iurant ſe ſeruaturos quod recepiſſent. Poſt hæc cœptum eſt agi de pompa funerali, non ſine contentione. Tandem hæc uincit ſententia, ut ex quinq; ordinum ſingulis adeſſent nouem, in honorem quinq; uoluminũ Moſi, & angelorum in nouem choros digeſtorũ. Suam quiſq; ordo crucem præferret, canerentq; funebres næ-

Næniæ ꝓprie cantilenæ funebres, nonnunq; tñ nugas quaſi bet appellamus næniaſ.

nias. Ad hæc præter cognatos conducerentur triginta, tot nummis erat uenditus dominus, Daduchi pullati, & honoris gratia ploratores duodecim (hic eſt numerus ordini apoſtolico ſacer) comitarentur: à feretro ſequeretur equus Georgij pullatus, ſic ad genua alligata cer uice, ut herum humi requirere uideretur. Stragula hinc atque hinc oſtenderet inſignia. Similiter & unaquæq; teda & pulla ueſtis haberet inſignia. Reponeretur autem corpus quidem ipſum ad dexteram altaris ſummi in tymbo marmoreo, qui promineret à ſolo pedes quatuor, ipſe in ſummo recumberet, Pario ſculptus marmore totus armatus à uertice uſque ad calcancum. Nec deeſſet Galeæ ſua criſta, Criſta erat onocrotali collum,

Daduchi, tedifori.

nec cly

nec clypeus læuo brachio, in quo insignia hæc erant tria capita apri syluestris aurea, in planicie argentea, nec lateri gladius inaurato capulo, nec baltheus inauratus ac gemmeis distinctus bullis, nec pedibus aurea calcaria: Erat enim eques auratus, sed pedibus haberet leopardum: Oræ sepulchri titulum haberent tali uiro dignum. Cor autẽ separatim recõdi uolebat, in sacello dii Franciſci. Inteſtina mãdauit parocho, honorifice ſepelienda in ſacello quod eſt uirgini matri ſacrũ. MA. *Funus nimirum honorificum, ſed nimio cõſtans. Venetiæ uel cerdoni cuipiam, plus haberetur honoris minimo impendio. Feretrum elegans dat ſodalitas, & unum comitãtur aliquãdo ſexcẽti monachorũ tunicis pallijsue ueſtiti.* PH. *Vidimus & nos riſimúsq; iſtas pauperum ineptas glorias. Incedunt ſullones & coriarij ſuperne, infernéq; cerdones, in medio monachi, chimeras eſſe dicereſ. Nec alia res erat ſi uidiſſes. Cautum eſt & illud Georgio, ut Franciſcanus & Dominicanus inter ſeſe ſorte decernerent, utris primus cederet locus in pompa, poſt hoc cæteri quoq; ſortirentur, ne quid hinc oriretur tumultus. Parochus & huius clerici, locum tenerent infimum. Nec enim aliud erant paſſuri monachi.* MAR. *Non acies tantum, ſed & pompas ille callebat ordinare.* PH. *Cautum eſt & illud, ut funebre ſacrum quod apud parochum fieret, modulato muſicorum concentu perageretur honoris gratia. Dum hæc aliáq; tractantur, inhorruit ægrotus, deditq; ſigna certiſſima, ſupremũ tẽpus adeſſe. Adornatur igitur extremus fabulæ actus.* MA. *Nondum finis?* PH. *Recitatur diploma*

In planicie. Data opera fingit inſignia uitioſa. Nã caduceatorum leges habent, adulterina eſſe iſignia quæ habent metallum ſuper metallum.

pontificis, in quo permittebatur criminum omniũ abolitio, totúsq; purgatorij metus adimebatur. Ad hæc iustificabantur omnia illius bona. MAR. Rapto parta? PH. Certe iure belli ac more militari. Sed fortè aderat Philippus iureconsultus uxoris frater: Is in diplomate notauit locum secus positũ quã oportuit, & iniecit suspicionem falsi. MAR. Haud quaquã in tempore. Dissimulandũ erat, etiam si quid ineſſet erroris. Et nihilo peius habuiſſet ægrotus. PH. Aſſentior. Et ægrotus sic hac re perturbatus eſt, ut minimũ abeſſet à deſperatione. Ibi Vincentius fortem uirum præbuit, iußit Georgium forti eſſe animo, ſibi eſſe poteſtatem corrigendi ſupplendiq; ſi quid in diplomatibus uel erratum eſſet uel omiſſum. Quod ſi te, inquit, fefellerit diploma, ego iam nunc hanc animam pro tua ſuppono anima, ut tua petat cœlos, mea dedatur orco. MAR. Accipit ne deus tales animarum permutationes? Et ſi accipit, num ſatis cautum uidebatur Georgio tali pignore? Quid ſi Vincentij anima uel abſq; permutatione debebatur inferis? PHAE. Quod geſtum eſt narro. Hoc certe perfecit Vincentius: ægrotus uiſus eſt animũ recipere. Mox recitantur cautiones, quibus Georgio promittebatur ſocietas omnium operum quæ fierent per quatuor ordines, & quintum Cartuſienſium. MAR. Ego metuerem ne deprimerer ad inferos ſi tantum ſarcinæ baiulandum eſſet. PHAE. De bonis operibus loquor, ea nõ aliter grauant animã ſubuolaturam, quàm plumæ auẽ. MAR. Mala igitur opera ſua quibus legãt? PHAE. Militibus Germaniæ conductitijs. MAR. Quo iure? PHAE.

Digitized by Google

PHAE. Iure Euangelico, habenti dabitur. Simulq; recitatus est numerus missarum & psalteriorũ, quæ defuncti animam essent comitatura. Erat autem immensus. Post hæc iterata est confessio, datáq; benedictio. MAR. Ita efflauit animam? PHAE. Nondum. Strata est humi storea iuncis contexta, sic ut ab initio cõuoluta ceruicalis speciem ex sese faceret. MAR. Quid nunc futurum est? PH. Eam conspersêrunt cinere sed raro, Ibi deposuere corpus ægroti. Instrata est tunica Franciscana, sed prius consecrata preculis & aqua lustrali. Cuculla supposita est capiti, nam tum indui non poterat, unà cũ illa suppositum est diploma cum cautionibus. MAR. Noua mortis species. PH. Atqui confirmant dæmoni nullum esse ius in eos qui sic moriuntur. Sic aunt præter alios mortuum S. Martinum & Frãciscum. MAR. Sed huic morti illorum uita respondebat. Obsecro quid tum postea? PH. Porrecta est ægroto crucis imago & candela cerea. Ad crucem porrectam dixit ægrotus: Soleo in bellis tutus esse meo clypeo, nunc hunc clypeũ opponam hosti meo, & exoscultatus admouit humero læuo. Ad ceream uero sacrã, olim, inquit, hasta ualui in bellis, nũc hanc hastam uibrabo aduersus hostem animarũ. MAR. Satis militariter. PH. Has postremas uoces ædidit. Nam mox linguam mors occupauit, simulq; cœpit animam agere. Bernardinus à dextris imminebat morienti, Vincentius à sinistris, uterq; pulchre uocalis. Alter ostendebat imaginẽ sancti Francisci, alter Dominici. Cæteri sparsi per cubiculum demurmurabant psalmos aliquot uoce lugubri. Bernar

dinus magnis uociferationibus percellebat aurem dextram, Vincentius sinistrã. MAR. Quid occlamabant? PHAE. Huiusmodi fermè Bernardinus: Georgi Balearice: si nunc quoq; probas ea quæ sunt acta inter nos, flecte caput in dextrum: Flexit. Vincentius contrà, ne quid trepides Georgi, habes Frãciscum & Dominicũ propugnatores. Esto securus. Cogita quãtũ habeas meritorum, quod diploma, deniq; memineris meã animam pro tua oppignoratam si quid esset periculi: hæc si sentis & probas, flecte caput in læuum. Flexit. Rursus simili clamore, si hæc sentis, inquiunt, preme manũ meã, tum manũ pressit. Ita huc & illuc flectendo capite, & premẽdis manibus transactæ sunt horæ fermè tres, quũ iam inciperet oscitare Georgius: Ibi Bernardinus erectius pronunciauit absolutionem, quam perficere nõ potuit, quin Georgius efflasset animã. Hæc sub noctis medium, mane peracta anatomia. MA. Quid mali repertum in corpore? PH. Recte mones, nã exciderat. Fragmentum plumbi inhærebat diaphragmati. MA. Vnde id? PH. Vxor narrabat illum quondam ictum sphærula bombardica. Hinc cõiectabant medici, plumbi liquefacti particulam resedisse in corpore. Mox corpus lacerum utcunq; conuestitum est amictu Franciscano. A prandio sepultura peracta est ea pompa qua decretũ erat. MAR. Nunquam audiui mortem operosiorem, nec finus ambitiosius. Verum istam opinor fabulã nolis euulgari. PHAE. Quãobrem? MAR. Ne quid iritentur crabrones. PH. Nihil est periculi. Etenim si pia sunt quæ narro, etiam ipsorum interest hæc scire populum.

Diaphragma est septũ transuersum, qd̃ separat præcordia, in qbus cor & pulmo, ab inferiore corporis parte, in qua splen epar & renes.

Sin

Sin minus, quotquot inter illos boni sunt, mihi gratias agent qui hæc prodiderim, quo pudore correcti quidã desinant similia facere, deinde simplices caueant ne in simulem pertrahantur errorẽ. Sunt enim & apud istos cordati uereq; pij, qui frequenter apud me questi sunt, paucorum uel superstitione uel improbitate totum ordinem reddi apud bonos inuidiosum. MA. *Recte tu quidem & fortiter. Sed nunc aueo scire, quomodo decesserit* Cornelius. PH. *Vt uixit nulli molestius, ita mortuus est. Habebat febrẽ anniuersariã, quæ statis temporibus singulis annis recurreret. Ea tum siue quia grauabat ætas: nam annum excesserat sexagesimum: siue aliys de causis solito magis urgebat hominem. Et uisus est ipse præsentire diẽ fatalem imminere. Itaq; quatriduo prius quàm moreretur, erat dominicus dies, templum adijt. Cõfessus est suo parocho, audiuit publicam cõcionẽ & sacrũ, à sacro reuerenter accepto pignore corporis dominici, domũ se recepit.* MA. *Nõ usus est medicis?* PH. *Vnicũ dũtaxat consuluit, sed nõ minus bonũ uirũ quàm bonũ medicũ. Et Iacobo Castrutio nomẽ est.* MA. *Noui. Nihil illo syncerius.* PH. *Is respondit suã quidẽ operam amico non defuturã, sed sibi uideri plus esse præsidij in deo quàm in medicis. Cornelius hanc uocẽ nõ minus alacriter accepit, quàm si certissimã uitæ spem ostẽdisset. Itaq; tametsi semper pro suis facultatibus fuisset perbenignus in pauperes, tum quicquid decidi poterat uxoris & liberorũ necessitati, impartiebatur in egenos, non istos ambitiose mẽdicos, & nusquã nõ obuios, sed in probos, qui pro uiribus industria laborandi cũ paupertate*

Anniuersariã i. singulis annis recurrentem.

pertate pugnabāt. Rogabā hominē ut decūberet & ſacerdotē ad ſeſe accerſeret potius, quàm tenue corpuſculum defatigaret. Reſpondit hoc ſibi ſemp ſtudio fuiſſe, ut amicos ſuos ſubleuaret potius ſi poſſet, quàm grauaret officijs, nec ſe ſui diſsimilem eſſe uelle in morte. Ne decubuit quidem niſi poſtremū diem & noctis partē, qua reliquit terras. Interim ob corpuſculi laſsitudinem baculo nitebatur, aut ſedebat in cathedra, raro cōponebat ſe lectulo, ſed ueſtitus & erecto capite. Hoc tempore, aut mādabat aliquid de curandis egenis maxime notis ac uicinis, aut legebat è libris ſacris, quæ prouocāt hominis erga deū fiduciā, quæq; illius in nos charitatem declarāt. Si per laſsitudinē ipſe minus poterat, audiebat amicū prælegentē. Frequēter miro affectu hortabatur familiā ad mutuū amorē & cōcordiā, adq; ſtudiū ueræ pietatis, ſollicitosq; de morte ipſius amātiſsime conſolabatur. Idētidē admonebat ſuos, ne quid æris alieni præteriretur indiſſolutū. M A. Non condiderat teſtamentū? P H. Iam pridē ſanus ac ualens id curarat. Negabat enim eſſe teſtamēta quæ fierent ab agentibus animā, ſed deliramēta potius. M A. Nihil legarat monaſterijs aut egenis? P H. Ne teruntiū quidē. Ego, inquit, pro mea portione diſpenſaui facultatulas meas, nūc ut earū poſſeſsionē alijs trado, ita trado & diſpenſationē. Et cōfido meos ſanctius diſpēſaturos quàm ipſe feci. M A. Nō accerſebat ad ſeſe pios homines, quēadmodum fecit Georgius? P H. Ne unū quidem: præter familiam & duos intime amicos nullus aderat. M A. Demiror quid ſenſerit. P H. Negabat ſe moriētē pluribus molestum

festum esse uelle, quàm fuisset nascens. MA. Expecto finẽ istius fabulæ. PH. Mox audies. Venit dies Iouis. Ille stratũ nõ reliquit, sentiens extremã corpusculi lassitudinẽ. Accitus parochus impartit extremã unctionem, ac rursus porrexit corpus domini, sed citra cõfessionẽ. Negabat enim quicquã scrupuli residisse in animo. Ibi parochus agere cœpit de sepultura, qua pompa, quo uel loco sepeliri uellet. Sepeli, inquit, me quomodo sepelires infimæ sortis Christianũ, nec mea refert, ubi seponas hoc corpusculũ, æque inueniendũ in extremo die, ubicũq; cõdideris. Pompam funeris nihil moror. Mox iniecta mentio de sonitu campanarũ, de tricenarijs & anniuersarijs, de diplomate, de cõmunione meritorum emẽda. Tum ille, mi pastor nihilo peius habebo, etiã si nulla sonet cãpana. Si me uel uno funebri sacro dignaberis, plus satis erit. Aut si quid aliud est, quod ob publicã ecclesiæ consuetudinẽ citra scandalum infirmorũ omitti uix potest, id tuo permitto arbitratui. Nec est animus cuiusquàm uel preces cõmercari, uel meritis suis spoliare. Satis meritorũ exuberat Christo, & confido totius ecclesiæ preces ac merita mihi, si modo uiuũ sum membrũ profutura. In duobus diplomatibus mihi tota spes est: Alterũ est peccatorum meorũ, quod princeps pastorũ dominus Iesus aboleuit, affigens illud cruci: alterum quod ipse suo sacrosancto sanguine scripsit & obsignauit, quo nos certos reddidit de salute æterna, si totã fiduciã nostrã in ipsum transferamus. Absit enim ut instructus meritis ac diplomatibus prouocẽ dominũ meum ut in iudiciũ ueniat cũ seruo, certus quod in cõ-

ſpectu eius nō iuſtificabitur omnis uiuens. Ego ab illius iuſtitia appello ad eiuſdē miſericordiam, quoniā immēſa eſt & ineffabilis. His dictis abijt parochus, Cornelius ueluti magna ſpe ſalutis concepta, gaudens & alacer, iubet ſibi quædam recitari è ſacris uoluminibus, quæ cō firmant ſpem reſurrectionis & præmia immortalitatis, uelut illud ex Eſaia de morte Ezechiæ dilata, una cum cantico: Deinde cap. 15. epiſtolæ Pau. ad Cor. prioris: De morte Lazari ex Ioanne, ſed præcipue hiſtoriam Chriſti paßi ex cuāgelijs. Quàm hic animo deuorabat ſingula, ad quædā ſuſpirans, ad alia cōpoſitis manibus gratias agēs, ad quædā hilareſcens ac geſtiēs, ad nonnulla preculas quaſdā breues eiaculans. A prandio quū paululum temporis obdormiſſet, iubet recitari caput ex euāgelio Ioānis duodecimū uſq; ad hiſtoriæ finem. Hic dixiſſes hominē planè transfigurari afflariq; nouo ſpiritu. Iam dies uergebat ad ueſperā. Accerſit uxorē ac liberos, ibi erecto quātum licuit corpuſculo, ſic affatus eſt ſuos: Chariſſima cōiunx, quos deus ante cōiunxerat, idē nūc ſeparat, ſed corporibus duntaxat, idq; ad breue tempus: Curam, charitatē, pietatē quā antehac partiri ſoles in me & dulciſſima pignora, totā in iſtos trāsfer. Ne putaris te ullis modis poſſe magis demereri uel deū uel me, quàm ſi iſtos quos deus dedit nobis, cōiugij fructum, ſic educens, foueas & inſtituas, ut Chriſto digni habeantur. In hos igitur conduplica pietatem tuam, & meam portionē in te translatā exiſtima. Id ſi feceris ut factura cōfido, non erit quur uideātur orphani. Quod ſi repetas matrimoniū. Ad hāc uocē uxor erupit in fletum,

tum, cœpitq; deierare se nunquam de repetẽdis nuptijs cogitaturã. Hic Cornelus, soror in Christo mihi charissima, si dominus Iesus largiri dignabitur tibi propositũ istud ac robur spiritus, ne desis dono cœlesti. Erit enim hoc tibi pariter ac liberis cõmodius. Sin aliò uocabit carnis infirmitas, scito quod mors mea te liberat à iure cõiugij, sed nõ liberat à fide quã meo tuoq; nomine debes curandis cõmunibus liberis. Quod ad matrimonium attinet, utere libertate, quam tibi permisit dominus. Tãtũ hoc te rogo moneoq;, ut uirũ tibi deligas ijs moribus, tuq; te illi talẽ præbeas, ut possit uel suapte bonitate ductus, uel tua commoditate prouocatus amare priuignos. Proinde caue ne cui uoto te obstringas. Serua te liberã deo & liberis nostris, quos sic institues ad omnẽ pietatẽ, ut caueas ne se cuipiã addicant instituto, donec per ætatẽ & rerũ usum cõstiterit, ad quod uitæ genus sint idonei. Deinde uersus ad liberos exhortatus est ad studiũ pietatis, ad obediendũ matri, ad mutuam inter ipsos charitatẽ & cõcordiã. His peroratis, dedit osculũ uxori: liberis, facto signo crucis precatus est bonã mentem, & Christi misericordiam. Post hæc intuens omnes qui aderãt: Sub crastinam, inquit, aurorã dominus qui diluculo reuixit, pro sua misericordia dignabitur hanc animulã ex huius corpusculi sepulchro, eq; huius mortalitatis tenebris euocare in lucẽ suã cœlestẽ. Nolo teneram ætatẽ excubijs inanibus fatigari. Cæteri quoque uicissim dormiãt. Mihi satis est unũ adesse uigilem, qui recitet sacrã lectionem. Transacta nocte, sub horam quartam, cunctis præsentibus iussit recitari psalmũ totum quẽ do-

minus orans recitauit in cruce. Eo finito, iußit exhiberi cereũ & crucẽ: & cereum accipiens dixit, Dominus illuminatio mea & salus mea, quẽ timebo? Crucem exosculatus dixit: Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Mox manus super pectus in supplicantis gestum cõposuit, et oculis in cœlũ erectis dixit: Domine Iesu accipe spiritũ meum. Et protinus clausit oculos ueluti dormiturus, simulq; leui flatu emisit spiritum, dixißes illũ obdormisse, non expirasse. M A. Nunquàm audiui mortem minus operosam. P H. Talis fuerat in omni uita. Vterq; fuit amicus. Fortasse non æque dijudico, uter decesserit Christianius, tu qui integer es rectius dispicies. M A R. Ita faciam, sed per ocium.

ECHO.

I V V E N I S. Cupio paucis te consulere, si uacat.
E C H O. Vacat. I V. Et si ucnio tibi gratus iuuenis.
E. Venis. I V. Sed potés ne mihi et de futuris dicere ue
Ἔχω, Posſũ. rũ Echo? E. Ἔχω. I V. Et Græce nosti? Quid istuc noui? E. Noui. I V. Qualia tibi uidentur musarum studia?
Αἶα. i. Diuina. E C H O. Δῖα. I V. Censes igitur terendos autores, qui cõducunt ad bonas literas? E. Teras. I V. Quam igitur mentẽ habent isti, qui hæc studia linguis traducunt suis? E. Suis. I V. Sed utinam harum cultores similiter essent & pietatis studiosi. E. O si. I V. Nunc quorundã impro
Ἰσως. i. fortasse. bitas omnes reddit inuisos. E. Ἴσως. I V. Et multis, hominum peccatũ cõfertur in nomẽ eruditionis. E. Ὄνοις.
Ὄνοις. i. asinis. I V. Atqui uulgo uidẽtur nõ infimu. E. Fimi. I V. Quid facere censes eos, qui terũt ætatẽ in sophistico doctrinæ genere?

Digitized by Google

genere? E. Nere. I V. Fortaſsis telas aranearum. E. Harum. I V. Ac Penelopes telas texunt ac retexunt. E C. Texunt. I V. Cui ſuades ut me dem uitæ inſtituto? E C. Tuto. I V. Erit auſpicatum, ſi uxorem duxero? E Sero. I V. Quid ſi mihi ueniat uſu, quod his qui incidunt in uxores parum pudicas, parumq; frugiferas? E C. Feras. I V. Atqui cum talibus morte durior eſt uita. E C. Vita. I V. Siccine in rebus humanis dominari fortunam? E C. Vnam. I V. Magis fortaſſe expedit ut aliquis præ conugio monachi inſtitutum eligat. E C. Ligat. I V. Quid ſupereſt remedij, ubi quĕ aſtrinxerit, iã nodus inſolubilis? E C. Bilis. I V. Attamen miſerũ eſt homines uiuere ſolos. E C. ὅλως. I V. Cuiuſmodi cenſes horum tẽporum pleroſq; monachos? E C. ἄχθ. I V. Quid igitur iſtos mouet, qui ſuſpicunt illos ut ſemideos? E C. δέος. I V. Quid captant pleriq; qui ambiunt ſacerdotium? E C. Ocium. I V. Præterea nihil habet ſacerdos? E C. κέρδ. I V. Quid bonæ rei contingit illis qui fiunt epiſcopi? E C. κόπι. I V V E. At nulli magis uiuunt in ocio. E C. Scio. I V. Quæ res illos admonere poterit, ut intelligant quantum ſuſtineãt onus? E C. νῶε. I V V E. Ergo res præclara eſt ſacerdotium, ſi quis ſe in eo gerendo qualem oportet præbeat? E C. Beat. I V. Quid fructus erit, ſi me conferam in aulas eorũ, qui præcellunt monarchica dignitate? E C. Ate. I V. At non paucos uideo qui ſolent illinc ſibi præclaram ſe nilicitatem ariolari. E C. λάρι. I V V E. At interim dum incedunt holoſericati, uulgo uidentur homines magnifici. E C. Fici. I V V E N I S. Foris igitur aureos, intus ficulneos

ὅλως, omnino. Αχος, Pernicies, peſtẽ. Δέον. Tibi deeſt. Κέρδος, Lucrum, Κόποι, Labores. Ὁ νῶς, Mẽſarũ, Ate dea dam nati. Λάρι marina et rana. Foris aureos, intus pax.

Digitized by Google

ficulneos homines dici, si quis inspiciat cominus? E. Minus. I V. Nihil igitur præclari sunt, quos pro dijs ueneramur byßimos. E. Σῖνῷ, Nocumentum. σῖνῷ. I V. Nec militare genus magno æstimabis fortasse. E. Asse. I V. Magnum quiddam pollicētur, qui è syderibus & futura prædicūt Astrologi. E. Λόγοι, Verba. λόγοι. I V. At strēnue laborant Grāmatici. E C. ἐικῆ. I V. Non placent opinor, legulei homines semper famelici. E C. Εικῆ, Temere, frustra. λύκοι. I V. Quales ero si fiam opifex? E C. Fex. I V. Itáne nihil præterea adferunt artes boni aut mali? E C. Λύκοι, Lupi. Ali. I V. Fuero ne beatus si perseueraro in bonis literis? E C. Eris. I V. Sed quæ res dabit ut adsit pietas? E C. Aetas. I V. Decem iam annos ætatem tri ui in Cicerone. E C. Ὄνε, Asine. ὄνε. I V. Vnde tibi subit me asinū dicere? E C. E re. I V. Fortaßis hoc dicis, nō sic huic incumbēdum, ut alios relinquam. E C. Inquam. I V. Nō placet igitur is qui se per omnē uitā tantum in hoc torqueat ut fiat Ciceronianus? E. Ἄνθῳ, Amēs ἄνθῳ. I V. Quid supereſt natu grandibus, quorum ætas ad hæc discenda nō est tē pestiua? E C. Stiua. I V. Facundior esses opinor, si longius abesſem. E. Eßem. I V. Non me delectāt sermones dißyllabi. E. Abi. I V. Cœpi prior, uideo nō posse uitari, quin posterior desinas. E. Sinas. I V. Iam igitur tibi uideor satis instructus ad ea probe gerēda, quæ sunt in uita? E. Ita. I V. Proīde si me uoles abire, dicito. E. Ito.

ΠΟΛΥΔΑΙΤΙΑ. *Dispar conuiuium.*

SPVDVS, APITIVS.

Heus heus Apiti. A P. Non audio. S P. Heus inquam Apiti. A P. Quis hic est tam molestus interpellator? S P.

Est

Est ſeriæ rei quiddam, quod te uolo. A P. *At ego ad rẽ ſeriam propero.* S P. *Quò nam?* A P. *Ad cœnam.* S P V. *Hac ipſa de re tecum uolebam agere.* A P I. *Non uacat nunc actoribus operam dare, ne actum agam.* S P. *Nihil feceris diſpendij, comitabor te quò properas.* A P. *Age dic, modo tribus uerbis.* S P. *Magno ſtudio molior conuiuium, in quo nulli diſpliceam conuiuarũ, placeã omnibus. Eius artis quoniam tu principatum tenes, ad te uelut ad oraculum confugio.* A P. *Reſponſum accipe, & quidem iuxta ueterum morem* ἔμμετρον. *Nulli ut diſpliceas, nullum inuitare memento.* S P. *Atqui ſolẽne eſt epulum, multos excipiam oportet.* A P. *Quo plures inuitaris, hoc pluribus diſpliceas oportet. Quæ fuit unquam tam bene uel conſcripta uel acta fabula, ut toti placuerit theatro?* S P. *Sed age Comi deliciũ Apiti, ſubleua me tuo cõſilio, habebo te poſthac numinis loco.* A P. *Sit igitur hoc primum conſilium, ne conare quod fieri nõ poteſt.* S P. *Quid nam?* A P. *Vt conuiuator omnibus placeas. Tanta eſt palatorũ uarietas.* S P. *At ſaltẽ ut paucioribus diſpliceam.* A P. *Voca paucos.* S. *Nõ licet.* A P. *Voca pares, & ingenijs congruentes.* S. *Ne id quidem mihi liberum eſt. Vitari non poteſt, quin & multos uocem, & diſsimiles, deniq; nec eiuſdem linguæ, neq; nationis homines.* A P. *Næ tu mihi uere cõuicium narras, nõ cõuiuium, in quo facile poſsit talis exoriri luſus, qualem Hebræi narrant accidiſſe in ſtructura Babel, ut petenti frigidum, aliquis porrigat calidum.* S P. *Opitulare te quæſo. Gratũ experieris ac memorẽ.* A P. *Age quando electio nõ eſt tui arbitrij, in re mala dabo bonũ cõſilium.*

Id eſt, mœtricum.

Digitized by Google

lium. Haud parui refert ad hilaritatẽ conuiuij, quo quisque loco sedeat. S P. Verißimũ. A P. Ea res ut tibi cedat prospere, fac ut sortibus distribuantur accubitus. S P. Pulchre mones. A P. Deinde ne sic paulatim à summo ad imum procedant patinæ, ut sigma literæ uel serpentis potius imaginem pingant, aut ultro citroq; reciprocent, quemadmodum olim in conuiuijs myrtus tradi solet. S P. Quid igitur? A P. Sed ad singulas conuiuarum tetradas, appone patinas ternas, sic ut quarta media promineat, quemadmodum pueri tribus nucibus imponunt quartam: in singulis sit aliud atque aliud cibi genus, quo quisq; quod libet eligat. S P. Placet. Sed quoties mutabo patinas? A P. Quot partibus cõstat oratio rhetorica? S P. Quinq; ni fallor. A P. Quot actibus constat fabula. S P. Apud Horatium legi. Ne sit quinto productior actu. A P. Toties mutabis patinas, ut procemiũ sit iussulentum, conclusio uel epilogus exuarijs bellariorum generibus conflatus. S P. Quem probas in patinis ordinem? A P. Eundem quem Pyrrhus in acie. S. Quid ais? A P. Quemadmodum in oratione, ita nec in conuiuio decet procœmium esse elaboratum. Rursus epilogus uarietate commendatur potius quàm apparatu, in tribus itaq; medijs seruanda Pyrrhi disciplina, ut in utroq; cornu sit aliquid eximiũ, in media acie uulgarior apparatus. Hoc pacto fiet, ut nec sordidus uideare, nec fastidiosa copia sis molestus. S P. Satis expedite de cibis, superest ut quomodo bibendum doceas. A P. Nulli omniũ cyathum appones, sed pueris dato negociũ, ut ubi percontati didicerint quo quisq; uini genere delectetur, alacriter

criter ad nutum cuiq; quod uolet porrigant. Ea ex re duplex erit commodum. Nam & parcius bibetur & iucundius, non solum ob id, quia subinde recens dabitur, uerumetiam quod nemo bibet nisi sitiens. S P. Optimum profecto consilium. Sed qui fieri poterit ut hilarescant omnes. A P. Id ut fiat, partim in te situm est. S P. Qui nam? A P. Tenes illud, Ante omnia uultus accesse re boni. S P. Quorsum istud? A P I. Vt conuiuas comiter excipias, frontéq; hilari compelles, sermonem ad cuiusq; ætatem, affectum, ac mores attemperans. S P. Accedam ut dicas melius. A P. Nosti linguas? S P. Propemodum omnium. A P. Vt sua quenq; lingua subinde appelles, utq; conuiuium fabulis amœnioribus hilarescat, uarias misce materias de rebus, quarum quisq; libenter meminit, & nullius dolore audiuntur. S P. Quas dicis huiusmodi materias? A P. Sunt peculiares ingeniorum differentiæ, quas ipse melius perspicies, ego generatim attingam aliquot. Senes gaudent ea memorare, quæ multorum fugiunt memoriam, admiratores temporum, in quibus ipsi floruerunt. Matronis dulce est refricari memoriam eius temporis, quum à procis ambirentur. Nautæ quique diuersas ac longinquas mundi regiones inuiserunt, libenter ea narrant, quæ quia nemo uidit, mirantur omnes. Est & anteactorum malorum, iuxta prouerbium, iucunda recordatio, si modo eius sint generis, ut cum probro coniuncta non sint, ut militiæ, profectionum, naufragiorumq; discrimina. Postremo de sua cuique arte grata est confabulatio, déque hisce rebus, quarum

rum usu callet. Hæc sunt fermè generalia, peculiares affectus singulatim describi non queant, sed exempli causa est aliquis laudis appetentior, alius uult haberi doctus, alius gaudet uideri diues: est hic loquacior, ille paciloquus, nõnullos reperies tetricos, alios contra blandiores. Sunt qui nolint uideri senes, quum sint: sunt rursus qui uolunt haberi grandiores quàm sint, affectantes hoc esse mirandi ~~quod belle portant ætatẽ: sunt~~ fœminæ quæ sibi de forma placẽt, sunt aliæ putidulæ. His cognitis affectibus, haud difficile est, miscere sermones unicuiq; gratos, uitatis his quæ mœrorẽ afferũt. S P. Næ tu perpulchre tenes artem conuiuatoriã. A P. Phy. Si tantundem temporis & operæ mihi consumptum esset in utroq; in re, Medicina ac Theologia, quantum impẽsum est huic arti, iandudum & inter iureconsultos, medicos ac theologos doctoris & titulum & lauream tulissem. S P. Credo. A P. Sed heus tu, ne quid erres, hic cauendũ est, ne fabulæ sint nimiũ prolixæ, aut ne exeant in temulentiã. Quemadmodũ enim uino nihil iucundius, si modice sum pseris, contra nihil molestius si supra quàm sat est hauseris, ita usu uenit in fabulis. S P. Vera prædicas. Sed huic incommodo quodnam ostendis remedium? A P. Vbi sen-

i. ebrietatem non ex uino ortam.

seris suboriri τὴν ἄοινον μέθην, per occasionem interseca sermonem, & argumentum diuersum interserre. Frustra opinor te monerem, ne cui suus dolor in conuiuio refricetur, utcunq; Plato iudicat in conuiuijs quibusdam uitijs esse medendum, uino discutiente tristiciam, & offensæ memoriam abolente. Verum illud te monitum oportuit, ne nimium crebro salutes cõuinas, tametsi probo,

Digitized by Google

probo, ut interdū obambulans, nūc hos, nūc illos comiter appelles: oportet enim conuiuatorē bonū motoriam agere fabulam. Nihil autem inciuilius, quàm ibi commemorare quod cibi genus sit, qua coctum arte, quanti emptum. Idem de uino dictum puta. Quin extenuandum etiam modice quod apponitur. Alioqui nimis diligens extenuatio apparatus, idem agit quod ostentatio. Satis est bis aut ad summum ter dixisse, Boni consulite. Si parum lautus est apparatus, animus certe lautissimus est. Interdum sales aspergendi sunt, sed qui nihil habeant dentis. Profuerit & illud, subinde sua quemq; compellare lingua, sed paucis. Dicendum erat initio, quod mihi nunc tandem uenit in mentem. S P. Quidnā? A P. Si non placet sortito dare locos, cura ut tres ex omnibus eligas natura festiuos, minimēq; mutos, quorum unum collocabis in capite mensæ, alterum è regione, tertium in medio, qui silentium ac tristitiam cæterorum discutiant. Quod si perspexeris conuiuium uel silentio tristius esse, uel clamoribus tumultuosum, aut etiam ad rixas tendere. S P. Hoc crebro fit apud nos, quid tum faciendum? A P. Accipe rem mihi multo usu cōpertam. S P. Expecto. A P. Inducite duos Mimos, siue γελωτοποιοὺς, qui sine uoce ridiculum aliquod argumentū gesticulatione repræsentēt. S P. Quur sine uoce? A P. Vt par sit omnium uoluptas, aut nihil loquantur, aut lingua loquātur omnibus æque ignota. Gestibus loquentes omnes pariter intelligēt. S P. Quod argumētū mihi narras, non satis intelligo. A P. Sunt innumera, puta uxorem decertantem cum marito de principatu, aut

Id est, risum mouentes.

Digitized by Google

simile quippiam è media uita. Quo magis erit ridicula saltatio, hoc plus erit omnibus uoluptatis. Hos oportet esse semifatuos, alioqui qui planè fatui sunt, quædam interdum effutiunt imprudentes quæ lædunt. SP. Ita tibi precor semper propitium Comum, ut mihi desisti fidele consilium. AP. Addam coronidem, quin potius repetam quod initio dixeram, ne nimium sis anxius ut placeas omnibus, non hic tantum, sed in omni uita, atq; ita fiet, ut citius placeas omnibus: optimum enim in uita, ne quid nimis.

BEATVS. BONIFACIVS.

BEAT. Saluus sit Bonifacius. BON. Etiam atque etiam saluus sit Beatus. Sed utinã essemus uterq; quod dicimur, tu diues, ego formosus. BEA. Itáne parũ tibi uidetur habere nomen magnificum? BON. Mihi quidem minimum momenti, nisi res adsit. BEA. At plerig; mortales aliter affecti sunt. BON. Fieri potest, ut mortales sint isti, homines esse nõ credo. BEA. Et homines sunt ò bone, nisi putas etiam nunc sub humana specie camelos & asinos obambulare. BON. Hoc citius crediderim quàm homines esse, qui pluris nomen faciant quàm rem. BEA. In certis rerum generibus, fateor plerig; malunt rem quàm nomen, in multis contra. BO. Hoc quid sit non satis assequor. BEA. Atqui penes nos ipsos exemplum est. Tu Bonifacius diceris, & habes quod diceris: sed si esses alterutro spoliãdus, utrum malles habere malam faciem, an pro Bonifacio dici Cornelius? BON. Equidem malim uel Therſites dici, quàm habere prodigiosam faciem, an bonam ha-

beam

beam nescio. BEA. Itidem ego si dives essem, & aut res aut nomen esset deponendū, malim trus dici, quàm re spoliari. BON. Assentior uera loquenti. BEA. Idē usū ueniet, opinor, in his qui sunt prospera ualetudine, aut alijs corporis præditi commodis. BON. Probabile est. BEA. At quàm multos uidemus qui mallent nomen eruditi pijq; uiri, quàm esse docti boniq;. BON. Plurimos istiusmodi noui. BE. An non apud hos plus habet momenti nomen quā res? BO. Videtur. BE. Iam si quis nobis adesset Dialecticus, qui scite definiret qd sit rex, quid Episcopus, quid magistratus, quid philosophus, fortasis & hic inueniremus qui mallent nomē quàm rem. BON. Ita profecto, si rex est, qui legibus & æquitate populi commodum spectat, non suum: si episcopus, qui totus inuigilat gregi dominico: & si magistratus est, qui ex animo consulit reip. & si philosophus est, qui neglectis fortunæ commodis, tantum studet bonæ menti parandæ. BEA. Hic uides quantum huius generis exemplorū posim aggerere. BON. Sanè plurimum. BEA. An hos omnes negabis esse homines? BON. Vereor ne nos ipsi nomen hominis amittamus. BEA. At si homo est animal rationale, quantum abest hoc à ratione, ut in corporis commodis uerius quàm bonis, & in externis, quæ fortuna dat simul & eripit quum libet, rem malimus quàm nomen, in ueris animi bonis, nomen pluris faciamus quàm rem. BO. Præposterum me Hercle iudicium si quis attendat. BE. Eadem autē est ratio in cōtrarijs. BON. Expecto quid dicas. BEA. Idem iudicandum de nominibus rerum fugien-

Digitized by Google

darũ, quod dictũ est de uocabulis expetendarum. B O. Apparet. B E A. Magis enim horrendũ est esse tyrannum, quàm tyranni nomen, & si malus episcopus iuxta sententiam euangelicã fur est & latro, non tam hæc nomina sunt nobis detestanda, quàm ipsa res. B O. Cõuenit sanè. B E. Tu de cæteris similiter colligito. B O N. Prorsus intelligo. B E. Nónne fatui nomẽ auersantur omnes? B O. Et quidẽ maxime. B E. Nónne fatuus esset qui au-

Aureo hamo piscaretur, uide Chiliades.

reo piscaretur hamo, qui uitrum anteponeret gemmis, qui chariores haberet equos quàm uxorem ac liberos? B O. Is esset quouis Corebo stultior. B E. An non tales sunt, qui procurrunt in militiã, spe lucri non admodum magni, corpus & animã exponentes periculo, qui student cõgerendis opibus, quum animũ habeant omnium bonarũ rerum egenum, qui uestes & ædes exornant, quũ animus neglectus ac squalidus iaceat, qui corporis ualetudinẽ anxie tuentur, animam tot capitalibus morbis laborantem negligũt? Deniq; qui fugacissimis huius uitæ uoluptatibus, cruciatus merẽtur æternos? B O. Ipsa ratio fateri cogit, plus quàm fatuos esse. B E. Atq; his fatuis quũ plena sint omnia, uix inuenias qui ferre possit fatui uocabulum quum adeo non abhorreant à re. B O. Sic est profecto. B E A. Age scis quàm sint apud omnes inusa uocabula, mendacis ac furis. B O. Sunt inuisissima, nec sine causa. B E A. Fateor, Sed quum stuprare coniuges alienas sit furto sceleratius, tamen adulteri cognomine quidã etiam gloriantur, ad furti conuiciũ ilico stricturi gladiũ. B O. Ita res habet apud complures. B E. Ita quum multi scortis uinóq; perditissimi sint &

sint & sint libenter ac palàm, tamẽ ad ganeonis nomẽ offenduntur. BON. *Hi nimirum rem sibi gloriæ ducunt, quum uocẽ rei debitum horreant.* BEA. *Sed uix aliud nomẽ auribus nostris uidetur intolerabilius quàm mendacis.* BON. *Noui qui hoc cõuitiũ cæde sint ulti.* BEA. *Sed utinam pariter abominentur rem. Nũquam accidit tibi, ut qui promiserat se mutuũ ad certũ diem redditurum, falleret?* BO. *Frequenter, etiã quum id deierasset, neq; id semel sed iterum atq; iterum.* BE. *Fortasse non erant soluendo.* BO. *Imò erant, sed cõmodius esse ducebant non reddere creditum.* BE. *An hoc non est mẽtiri?* BO. *Planißime.* BE. *Auderes istiusmodi creditorẽ sic compellare. Quur mihi toties mentiris?* BO. *Non, nisi paratus essem ad pugnam.* BE. *An non simili mõdo quotidie uerba dant, latomi, fabri, aurifices, & uestiarij, pollicentes ad certum diem, nec tamen præstantes, etiamsi magni referat tua?* BO. *Mira impudentia, sed adde his aduocatos pollicentes operam.* BE. *Potes addere sexcenta nomina. Nemo tamen horũ laturus sit mendacis uocabulum.* BO. *Hoc genere mendaciorũ plena sunt omnia.* BEA. *Itidem fieris nomen nemo tolerat, quum à re non perinde omnes abhorreant.* BO. *Expecto ut dicas clarius.* BE. *Quid interest inter eum qui rem tuam tollit è scrinio, & inter eum qui depositum abiurat?* BON. *Nihil, nisi quod sceleratior est, qui spoliat etiam fidentem.* BEA. *At quàm pauci sunt, qui depositum reddunt, aut si reddunt, non dant integrum.* BON. *Opinor esse perpaucos.* BEA. *Nemo tamen istorũ ferat fieris uocabulũ, quũ rem nõ horreant.*

Digitized by Google

BON. Admodũ. B E. Iam mihi reputa, quid uulgo fiat in tractãdis pupillorum bonis, in teſtamẽtis ac legatis, quãtũ hæreat digitis tractantium. B O. Frequenter totum. B E. Furtum amant, uocabulum deteſtantur. B O. Maxime. B E. Quid agant, qui res fiſci tractãt, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc aucta, nũc diminuta nummorum æſtimatione, priuatorũ rem accidunt, fortaſſe nobis nõ admodũ liquet, de his quæ quotidiæ experimur loqui fas eſt. Qui ſumit mutuum, aut qui cõflat æs alienũ, hoc animo ut reddat ſi liceat nunquã, quantulum abeſt à fure? B O. Cautior fortaſſe dici poteſt, melior nequaquã. B E. At horum quum ingens ubiq; ſit numerus, nemo tamen tolerat furis nomẽ. B O. Animũ ſolus deus nouit, proinde apud homines obærati uocantur nõ fures. B E. Quantuli refert quo nomine dicantur apud homines, modo ſint fures apud deũ. Certe ſuus cuiq; notus eſt animus. Ad hæc qui quũ debeat multum, quod obtigit pecuniæ nequiter prodigit, qui poſteaquam decoxit in una ciuitate, deluſis creditoribus fugit in aliã, hoſpites quærẽs quibus imponat, idq; facit crebrius, nonne ſatis declarat quo ſit animo? B O. Satis ſuperq;. Sed tamen iſti ſolent hoc fucare colore, qd' faciũt. B. Quonã? B O. Multũ multusq; deberi, prædicãt ſibi cũ magnatibus atq; adeo regibus eſſe cõmune, eoq; q ſunt hoc ingenio præditi, ferè nobilitatis opinionem affectant. B O. In quẽ uſum? B E. Dictu mirum, quãtum equiti licere uelint. B O. Quo iure, quibus legibus? B E. Haud aliis quàm quibus præfecti maris uindicant ſibi, quicquid eiectũ eſt naufragio, etiamſi extet dominus,

dominus, quibus alij suũ esse uolunt, quicquid apud furem aut prædonẽ deprehendere int. BON. Istiusmodi leges possent fures condere. BEA. Et facerent si queant tueri, & haberent quod excusarent, si bellum indicant priusquàm fiãtur. BO. Quis hoc iuris dedit equiti potius quàm peditiBE. Militiæ fauor. Sic enim exercentur ad bellũ, quo promptiores sint ad spoliandũ hostẽ. BO. Sic opinor Pyrrhus exercebat suos ad bellũ. BE. Nõ, sed Lacedæmonij. BO. Abeant in malã crucem cũ suo exercitio. Sed unde nomẽ hoc tantæ prærogatiuæ? BEA. Quibusdã obuenit à maioribus, alij mercantur ære, quidam asciscunt. BO. An licet asciscere cui libet? BEA. Licet si mores respondeant. BO. Qui? BE. Si nihil bonæ rei gerat, si splẽdide uestiatur, si incedat adnulatus, si gnauiter scortetur, aleã ludat assidue, si certet chartis, si cõpotationibus ac uoluptatibus ætatẽ absumat, si nihil loquatur plebeium, sed arces, pugnas ac bella mera crepet, Thrasonica omnia. Isti sibi permittunt bellũ cui uelint indicere, etiã si pedem ubi ponant non habent. BO. Equites mihi narras equuleo dignos. Atque tales habet non paucos Sicambria.

CHARON.

CHARON, GENIVS, ALASTOR.

CHA. Quid ita properas gestiens Alastor? AL. Opportune tu quidẽ ò Charon. Ad te properabã. CH. Quid nouæ rei? ALA. Nuncium fero tibi Proserpinæq; lætißimum futurũ. CHA. Effer igitur quod fers, teq; exonera. ALA. Furiæ non minus gnauiter quàm

Digitized by Google

feliciter gesserunt suum negocium, nullam orbis partẽ nõ infecerũt malis tartareis, diſsidijs, bellis, latrocinijs, peſtilẽtijs, adeo ut planè iam caluæ emiſsis colubris ſint, & exhauſtæ uenenis: obambulant quærentes quicquid uſquã eſt uiperarũ & aſpidũ, quando tam glabræ ſunt quàm ouũ, & pilũ nõ habent in capite, neque quicquã in pectore ſucci efficacis. Proinde tu fac cymbam ac remos appares. Mox enim uẽtura eſt tanta umbrarũ multitudo, ut uerear ne nõ ſufficias omnibus tranſmittẽdis. CHA. Iſta nos non fugerant. ALA. Vnde reſcieras? CHA. Oſſa pertulerat ante biduum. ALA. Vt illa dea nihil eſt uelocius. Sed qd tu igitur hic ceſſas relicta cymba? CHA. Ita nimirum res ferebat. Huc profectus ſum, ut mihi comparẽ ualidam aliquam triremem. Nam mea cymba iam uetuſtate putris ac ſutilis, nõ ſuffecerit huic oneri, ſi uera ſunt quæ narrauit Oſſa. Quanquam quid opus erat Oſſa. Res ipſa compellit. Nam naufragiũ feci. ALA. Nimirũ totus diſtillas, ſuſpicabar te redire è balneo. CH. Imò enatui è ſtygia palude. ALA. Vmbras ubi reliquiſti? CH. Natant cum ranis. AL. Sed quid narrauit Oſſa? CH. Tres orbis monarchas capitalibus odijs in mutuũ exitiũ ruere, nec ullã orbis Chriſtiani partẽ immunẽ eſſe à belli furijs. Nã tres illi, reliquos cẽs pertrahũt in belli cõſortiũ: omnes eſſe talibus animis, ut nemo uelit alteri cedere: nec Danũ, Polonũ, nec Scotũ, nec Turcã interim eſſe in ocio: moliri dira: peſtilẽtiã ubiq; ſæuire, apud Hiſpanos, apud Britãnos, apud Italos, apud Gallos. Ad hæc, nouã eſſe luem ex opinionũ uarietate natã, quæ ſic uiciauit omniũ animos, ut nulla

glabre, i, leues & ſine pilis

ut nulla usquàm sit syncera amicitia, sed frater fratri diffidat, nec uxori cum marito conueniat. Spes est hinc quoq; nascituram olim magnificam hominum perniciẽ, si res à linguis & calamis ad manus peruenerit. A L. *Hæc omnia ueriſsime narrauit Ossa. Nam ipse plura uidi his oculis, assiduus comes & adiutor Furiarum, quæ nullo tempore magis declarar̃ut se suo dignas nomine.* C H. *Atqui periculũ est, ne quis dæmon exoriatur, qui subito adhortetur ad pacem, & sunt mortalium animi mutabiles. Nam audio apud superos esse polygraphum quendam, qui calamo suo non desinit insectari bellũ, & ad pacẽ cohortari.* A L. *Ille iam pridẽ surdis canit. Olim scripsit pacis profligatæ querimoniam, nunc eidem extinctæ scripsit epitaphium. Sunt alij contra, qui nõ minus iuuent rem nostram, quàm ipsæ fiuiæ.* C H. *Quonã isti?* A L. *Sunt animalia quædam pullis & candidis pallijs, cineritijs tunicis, uarijs ornata plumis, hæc nunquã recedunt ab aulis principum: instillant in aurem amorẽ belli, hortantur eodem proceres ac plebem, in Euangelicis illis concionibus clamitant bellum esse iustum, sanctum ac pium. Quoq; magis mireris hominum fortem animum, clamitant idem apud utranque partem. Apud Gallos concionantur deũ stare pro Gallis, nec uinci posse qui deũ habeat protectorem. Apud Anglos & Hispanos, hoc bellum non à Cæsare geri, sed à deo: tantum præbeant se uiros fortes, uictoriam esse certam. Quod si quis interciderit, eum non perire, sed rectà subuolare in cœlum, sicut erat, armatum.* C H. *Et habetur istis tanta fides?* A. *Quid non potest simulata religio? Accedit huc*

iuuentus, rerum imperitia, gloriæ ſitis, ira, ad id quo ue
catur animus natura propenſus. His facile imponitur,
nec difficile percellitur plaustrum ſuapte ſponte propen
dens ad ruinam. C. Ego iſtis animalibus lubens aliquid
boni fecero. A. Appara lautum conuiuium. Nihil potes
gratius. C. Ex maluis, lupinis, & porris. Nam apud nos
non alia eſt, ut ſcis, annona. A. Imò ex perdicibus, cá
pis, & phaſianis, ſi uis eſſe gratus conuiuator. C H.
Sed quæ res iſtos mouet ut tantopere promoueant bel
lum? Aut quid hinc metunt commodi? A L A. Quia plus
emolumenti capiunt è morientibus, quàm ex uiuis. Sunt
teſtamenta, parentalia, bullæ, multáq; alia non aſpernan
da lucra. Denique malùt in caſtris uerſari, quàm in ſuis
aluearibus. Bellum multos gignit epiſcopos, qui in pa
ce ne teruncij quidem fiebant. C. Sapiunt. A L. Sed quid
opus eſt triremi? C H. Nihil, ſi uelim in media palude
rurſus naufragium facere. A L. Ob multitudinem? C H.
Scilicet. A L. Atqui umbras uehis, non corpora. Quan
tulum autẽ ponderis habent umbræ? C. Sint tipulæ, tamẽ
tipularũ tãta uis eſſe poteſt, ut onerẽt cymbã, tũ ſcis &
cymbã umbratilẽ eſſe. A. At ego memini uidere me cum
eſſet ingens turba, nec cymba caperet oẽs, à clauo tuo
tria millia umbrarũ pẽdere nõnunquam, nec tu pondus
ullũ ſentiebas. C. Fateor tales eſſe animas quæ paulatim
demigrarũt è corpore phthiſi aut hectica extenuato. Cæ
terũ quæ ſubito reuellũtur è craſſo corpore, multũ cor
poreæ molis ſecũ ferũt. Tales autẽ mittit apoplexia, cy
nãche, peſtilẽtia, ſed præcipue bellũ. A. Nõ opinor Gal
los aut Hiſpanos adferre multũ põderis. C. Multo mi
nus

percellitur. 1: euertitur

Digitized by Google

mus quàm cæteri, quanquã & horũ animæ nõ oĩno ue-
niunt plumeæ. Cæterũ è Britãnis, è Germanis bene pa-
stis, ueniũt aliquoties tales, ut nuper periclitatus sim de
cẽ dũtaxat uehẽs, & nisi iacturã fecissem, perieram unà
cũ cymba, uectoribus & naulo. A. Ingẽs discrimen. C.
Quid interea censes fieri, cum accedũt crassi satrapæ,
Thrasones & Pyrgopolinices? A. Ex his qui pereũt in
iusto bello, nullos arbitror ad te uenire. Nam aiunt eos
rectà subuolare in cœlũ. C. Quò subuolẽt nescio: unũ il
lud scio, quoties bellũ est, tot ad me ueniũt saucij laceri
q̃, ut demirer ullũ superesse apud superos. Nec solũ ue-
niũt onustæ crapula et abdomine, uerũ etiã bullis, & sa
cerdotijs alijsq̃ rebus plurimis. A. At ista nõ deferũt se
cũ, sed nudæ ueniũt ad te. C. Verũ, sed quæ recentes ue-
niũt somnia talĩũ rerũ secũ adferũt. A. Itá ne grauãt som
nia? C. Grauãt cymbã meã, quid dixi grauãt? iã demer-
serũt. Postremo tot obolos putas nihil habere sarcinæ?
A. Equidẽ arbitror, si ferãt æreos. C. Proinde certũ est
mihi prospicere de naui quæ sufficiat oneri. A. O te feli
cẽ. C. Quid ita? A. Quia propediẽ diteſces. C. Ob multi
tudinẽ umbrarũ? A. Næ. C. Siquidẽ suas opes secũ adfe-
rũt. Nũc qui in cymba deplorãt se apud superos reli-
quisse regna, præsulatus, abbatias, auri talẽta innumera,
ad me nihil adferũt præter obolũ. Itaq; qd' iã annis ter-
mille mihi corrasum est, id totũ est effundendũ in unam
triremẽ. A. Sumptũ faciat oportet, qui quærit lucrũ. C.
Atqui mortales, ut audio, felicius negociãtur, qui, fauẽte
Mercurio, diteſcũt intra triennĩ. A. Sed ijdẽ decoquũt
nõnunquam. Tuum lucrum minus, sed certius. C. Nescio

quam

quàm certũ: si quis deus nunc exoriatur, qui res principũ componat, sors hæc tota mihi perierit. A. Ista quidẽ de re iubeo, ut me spõsore in utranque aurem dormias. Intra decennium totum, nihil est quod pacem metuas. Vnus Romanus pontifex sedulo quidem hortatur ad cõcordiã, sed laterem lauat. Murmurãt & ciuitates tædio malorũ: conferunt susurros populi nescio qui, dictitãtes iniquũ ut ob priuatas iras aut ambitionem duorum aut triũ res humanæ sursum ac deorsum misceantur, sed uincent, mihi crede, quãlibet recta consilia, furiæ. Cæterum quid opus erat hac gratia petere superos? An apud nos nõ sunt fabri? Certe Vulcanũ habemus. C. Pulchre, si quærã nauim æream. A L. Minimo accersetur aliquis. C H. Ita est, sed deficit nos materia. A L. Quid audio, nihil illic syluarũ? C. Etiã nemora quæ fuerãt in cãpis Elysijs absumpta sunt. A L. In quẽ tandem usum? C H. Exurendis hæreticorũ umbris, adeo ut nuper coacti simus è terræ uisceribus carbones effodere. A. Quid, an istæ umbræ non possunt minore sumptu puniri? C. Sic uisum est Rhadamantho. A L. Vbi triremem mercatus eris, unde remiges parabũtur? C. Meæ partes sunt tenere clauum, remigent umbræ si uelint traijcere. A L. At sunt quæ nõ didicerũt remũ agere. C H. Apud me nullus est eximius, remigant & monarchæ, remigant & cardinales suam quisque uicẽ, non minus quàm plebei tenues, siue didicerint, siue nõ didicerint. A L. Tu fac dextro Mercurio feliciter mercare triremẽ. Ego nõ te remorabor amplius. Orco lætum adferam nuncium. Sed heus heus Charon. C H. Quid est? A L. Fac matures reditum, ne te mox obruat

obruat turba. C. Imò iam plus quàm ducẽta millia offendes in ripa præter illas quæ natãt in palude. Properabo tamen quantum licebit. Dic illis me mox adfuturum.

SYNODVS GRAMMATICORVM.

ALBINVS, BERTVLPHVS, Canthelus, Diphylus, Eumenius, Fabullus, Gaditanus.



ALB. Eſt ne quiſquam in hoc numero qui didicit Arithmeticẽ? BER. Cui tandem rei? AL. Qui certum doceat quot cõuenerimus grãmatici. BER. Iſthuc quidem citra calculos, uel digiti noſtri nobis dicere poterunt. Te pono in pollice, me in indice, Canthelũ in medio, Diphylum in anulari, Eumenium in minimo. Nunc ad leuam tranſeo, illic in pollice pono Fabullum, in indice. Gaditanum. Itaq;, niſi fallor, ſeptem ſumus. Sed quor ſum attinet iſthuc ſcire? AL. Quoniam audio ſeptenarium reddere legitimum concilium. BE. Quod concilium mihi narras? AL. Eſt res ſeria quæ me diu multumq; torſit, neque me tantum, uerum multos etiam uiros neutiquam indoctos. Eam proponam in medium, ut huius ſynodi autoritate ſemel finiatur quæſtio. CAN. Eximiũ quiddã ſit opportet, quod tu uel ignores Albine, uel animum tuum perſpicaciſſimũ diu multumq; torſerit. Quare cupimus et ipſi noſſe quid iſtuc ſit rei. Nã unus omnium nomine reſpondeo. AL. Ergo hic eſtote omnes aures ſimul adhibentes & animos. Plus uident oculi quàm oculus. Eſt ne quisquam ueſtrum qui nobis explanare

Digitized by Google

Anticomarita. explanare poſsit, quid ſignificet hæc uox Anticomarita.

Beta natatilis. B E. Nihil facilius. Sonat enim betæ genus, quam Priſci natatilẽ appellabãt, caule cõtorto nodoſoq́, mire fatua, tetri odoris ſi cõtingas, poſſet cũ Anagyri contendere. C A. Natatilẽ narras betã, imò cacatilẽ beſtiã. Quis unquã audiuit aut legit antehac nomẽ natatilis betæ? B E. Imò hoc dilucide docet Mammetrectus uulgo corrupte dictus, quũ uero nomine dicatur Mammothreptos, qua ſi dicas auiæ alũnum. A L. Quid iſtuc eſt tituli? B E. Vt intelligas in libro nihil inueniri præter meras delitias, quod mammæ, hoc eſt ~~auiæ ſoleãt indulgẽtius habere~~ ne potes quàm matres liberos ſuos. A L. Planè delitioſum opus mihi narras. Nuper enim quũ in hũc codicẽ incidiſſem, minimũ abfuit, quin riſu diſſiluerim. C A. Vbi tu nactus es eũ codicẽ, qui rariſsimus inuentu eſt? B E. Abbas diui Bauonis, nomine Liuinus, à prãdio Brugis duxit me in bibliothecã ſuã peculiarẽ, quam homo ſenex cupiẽs aliquod ſui monumentũ poſteris relinquere, non mediocri ſumptu parabat. Nullus erat liber, qui non eſſet manu deſcriptus, idq́, in mẽbranis, nullus qui nõ uarijs picturis ornatus, ac foris byſſo auroq́, tectus. Quin & ipſa codicum ſpatioſa moles neſcio quid maieſtatis præ ſe ferebat. A L. Quinã erant? B E. Oh præclari oẽs, Catholicon, Brachylogus, Ouidius per allegorias expoſitus, aliiq́, innumeri, inter quos, & lepidiſsimũ Mammethreptũ repperi. Inter eas delicias inueni Natatilem Betã. A. Quur uocãt natatilẽ? B. Referã quod legi, penes autorẽ fidei periculũ eſto. Quoniam, inquit, prouenit in locis humidis putribusq́, nec uſquã felicius prouenit,

nit, quàm in cœno aut ſterquilinio, honos ſit auribus. A. Ità ne grauiter olet? B. Sic ut nec oletũ ullum peius oleat. A. Eſt ne iſtius holeris ullus uſus? B. Imò in delitijs eſt. A. Fortaſſe porcis aut aſinis aut bubus Cyprijs. B. Imò hominibus, & quidẽ delicatis, Pelinorum gens eſt, apud quã cõuiuia uiciſsim in longã ducuntur periodum, extremam compotationẽ uocant ſua lingua reſumptam, quaſi nos dicamus bellaria aut tragemata. A L B. Quàm bella bellaria. B E. Eius compotationis hæc lex eſt, ut liberum ſit cõuiuatori quicquid uolet apponere: nefas autẽ ſit conuiuis quicquã reijcere, ſed omnia boni cõſulere. A. Quid ſi apponeret cicutã aut crambẽ recoctam? B. Quicquid apponitur deuorandũ eſt ibi tacite. Domi tamẽ licet quod ederint reuomere. Nã hic ferè ponunt natatilẽ betã, ſiue anticomaritam, nihil enim refert utro nomine dixeris, res eadẽ eſt. Admiſcẽt aliqd querni corticis, & allij plurimum. Ita moretũ abſoluunt. A. Quis perſuaſit legẽ tam barbarã? B. Conſuetudo, quouis tyranno potentior. A. Tragicam periodũ mihi narras, quæ tam inamœnũ habeat exitum. B. Dixi meam uicem, nulli præiudicãs, ſi quis quid habet rectius. C. At ego cõperi priſcis fuiſſe piſcem, quẽ uocarũt anticomaritam. B. Dic autorẽ. C. Codicem exhibere poſſum, nomen autoris nõ poſsũ dicere. Scriptus eſt Gallice, ſed formulis Hebraicis. B. Quã ſpeciẽ habet piſcis anticomarita? C. Cætera nigris ſquamis eſt, ſolus uẽter albet. B. Palliatũ quẽ piã Cynicũ opinor nobis ex piſce facies. Qui ſapor? C. Nihil inſuauius. Quin peſtilẽs eſt. Naſcitur in putribus lacunis, interdũ & in cloacis, iners, limoſus: ſolo guſtu pituitam

Bubus Cyprijs, Vide Chiliades.

pituitam gignit grauem, quam uix uomitu leues. Frequens est in regione quam Celtithracen appellant. Nã illic in delicijs est, quòd gustasse carnes, detestabilius sit homicidio. A. Infelix regio cũ suo Anticomarita. B. Tantum habeo quod dicam, nemini præiudicatum uelim meæ sententiæ. DIPH. Quid opus est huius uocis enarrationem ex Mammethreptis aut Hebræis schedis petere, quum ipsa dictionis etymologia præ se ferat, anticomaritas dici puellas parum feliciter coniugatas, utpote maritis uetulis. Nec enim nouum est, quòd scribæ, quo, uerterunt in co, quum sint literæ cognatæ, c, q, & k. EV. Erat aliquid quod dixit Diphylus, si constaret dictionem esse latinam. Mihi uidetur esse Græca è tribus conflata: ex anti quod est contra, & come quod sonat pagum, et ὀαχίζω, quod est muliebriter garrire, hinc per synalœphen elisa o, dictus est Anticomarita, qui rusticana garrulitate cunctis obstrepit. F. Sed illo melius quidẽ dixit Eumenius. At mihi uidetur ex tot dictionibus conflata uox quot habet syllabas. Nam ἀρ sonat, ἄνους; τι, τίλλω: ρ: κω, κώδια: μα, μάλαξυ, ρυπαρὸν: perperam enim scribitur per ι. τα, τάλας, Ex his conficitur, amens ac miser uellens pilos putrium tergorum. A. Tali opificio cibus congruit beta natatilis, de qua modo dixit Bertulphus. E. Nimirum anticomarita anticomaritæ. GADIT. Sedulo quidem dixistis omnes, at mihi uidetur uxor uiro male morigera, dici anticomarita, per syncopen, antidicomarita, quòd semper aduersetur marito. ALB. Si recipimus tales tropos, facile ex fo-

ria fient fira, & cuniculus fiet cuculus. BER. Atqui

Albinus

Albinus qui consul est in hoc senatu, nõdum dixit quid ipse censeat. AL. Ex me quidẽ quod adferã nõ habeo, haud tamẽ grauabor in mediũ adferre, quod ab hospite meo nuper didici, homine linguacissimo. Sæpius uariabat in loquẽdo sermonẽ quã luscinia cantionẽ. Is asseuerabat uocẽ esse Chaldaicã, è tribus cõpositã. Apud illos enim, ut aiebat, anti sonat peruersum ac cerebrosum: comar, petrã: ita, sutoriã. BE. Quis unquã petræ tribuit cerebrum? AL. Nihil absurdi, si modo mutes genus. G. Prorsus in hac synodo euenit, qd' uulgo dici solet, quot homines tot sentẽtiæ. Quid igitur actũ est? sentẽtiæ numerari possunt, diuidi nõ possunt, ut pars maior uincat minorẽ. AL. Vincat igitur melior deteriorẽ. G. Atqui ad hoc ipsum opus esset alia synodo. Nã sua cuiq; spons sa uidetur pulcherrima. AL. Isthuc si uerũ esset, minus haberemus adulteriorũ. Sed habeo cõsiliũ expeditũ. Fabis sortiamur ex hoc numero cui iuss sit ut ex omnibus suffragijs probet quod uolet. At isthæc in te cudetur fãba. G. Nũ uera dixi? A. Mihi prima & postrema magis arridet. C. Assentimur omnes ut unus pro omnibus respondeã. A. Age sit igitur hoc inter ea, de quibus dubitare fas nõ est. C. Maxime. A. Si quis dissentiat, quid erit pœnæ? C. Maiusculis scribetur hæreticus in grãmatica. A. Adijciam bonis auibus, quod mihi nõ negligendum uidetur. Id ex medico quodam Syro acceptũ amicis communicabo. B. Quid isthuc? A. Si natatilem betã, galam è quercu, & sutorium atramentum in mortario contuderis, deinde aspersis copri sex uncias, miscueris in malagma, præsentaneum esse remedium aduersus ca-

Digitized by Google

ninam ſcabiem, & porcorum pruriginem. B. Sed heus Albine, qui nobis omnibus de Anticomarita negociũ fa ceſsis, in quo tandẽ autore legitur iſthuc uocabulũ? A. Dicam, ſed in aurẽ, & uni. B. Accipiã, ſed hac lege, ut ego uiciſsim unus uni in aurẽ dicã. A. At repetita he= nas, tandẽ fit chilias. B. Verũ dicis ubi ſemel ex henade reddideris dyadem, iã nõ eſt tibi in manu ſiſtere fluxũ dyadis. A L. Quod pauci norũt, cælari poteſt, q̃d multi nequaquàm, trias autẽ ad multitudinẽ pertinet. B. Pro= be, qui tres ſimul haberet uxores, multas habere dice= retur. Sed q̃ tres haberet pilos in capite, aut dentes in ore, multósne an paucos habere diceretur? A L. Sophi= ſta, admoue aurẽ. B. Quid ego audio? Iſthuc non minus abſurdũ eſt, quàm ſi Græci ciuitatẽ, cui expugnãdæ tot claſſes ducebãt, ſuo nomine nõ poſſent nominare, pro Troia dicẽtes Sutriũ. A. Atqui hic Rabinus eſt nuper è cœlo delapſus, qui niſi præſens numen ſuccurriſſet re= bus humanis, iamdudũ quæreremus, ubi nã eſſent homi nes, ubi pietas, ubi philoſophia, ubi literæ? B. Næ iſte inter Moriæ proceres primas meretur, dignus q̃ poſt= hac uocetur, Archimorita, cum ſuis anticomaritis.

ΑΓΑΜΟΣ ΓΑΜΟΣ, SIVE CONIV= GIVM IMPAR.

PETRONIVS, GABRIEL.

PET. Vnde nobis Gabriel tam tetrica fronte? Num ex antro Trophonij? G A. Imò à nuptijs. P. Nunqnam uidi uultũ minus nuptialẽ. Nã qui nuptijs interfuerũt, totos poſtea ſex dies ſolẽt hilariores amœnioresq; ui= deri, ſenes etiam reiuueneſcere ad annos decem. Quas igitur

igitur tu mihi nuptias narras? Mortis opinor cũ Mar
te? G. Imò iuuenis generosi cũ puella sedecim annos na
ta, in qua nihil desideres siue formam spectes, siue mo-
res, siue genus, siue fortunã. Quid multis? Ioue marito
digna uideri poterat. P E. Hui tam tenerã puellam, tam
uetulo? G A. Reges nõ seneſcũt. P E. Vnde igitur isthæc
tristitia? Fortasse sponso inuides, qui tibi captatã præ-
dam uictor præripuit. G A. Phy, nihil minus. P E. Nũ
tale quid accidit, quale memorant de cõuiuio Lapitha-
rum? G. Nequaquã. P. Quid, an defuit Bacchi liquor?
G. Imò supererat. P. Nõ aderant tibicines? G. Et fidicí-
nes, & lyricines & tubicines, & utricines. P E. Quid
igitur? Non aderat Hymenæus? G A. Frustra tot uoci-
bus ciebatur. P E. Nec Charites? G A. Ne musca quidẽ
charis. Nec pronuba Iuno, nec aurea Venus, nec Iupi-
ter Gamelius. P E. Næ tu mihi nuptias loqueris prorsus
inauspicatas & ἀθέσς, seu potius ἄγαμον γάμον. Aθέσς. i. si-
G A. Magis dicas si uidisses. P E. Non igitur saltatum ne dijs.
est? G A. Imò misere claudicatum. P E. Nullum ergo nu Αγαμ. i. nu-
men prosperius istas hilarabat nuptias? G A. Nullum ptiæ nõ nu-
omnino illic aderat præter unam deam, quæ Græcis di ptiæ.
citur Psora. P E T. Pruriginosas opinor nuptias dicis. Ψώρα, as. i.
G A. Imò rubiginosas & purulentas. P E. Sed quid est scabies. Hic
mi Gabriel, quod hæc cõmemoratio tibi lachrymas etiã deam fingit
excutit? G A. Hæc res Petroni uel silici posit extundere scabici.
lachrymas. P E. Credo, si silex udisset. Sed obsecro te,
quodnam est hoc tantum mali? Ne cæla, nec meum ani-
mũ diutius suspẽdito. G A. Nosti Lampridiũ Eubulum?
P E. Quo nõ alius in hac urbe uir melior aut beatior.

GA. Quid? Eius filiã Iphigeniã? PE. Florẽ huius ætatis nomina sti. GA. Sic est. At scis cui nupserit? PE. Sciã, si dixeris. G. Nupsit Pompilio Bleno. PE. Ei ne Thrasoni, qui neminẽ non solet occidere suis gloriosis fabulis? G. Huic ipsi. PE. At is iam olim celebris est in hac urbe, duabus potissimum rebus, mẽdacijs ac scabie, quæ nondũ suũ habet nomen, quũ ipsa tam multorũ habeat nomina. GA. Superbissima scabies est, quæ nec lepræ, nec elephantiasi, nec lichenibus, nec podagræ, nec mentagræ cedat, si res ueniat in certamen. PE. Ita prædicãt medicorũ filij. GA. Quid ego nunc Petroni depingam puellam tibi non incognitam, quãquam plurimũ gratiæ addidit ornatus natiuo decori, mi Petroni, dixisses deã quampiã esse. Nihil illam non decebat. Interim prodijt nobis beatus ille sponsus, trunco naso, alteram trahens tibiam, sed minus feliciter quàm solent Suiseri: manibus scabris, halitu graui, oculis languidis, capite obuincto, sanies & è naribus & ex auribus fluebat. Alij digitos habent anulatos, ille etiam in fœmore gestat anulos. PE. Quid parentibus accidit ut talẽ filiã tali portento committerent? GA. Nescio, nisi quod hodie plerisq; uidetur ademptã mens. PE. Fortasse prædiues est. GA. Est affatim, sed ære alieno. PE. Si puella ueneno sustulisset ambos auos & auias, quod grauius supplicium de illa sumi poterat? GA. Si minxisset in patrios cineres, satis pœnarum datura fuerat, tali monstro uel osculum dare coacta. PE. Accedo. GA. Mihi sanè factum hoc crudelius esse uidetur, quàm si illam nudam obiecissent ursis, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut feræ peperciſſent tam

Minxisset in patrios cin. Vide Chilia des.

Digitized by Google

tam insigni formæ, aut subita mors finißet cruciatũ. P. Vera prædicas. Mihi planè uidetur hoc factũ Mœzentio dignũ, qui mortua, ut inquit Maro, iungebat corpora uiuis, Componẽs manibusq; manus, atq; oribus ora. Quãquàm nec Mœzentius, ni fallor, tam immanis erat, ut tam amabilem puellam cadaueri iungeret: nec ullũ cadauer est, cui nõ iungi malis quàm tam putido cadaueri. Siquidẽ hoc ipso quod spirat, merũ est uenenũ, quod loquitur pestis est, quod cõtingit mors est. G. Iam tu mihi cogita Petroni, quid uoluptatis habitura sint illa suauia, illi cõplexus, illi nocturni lusus, ac blanditiæ? P. Theologos nõnunquã audiui loquentes de impari coniugio. Isthuc demũ optimo [illegible] dici potest impar coniugium, quasi gemmam inseras plumbo. Sed interim demiror teneræ uirginis audaciã. Solent enim tales puellæ ad muris aut laruæ conspectum tantum nõ exanimari. An hæc audebit tale cadauer amplecti noctu? G. Habet puella quod excuset, autoritatem parentum, importunitatem amicorum, ætatis simplicitatem: ego parentũ uesaniam satis mirari nõ possum. Quis enim filiam habet tam infelici forma, quã collocare uelit homini leproso? P. Nullus opinor, si modo uel unciolã habeat sanæ mentis. Mihi si lusca esset eademq; clauda, nec minus deformis quàm fuit Thersites Homericus, postremo indotata, recusarẽ istiusmodi generũ. G. At hæc lues est omni lepra tum tetrior, tum nocentior. Nam citius serpit, & subinde recurrit, ac frequenter occidit, quũ nõnunquàm lepra sinat hominẽ ad extremã usq; senectutem uiuere. P. Fortasse latebat parentes sponsi morbus. G. Imò pul

Digitized by Google

chre nouerant. P E. Si tam male uolebant filiæ, quin potius insutã culleo, proiecerunt in Scaldam. G A. Profecto leuior fuisset insania. P E. Quæ dos cõmẽdabat illis sponsum? Præcellit arte quapiã? G A. Permultis. Strenuus est aleator, potator inuictus, scortator improbus: nugandi, mẽtiendiq; artifex maximus, prædator nõ segnis, decoctor eximus, cõmessator perditus. Quid multis? quum scholæ non profiteantur nisi septem artes liberales, hic habet plus quàm decẽ illiberales. P. Aliquid tamen fuerit oportet, quod illum cõmendarit parentibus. G A. Nihil aliud quàm glorioſum equitis nomen. P E. Qualis eques, cui per scabiem uix in sella sedere licet? Sed fortaßis habet luculentas possesiones. G A. Habuit mediocres, sed ex proteruia, quã fecit, nihil supest præter unã turriculam, unde excurrere solet ad prædã, eamq; tam belle instructã, ut nolis illic porcos tuos ali. Sed interim nunquàm non habet arces in ore & feuda, aliaq; magnifica nomina, nusquã non affigit sua insignia. P E. Clypeus quod habet symbolum? G A. Tres elephantos aureos, in spacio phœniceo. P E. Scilicet. Elephas elephanti congruit. Oportet autem homunem esse sanguinarium. G A. Imò uinariũ. Nam rubro uino mirum in modum delectatur, sic tibi sanguinolẽtus est. P E. Ad hauriendũ igitur utilis est illi proboscis. G A. Maximè. P E. Itaq; insignia declarant magnum ac stolidũ nebuloně, uini gurgitẽ. Neq; enim ille color sanguinis est, sed meri, & aureus elephas indicat, quicquid auri nactus est, uino absumi. G A. Sic est. P. Quid igitur dotis hic Thraso conferet ad sponsam? G A. Quid? maximam.

maximã. P E. Qui maximam, decoctor? G A. Sine me loqui, maximã, inquã, peßimamq; ſcabiem. P E. Emoriar, ni malim filiã meã equo nuptã, quàm tali equiti. G. At ego uel monacho nuptã malim. Imò hoc nõ eſt homini nubere, ſed hominis cadaueri. Hoc ſpectaculum ſi uidiſſes, dic mihi, tenuiſſes ne lachrymas? P. Qui potuiſſem, qui uix iſta ſine lachrymis audio? Adeo parentes ad omnẽ naturalis pietatis affectũ obſurduiſſe, ut filiã unicam, puellam, tali forma, tali indole, tam amabilibus moribus, tali monſtro in ſeruitutẽ traderent, propter mendacẽ clypeũ? G. Atqui facinus hoc quo nihil inuenias, nec immanius, nec crudelius, nec magis impiũ, hodie magnatũ etiã ludus eſt, quũ expediat eos qui Reipublicæ tractandæ naſcuntur, eſſe quàm proſperrima ualetudine. Corporis enim habitus animi uim afficit. Certe hic morbus quicquid eſt homini cerebri ſolet exhaurire. Ita fit ut Reip. præſideant, qui nec animo bene ualeãt, nec corpore. P E. Non ſolũ integræ mẽtis ac proſperæ ualetudine cõuenit eſſe qui Reipub. gubernaculis aſſident, uerũ etiã forma dignitateq; corporis præcellẽtes. Quanquã enim prima principũ cõmendatio ſint ſapiẽtia & integritas, tamen nonnihil refert, qua ſpecie corporis ſit qui cæteris imperat. Nam ſi ſæuus eſt, multum inuidiæ addit corporis deformitas. Sin probus & pius, Gratior eſt pulchro ueniens è corpore uirtus. G A. Recte. P E. Nonne deplorant earum infelicitatem, quarum coniuges poſt peractas nuptias in lepram aut morbum incidunt comitialem? G A. Merito ſanè. P E. Quæ igitur dementia eſt, ultro filiam plus quàm leproſo

tradere? G. Plus quàm dementia eſt. P E. Si ſatrapas pa ret tollere catulos, quæſo num ad generoſam fœminam admittet ſcabioſum & ignauum canẽ? P E. Imò magna cura diſpiceret, ut undiquaq; generoſum adiungeret, ne naſcantur hybridæ. G A. Et ſi dux augere uelit equita tum, num ad eximiã equã admitteret morbidũ aut dege nerem? P E. Ne in cõmune quidẽ ſtabulũ reciperet mor bidũ, ne quà ſerpat malũ ad alios. G A. Nec interim re ferre putant quẽ admittant ad filiã, & unde naſcantur liberi, nõ tantum in hæreditatẽ omnium facultatũ ſucceſ ſuri, uerũ etiã rempublicã moderaturi? P E. Ne ruſticus quidẽ quẽuis taurum admittit ad iuuencam, nec quẽuis equum iungit equæ, nec quẽuis porcum ſcrophæ, quum taurus gignatur aratro, equus rhedæ, porcus culinæ. G A. Vide quàm peruerſa ſint hominũ iudicia. Si quis plebeius patriciæ puellæ oſculũ obtrudat, iniuriã putãt bello uindicãdam. P E. Acerrimo. G A. Et ipſi uolentes, ſcientes, prudentes, id quo nihil habent charius, dedunt abominando portento, & priuatim impij, in ſuam gen tem, & publice, in ciuitatem. P E. Si ſponſus ſubclaudi cat, alioqui ſanus, quàm abhorretur à cõiugio? Hoc tan tum malum non imputatur in ſponſalibus. G A. Si quis filiam elocauit Franciſcano, quanta abominatio, quanta deploratio male collocatæ uirginis? At illa ueſte detra cta uirum habet membris ualidis. Iſta totam ætatem tranſigit cum ſemiuiuo cadauere. Si qua nubit ſacerdo ti, ludunt inunctum, at hæc peius uncto nupſit. P E. Vix hoc faciunt hoſtes puellis bello captis: uix piratæ fa ciunt ſcelere abductis, & hoc faciũt parẽtes unicæ filiæ,

nec illis

nec illis datur à magistratu curator? G. Quomodo medicus succurret phrenetico, si ipsum habeat phrenesis? P. Atqui mirum est à principibus, quorum munus est prospicere reip. duntaxat in his, quæ ad corpus pertinent, quum in hoc genere nihil prius ac potius sit bona ualetudine, hic nullum excogitari remedium. Tanta pestis bonam orbis partem occupauit, & illi interim sterutunt, quasi nihil ad rẽ pertineat. G. De principibus Petroni, religiose loquendum est. Sed admoue aurem, insusurrabo tria uerba. P. O miseriam, utinam falsa prædicares. G. Quot morborũ genera nasci putas ex uinis corruptis ac mille modis infectis? P. Innumera, si qua medicis fides. G. Num hic uigilant ædiles? P. Plane uigilant in exigendis uectigalibus. G. Quæ sciens nubit morbido, fortasse digna est suo malo, quod asciuit ipsa sibi, quãquàm si principatum gererem, utrunq; semouerem ab urbano commercio. Cæterum si qua nupsisset huic obnoxio lui, quisse sanum mẽtitus esset, si quis mihi summum pontificium deleget, dirimerem hoc coniugium, etiamsi sexcentis tabulis sp̃osalibus contractum esset. P. Quo colore? Nam coniugium rite contractum, ab homine non potest dirimi. G A. Quid? tibi uidetur rite contractum quod dolo malo contractum est? Non ualet cõtractus, si Puella decepta seruo nupsit, quem putabat liberum. Hic cui nupsit seruus est miserrimæ dominæ Psoræ, atque hoc infelicior est seruitus, quod illa neminem manumittit, ut seruitutis miseriam aliqua libertatis spes consolari possit. P E. Sanè colorem reperisti. G A. Ad hæc, Non est coniugium, nisi inter uiuos. Hic mortuo

Digitized by Google

nubitur. P. Repertus est alter color. Sed fineres opinor,

i. Simile ad similе. scabiosas scabiosis nubere, iuxta uetus illud adagium, ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. G. Si hoc mihi liceret, qd' expediret reip. finerē quidē iungi, sed iunctos exurerē. P. Tū tu quidē Phalaridem ageres, non principem. G. An tibi Phalaris uidetur, medicus, qui secat digitos aliquot, aut inurit corporis partem, ne totū pereat? P. Mihi non uidetur ista crudelitas, sed misericordia. Quod utinā initio nascētis mali fuisset factū. Tū enim paucorū exitio, totius orbis saluti cōsuli poterat. G. Et huius facti reperimus exemplū in Gallorū annalibus. P. At mitius erat illos castrari, ac summoueri. G. Fœmunis porrò quid faceres? P. Adderē fibulas. G. Ita quidem prospectum esset ne ex malis coruis nascantur mala oua, sed fatebor hoc esse mitius, si tu fatearis illud esse tutius. Nam pruriunt & execti, nec uno modo transilit malum, sed osculo, sed colloquio, sed cōtactu, sed cōpotatiūcula serpit ad alios. Et uidemus huic malo fatalē quandam maliciam adiunctā. Vt quisquis eo tenetur, uel nullo suo commodo, gaudeat quam plurimis suā affricare scabiem. Iam submoti possunt fugere, possunt uel noctu, uel ignotis imponere: à mortuis uero nihil est periculi. P. E. Tutius fateor, sed haud scio an cōueniat Christianæ mansuetudini. G. Dic age mihi unde plus periculi, à simplicibus furibus an ab istis? P. Fateor pecuniam multo uiliorem bona ualetudine. G. Et tamē hos Christiani suffigimus in crucem, nec appellatur crudelitas, sed iustitia, & si rempub. spectes, pietas est. P. Verum ibi plectitur qui damnum dedit. G. Hi scilicet lucrum adferunt. Sed demus hoc malū multis

nulla

Digitized by Google

nulla ſua culpa contractũ, quum tamen paucos reperias, quibus eã luem non conciliarit nequitia: iurecõſulti do cẽt interdum innoxios recte occidi, ſi id magnopere interſit reipub. Quemadmodũ Græci poſt euerſam Troiam occiderunt Aſtyanactam Hectoris filiũ, ne per illũ bellũ inſtauraretur. Nec putant impium poſt extinctum tyrannũ, & liberos innoxios trucidari. Quid quod nũ quã non bellamus Chriſtiani, neq; tamẽ neſcimus in bellis maximã malorum partem ad eos redire qui nihil cõ meruerunt? Idem uſu uenit in repreſalibus, quæ uocant. Qui læſit in tuto eſt, & ſpoliatur negociator, qui ne fãctũ quidem audiuit, tantũ abeſt ut in culpa fuerit. Quod ſi talibus remedijs utimur in rebus non ita magni momẽti, quid cẽſes faciendũ in re omnium atrociſſima? P. Vincor ueris. G. Tum illud mihi perpende. Apud Italos ut primum ſcintillare cœpit peſtilentia, occluduntur ædes, qui laboranti inſeruiunt, ſubmouẽtur à publico. Hoc qui dã appellant inhumanitatem, quum ſumma ſit humanitas. Siquidem hac uigilantia fit, ut paucis funeribus ſopiatur malũ. At quanta eſt humanitas tot millium uitæ conſuli? Sunt qui parũ hoſpitale putant quod Itali in rumore peſtilentiæ tẽpore ueſpertino hoſpitem portis ſub mouent, coguntq; ſub dio noctem agere, at pictas eſt, paucorũ incommodo, maximo reipublicæ bono proſpicere. Quidã ſibi ualde fortes uidẽtur & officioſi, quod auſint ad quẽuis peſtilentia laborantẽ accedere, etiam ſi nihil illic habeant negocij. At dũ reuerſi domum, inficiunt uxores, liberos, ac totã familiam, quid ea fortitudine ſtultius, qd officio inofficioſius, ut ſalues alienũ, tibi charißimos

charißimos in præſens uitæ diſcrimẽ adducere? Hic tã-
men quãto minus eſt periculi à peſtilẽtia, quàm ab hac
ſcabie. Rarius afflat propinquos, nec ferè ſenes attingit,
& quos attigit, aut cito liberat aut reſtituit ſanitati,
puriores etiã quàm antea fuerãt. Hæc quid aliud quàm
perpetua mors eſt, uel ut uerius dicam, ſepultura? Obuol
uuntur linteis & unguentis more cadauerum. P. Veriſ
ſime narras. Saltem idem curæ dandũ erat huic tam exi
tiali malo, quod detur leproſis. Aut ſi hoc quoq; nimũ
eſt, nemo barbæ ſyluã patiatur ſibi demeti, ut ſibi quiſ-
que tonſorem præſtet. G. Quid ſi uterque claudat os?
P E. Afflant naribus malum. G. Eſt & iſti malo reme-
dium. P E. Quodnam? G. Vt quod ſolent Alcumici, ad-
dunt perſonam quæ per uitreas feneſtellas præbeat lu-
men oculis, ori naribuſq; reſpirationem cornu à perſo-
na per axillas in tergo porrecto. P. Belle, ſi nihil metuẽ
dum eſt à contactu digitorum, linteorum, pectinis, et for
picis. G. Optimum igitur barbam uſque ad genua demit
tere. P. Ita uidetur. Deinde fiat edictum ne quis idem ſit
tonſor & chirurgus. G. Ad famem relegas tonſores. P.
Minuant ſumptus & aliquanto pluris radant. G. Eſto.
P E. Tum feratur lex, ne quis cũ alio poculum habeat
commune. G. Iſtam uix recipiat Anglia. P E. Neue duo
miſceantur eodem lecto, præter uxorem et maritum. G.
Placet. P E. Ad hæc in diuerſorijs ne quis hoſpes indor
miat linteis, in quibus alius indormijt. G. Quid facies
Germanis, qui uix lauant bis in anno? P E. Extimulent
lotrices, præterea tollatur mos quamuis uetuſtus ſalutan
di oſculo. G. Etiam ne in templis? P E. Tabellæ ſuam
quiſq;

quisq; opponat manum. G. Quid de colloquio? P. Videtur illud Homericum, ἀγχὶ χὼρ κεφαλὴμ, et uiciſsim quis auſcultat, comprimat labra. G. Vix iſtis legibus ſufficerint duodecim tabulæ. P. Sed quid conſulas interim infelici puellæ? G. Quid? niſi ut libenter ſit miſera, quo ſit minus miſera, & ſuauio coniugis opponat manum, tum armata cum illo dormiat. P. Quò nam hinc propras? G. Rectà in muſeum. P. Quid facturus? G A. Pro Epithalamio, quod poſtulant, ſcripturus Epitaphium.

Id eſt, propè tenēs caput. Odyſ. α.

IMPOSTVRA.

LIVINVS, PHILIPPVS.

PHI. Salue Liuine. LI. Saluebo, ſi uis ita, ſed à me tibi caue. Nam eſt animus imponere tibi niſi caues. PH. Non eſt admodum metuendus hoſtis qui periculum denunciat. Sed age falle ſi potes. LI. Ecce, iam feſelli, nec ſentis adhuc. Iterum caue. P. Cum præſtigiarum opinor artifice mihi res eſt. Nihil enim ſentio impoſturæ. LI. Rurſus aduerte mentem tuam ni uelis decipi, ſicut falſiloquis non ſemel. PH. Hic ſum, incipe. LI. Iam dudum mihi quod iubes peractum eſt. PHI. Quid actum, aut quid peractum? Nihil ſentio doli. LI. Iam toties admonitus, ſaltem adhibe attentum animum. PH. Nouum præſtigiarum genus. Ludor ut ais, neq; quicquã artis ſentio, quum obſeruem & oculos & manus & linguam tuã. Sed age rurſus incipe. LI. Iterum atq; iterum incipio, atq; adeo toties facio, neq; tu aſſequeris laqueos. PH. Qua re mihi laqueos tendis? LI. Hæc tibi inquam lingua dolos parat, nec auribus ſentis, nec oculis uides. Nunc ſaltem habe attentos oculos & aures. PH. Non poſſum

poßum magis, etiam ſi de capite ageretur. Sed fallerur-
ſum. L I. Iterum ecce fefelli, neq; deprehendis artẽ. P H.
Enecas. Quæſo dic quodnam eſt hoc præſtigiarum ge-
nus? L. Hactenus ſum tibi loquutus carmine, atq; adhuc
loquor. P H. Nihil minus ſenſi quàm iſthuc. L I. Primũ
tibi reſpondi duobus trimetris iambicis: Deinde trochai
co tetrametro catalectico. Mox meris creticis ſum lo-
quutus. Poſt hæc Phalecio hendecaſyllabo. Deinde me-
ris choriambis. Adhæc meris anapeſtis. Rurſum tribus
ſapphicis. Mox ſotadico: poſtremo trochaico tetrame-
tro. P. Deum immortalẽ, quiduis ſuſpicabar potius quàm
iſtud. Si uixero aliquando uicẽ reponã. L I. Huc ſi quid
potes. P H. Ecce bis par pari retuli, nec dolũ percipis.
L I. Hui tam cito? P H. Minatus ſum tibi iambico tetra
metro catalectico, mox addidi creticos quinq;. L. Pror-
ſus accidit ut uideo, quod dici ſolet, Cretenſis incidit in
Cretenſem. P H. Sic eſt, ſed illud precor utriq; noſtrũ,
ne nobis unquam occurrat impoſtura nocentior.

CYCLOPS, SIVE EVAN-
GELIOPHORVS.
POLYPHEMVS, CANNIVS.

CANNI. Quid hic uenatur Polyphemus? POL.
Quid uenor rogas ſine canibus & uenabulo? CAN.
Fortè nympham aliquam hamadryadem. POL. Pul-
chre diuinaſti. En tibi rete uenatorium. CAN. Quid
ego uideo? Bacchum in exuuio leonis, Polyphemum cũ
i. Muſtelæ tra codice? γαλῆ κερκωτόρ. POL. Non croco tantum pin
ma. xi libellum, ſed etiam minio laſurioq;. CANNI. Nõ
loquor de croco, ſed Græce dixi quiddam. Militaris ui-
detur,

detur, nam nodis, laminis & circulis æreis armatus est. P O. Introspice. C A. Video. Sanè perquàm bellus est, sed nondum ornasti satis. P O. Quid deest? C A N. Ad dere debebas tua insignia. P O. Quæ? C A. Sileni caput è dolio prospiciens. Sed quid tractat? artem potaticam? P O L. Vide ne quam imprudens effutias blasphemiam. C A N. Quid igitur, est ne sacri quippiam? P O. Est, quo nihil sacratius, Euangelium. C A. Ἡράκλεις. Quid Polyphemo cũ Euangelio? P O L. Quin ita rogas, quid Christiano cum Christo? C A N. Nescio, nisi quod te talem magis decet Halberdacha. Nam si quis mihi ista specie ignotus occurreret in mari, piratam esse crederẽ: si in nemore, sicarium. P O L. Atqui hoc ipsum nos do cet Euangelium, ne quem iudicemus iuxta faciem. Quẽ admodum enim sæpenumero sub tunica cinericia latet animus tyrannicus, itu nonnunquam attonsum caput, circũtorta barba, torua supercilia, truces oculi, uertex plumam uentilans, sagum militare, caligæ intersectæ, te gunt Euangelicum animum. C A N. Quid ni? nonnun quam & sub pelle lupina latet ouis, & si qua fides apo logis, sub exuuio leonis latet asinus. P O. Imò ego noui qui ouem gestat in uertice, uulpem in pectore, cui libens optarim, ut quàm habet nigros oculos, tã habeat candi dos amicos, tãq; probe inauretur, quã colorẽ habet in auraturæ cõgruũ: Deniq; quàm prolixũ habet nasum, tã habeat prolixã benignitatẽ. C. Si ouẽ gestat in uertice, qui pileũ gestat oullũ, quàm tu incedis onustus, quũ ouẽ simul & struthiocamelũ gestas in capite? Tũ an nõ ab surdius facit, q̃ auẽ portat in capite, asinũ in pectore? P.

Sileni bacch

ἡράκλεις, i. Hercules, ad mirãdi uox.

Mordes.

Digitized by Google

Mordes. C. Sed belle res habuerit, si quàm tu decorasti uarijs ornamẽtis Euangelium, tam te uicißim exornet. Ornasti coloribus, utinam exornet te bonis moribus. P. Curabitur. C. Vt soles. P. Sed omißis cõuicijs. Itáne dãnas eos qui circumferunt coducem Euangelicũ? C. Minime gentium. P. Quid? an tibi uideor minimus gentiũ, uel asinino capite te procerior? C. Non arbitror tanto, si asinus arrigat auriculas. P. Certe bubalino. C. Placet collatio, sed ego minimè dixi, non minime. P. Quid interest inter ouum & ouum? C. Quid interest inter medium digitum & infimum? P. Medius est longior. C. Scite, quid interest inter asininas auriculas & lupinas? P. Lupinæ sunt breuiores. C. Rem tenes. P O. At ego lõga breuiaq; palmo & ulna metiri soleo, nõ auribus. C. Age, qui Christum gestauit dictus est Christophorus, tu qui Euangelium portas, pro Polyphemo dicendus es Euangeliophorus. P. An sanctum nõ putas portare Euãgelium? C. Non, nisi tu fatearis esse sanctißimos asinos. P. Qui sic? C. Quia unus sufficit gestandis tribus istiusmodi codicum milibus, nec te crediderim futurum imparẽ oneri, si probe sis clitellatus. P. Nihil absurdi sic asino tribuere sanctimoniam, quia gestauit Christum. C. Istam sanctimoniam tibi non inuideo. Et si uis donabo tibi reliquias illius asini cui Christus insedit, ut exosculeris? P. Dabis munus gratißimum. Nam asinus ille contactu corporis Christi cõsecratus est. C. Sanè Christiũ contigerũt & qui illi impegerunt alapas. P O. Sed age dic serio, nonne pium est circumferre codicem Euangelicum? C. Pium, si absit hypocrisis, si uere id fiat. P O.

Christophorus.

Euangeliophorus.

Abeat

Abeat hypocrisis ad monachos, quid militi cũ hypocrisi? C. At primũ expedi mihi quid sit hypocrisis. P. Quum aliud præ te fers, quàm lateat in animo. C. Sed quid. quid præfert circumlatus Euãgelij codex? Nonne uitã euãgelicã? P. Opinor. C. Ergo ubi uita nõ respõdet codici, nonne hypocrisis est? P. Vidctur. Sed quid est uere codicẽ Euangelicũ circumferre? C. Quidam circumferunt manibus, quemadmodum Frãciscani Franciscani regulam, idem possunt & baiuli Lutetiani, & asini, & cantherij. Sunt qui circũferant ore, nihil crepantes nisi Christum & Euangelium, hoc est pharisaicũ. Quidã circumferunt animo. Proinde uere circumfert, qui & manibus, & ore, & corde portat Euangeliũ. P O. Vbi sunt isti? C A. In templis diaconi, qui portant codicem, pronunciant populo, & tenent corde. P O. Tametsi non omnes sancti sunt, qui animo gestant Euangelium. C A. Ne mihi sophistam agas. ~~Non gestat animo, nisi qui mobilitus amat.~~ Nemo penitus amat, nisi qui moribus exprimit Euangelium. P O. Istas subtilitates non assequor. C A. At dicam craßiore Minerua: Si lagenã uini Belnẽsis gestes humeris, qd aliud est quàm onus? P O. Nihil aliud. C. Si teneas faucibus, ac mox expuas? P O. Haud profuerit, quãquã id quidem non soleo. C. Sin ut soles, affatim haurias? P O. Nihil diuinius. C A. Concalescit omne corpus, rubescit facies, hilarescit frons. P O. Prorsus. C. Tale quiddã est Euangelium in animi uenas demissum, Innouat totum hominis habitũ. P O. Videor igitur tibi parũ Euãgelice uiuere? C. Istã quæstionẽ nemo te dissoluerit rectius. P O. Si bipenni

Hypocrisis

Circumferre euãgelia qd.

res agatur. C. Si quis in os te uocet mẽdacẽ aut ganeonẽ, quid facias? P O. Quid faciã? ~~sentiret pugnos meos.~~ C. Quid si quis tibi impingat colaphũ? P. Amputarẽ illi collũ pro colapho. C A. Atqui codex tuus docet, ut pro cõuicio referas benignum sermonẽ, & ferienti maxillã dextrã, porrigas & sinistrã. P. Legi, sed exciderat. C.

Oratio frequens.

Oras opinor frequenter. P O. Isthuc est Phariſaicũ. C. Phariſaicum est prolixe precari, sed fucate. At tuus codex docet, semper orandũ, sed ex animo. P. Attamẽ oro nõnunquàm. C. Quando? P O. Quũ uenit in mentẽ, semel aut bis in hebdomade. C. Quid tum oras? P. Precationẽ dominicã. C. Quoties? P. Semel. Nam uetat Euangeliũ Battologiam, eadẽ iterantẽ. C. Potes attentius absoluere precationẽ dominicã? P. Nunquam id tentatum est. An nõ satis quod uoce pronũcio? C A. Neſcio, niſi

Ieiunium & preces.

quod deus nõ audit niſi cordis uocẽ. Crebro ieiunas? P. Nũquàm. C. At tuus codex probat precationẽ & ieiunium. P. Probarẽ & ego niſi aliud flagitaret uenter. C. At Paulus negat eos ſeruire Ieſu Chriſto, qui uẽtri ſeruũt. Veſceris carnibus quouis die? P. Quũ dantur. C.

Carniũ eſus.

Atqui iſta gladiatoria laterũ firmitas uel fœno arborumq; corticibus poterat ali. P. Sed Chriſtus dixit, nõ inquinari hominẽ his quæ intrãt in os. C. Ita, ſi modice, ſi præter offendiculũ. At Paulus Chriſti diſcipulus mauult fame mori, quàm fratrẽ infirmum offendere ſuo cibo, nosq; ad ſuũ hortatur exemplum, ut omnibus per omnia placeamus. P. Paulus eſt Paulus, ego ſum ego. C. At Aegonis eſt capras paſcere. P. Malim eſſe. C A. Pulchre tibi precaris, caper citius fies, quàm capra. P O.

Eſſẽ

Esse dixi pro edere. C. Elegãter. Libẽter succurris pau peribus? P. Nõ est quod dem. C. At esset si sobrie uiue= res, si gnauiter laborares. P O. Dulce est ocium. C. Ser= uas præcepta dei? P O. Graue est. C. Agis admissorum pœnitentiã? P O. Christus pro nobis dependit. C. Vnde agitur declaras te amare Euangelium? P O. Dicã. Frã= ciscanus quidã apud nos nõ desinebat è suggestu debla tare in Nouũ testamentum Erasmi, conueni hominem priuatim, læuam inieci capillis, dextra pugilem egi, sug gillaui illũ magnifice, totamq; faciẽ tuber reddidi. Quid ais? Nõ est hoc fauere Euãgelio? Deinde absolui illum à cõmissis, hoc ipso codice ter in uerticẽ impacto, fecíq; tria tubera, in nomine patris, & filij, & spiritus san= cti. C A. Satis quidem Euangelice. Isthuc nimirum est Euangelium Euangelio defendere. P O. Occurrit alter eiusdem sodalitij, qui nullum neq; modum, neq; finem faciebat debacchandi in Erasmum. Accensus Euange= lico zelo, minis hominem adegi, ut utroq; genu flexo rogaret ueniam, fateretur q; se quæ dixerat, instiganᵉ te diabolo dixisse: ni fecisset, iam halbardacha erat in ceruicem uibrata. Vultus erat qualis esse solet Martis irati. Hoc gestum est coram aliquot testibus. C A. Mi= ror hominẽ non fuisse protinus exanimatũ. Sed ut per= gamus, Viuis caste? P. Id fortasse fiet ubi senuero. Sed uis tibi uerum fatear Canni? C A. Non sum sacerdos, si confiteri libet alíũ quære. P O. Deo soleo confiteri, sed tibi fateor me nondum esse perfectum Euangelicum, sed unum è populo. Habemus quatuor Euangelia: Nos Euangelici quatuor res potissimum uenamur, ut uen=

Pœnitentia.

Strenuus cuã gelij defen= sor.

Castitas.

Euangelico= rum uita.

Digitized by Google

tri bene sit, ne quid desit ijs quæ sub uentre sunt, tum ut sit unde uiuamus, postremo ut liceat quod lubet agere. Hæc si suppetãt, inter pocula clamamus, io triumphe, io pæan, uiuit Euangelium, regnat Christus. C A. *Ista quidẽ Epicurea uita est, nõ Euangelica.* P O. *Haud inficior. Sed scis Christum omnipotentẽ esse, potest repente uertere nos in alios homines.* C A. *Potest & in sues, quod quidẽ procluuius arbitror, quàm in bonos uiros.* P. *Vtinã nõ essent peiores in mundo subus, bubus, asinis & camelis. Multos uideas leonibus truculentiores, lupis rapaciores, passeribus salaciores, canibus mordaciores, uiperis nocẽtiores.* C A. *At iam tempus est ut ex animãte bruto in hominẽ incipias uerti.* P. *Recte mones. Nã horũ temporũ prophetæ dicunt instare supremũ mundi diẽ.* C A. *Tanto magis properandũ.* P. *Expecto Christi manũ.* C. *Vide ut tu manui cereã præbeas materiam. Sed unde colligunt, in propinquo esse mundi finẽ?* P O. *Quoniã inquiunt, idem nũc faciunt homines quod faciebant imminẽte diluuio, epulantur, potant, cõmessantur, ducunt, nubunt, scortantur, emunt, uendunt, fœnerant & fœnerantur, ædificant, reges belligerãtur, sacerdotes student augẽdis censibus, Theologi nectunt syllogismos, monachi per orbẽ cursitant, populus tumultuatur, Erasmus scribit Colloquia: Deniq; nihil malorũ abest, fames, sitis, latrocinia, bellũ, pestilẽtia, seditio, rerum bonarũ inopia. An nõ hæc arguũt adesse finẽ rerũ humanarũ?* C. *Ex hoc malorũ aceruo, quod tibi est molestissimũ?* P. *Diuina.* C A. *Quod crumenam tuã obsidẽt araneæ.* P O. *Dispeream nisi rem acu tetigisti. Nũc ue-*

nio recens

Digitized by Google

nio recens à cõpotatione : aliàs sobrius tecũ disputabo si uoles de Euãgelio. CA. Quãdo te uidebo sobriũ. P. Quũ fuero. C. Quando eris? P. Quum uideris. Interim mi Canni sis felix. CA. Tibi uicißim opto ut sis quod diceris. PO. Ne me uincas officio, precor ne Cannium unquã destituat, unde cognomen sortitus est.

ΑΠΡΟΣΔΙΟΝΥΣΑ, SIVE ABSVRDA. ANNIVS ET LEVCIVS.

AN. Audio te interfuisse nuptijs Pancratij & Albinæ. LE. Nunquam antehac infelicius nauigaui, quàm hoc tempore. AN. Quid ais? tantam fuisse hominum frequentiam? LEV. Nec unquam mihi uilior fuit uita quàm id temporis. AN. Vide quid faciãt opes. Ad meas nuptias pauci conuenirent, idq; tenues. LE. Vix fueramus ingreßi pelagus, ortus est ingens turbo. AN. Narras deorum cœtum. Tot ne aderant uiri principes, tot matronæ nobiles? LE. Boreas dissecuit uelum, dissectumq; dißipauit. AN. Desponsam noui. Nihil fingi potest uenustius. LE. Mox fluctus reuulsit clauum. AN. Idem uidetur omnibus. Nec sponsus admodum illi cedit, ut aiunt, formæ gratia. LE. Quid animi cẽses nobis illic fuisse? AN. Sanè rarum nũc est uirgines nubere. LE. Remigandum nobis erat. AN. Dotem uix credibilem narras. LE. Ecce mox aliud malũ. AN. Quur puellam impuberem commiscrunt tam feroci? LE. Apparuit piratarum nauis. AN. Profecto sic est, in multis nequitia supplet ætatẽ. LE. Ibi nobis geminũ fuit bellũ, alterum cũ mari, alterũ cum prædonibus. AN. Hui tantum donariorũ? Interim pauperibus nemo dat festucã.

Digitized by Google

LE. Quid? cederemus? Imò desperatio uitæ addebat animos. A. Vereor ne sint steriles nuptiæ, si uera prædicas. LE. Imò iniecimus harpagones. AN. O rē nouam, ante nuptias grauida? LE. Si spectasses eũ consilium, fatereris me nõ esse fœminã. AN. Vt audio cõiugiũ hoc non solũ ratum est, sed etiã cõsummatum. LE. Insiluimus in nauim piraticam. AN. At demiror te uocatum alienum, me præterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsæ partẽ contingo. LE. Ipsos in mare præcipites dedimus. AN. Vera prædicas, infeliciũ nulli sunt affines. LE. Quicquid erat prædæ inter nos partiti sumus. AN. Expostulabo cum puella primo quoq; tẽpore. LE. Mox exorta est subita trãquillitas, dixisses esse Alcedonia. AN. Si illi res est, mihi est animus. Nihil moror illius beneuolentiam. LE. Ita pro una duas naues in portũ deduximus. AN. Indignetur qui alit. LE. Quò eam rogas? in templum ueli partẽ dicaturus duo Nicolao. AN. Hodie nõ est liberũ mihi. Nã ipse domi conuiuas expecto, aliàs non excusabo.

ΙΠΠΕΥΣ ΑΝΙΠΠΟΣ, SIVE EMENTITA NOBILITAS.

HARPALVS, NESTORIVS.

HAR. Potes me tuo leuare consilio. Senties me hominẽ non immemorẽ, nec ingratum. NA. Dabo expedi tum, ut sis quod esse uelis. HA. At nobis in manu non est, ut nascamur nobiles. NE. Si nõ es, enitere beneficiis, ut à te initiũ capiat nobilitas. HA. Perlongũ est. NE. Exigua summa tibi uendet Cæsar. HA. Vulgò ridetur emptitia nobilitas. NE. Quũ nihil sit magis ridiculum

Digitized by Google

diculum quàm emẽtita nobilitas, quid eſt ut tantopere affectes nomen equitis? H A. Sunt cauſæ, nec leues, quas tibi nõ grauabor indicare, ſi mihi cõmonſtraris rationes, quibus nobilitatis opinionẽ mihi parẽ apud uulgus. N E. Nomen abſq; re? H A. Atqui quũ res abeſt, proximum eſt opinio. Sed age, cõſule Neſtori, ubi cauſas audieris, fateberis operæpretiũ. N E. Quãdo ita uis, dicã. Primum fac procul te abducas à patria. H A. Memini. N E. Ingere te in conuictum iuuenũ uere nobiliũ. H A. Intelligo. NE. Hinc primũ orietur ſuſpicio, te talẽ eſſe, cũ qualibus uictitas. H A. Sic eſt. N E. Vide ne quid habeas plebeium. H A. Quid nam? N E. De cultu loquor. Ne ueſtis ſit lanea, ſed aut ſerica, aut ſi deeſt qui emas, fuſtania, deniq; uel canabea potius quàm pannea. H A. Recte. N E. Vide ne quid ſit integrum, ſed diſſeca pileum, thoracem, caligas, calceos, ungues ſi potes, néue quicquam humile loquaris. Si quis ex Hiſpania ueniat hoſpes, roga quomodo cõueniat Cæſari cũ Pontifice, quid agat affinis tuus comes à Naſſauen, quid cæteri cõgerrones tui. H A. Fiet. N E. Sit anulus in digito cũ gemma ſignatoria. H A. Si quidẽ loculi ferant. N E. At paruo conſtat anulus æreus inauratus cũ gemma factitia. Sed adde clypeum cum inſignibus. H A. Quænam mihi ſuades deligam? N E. Duo mulctra ſi uelis, & canthárum ceruiſiarium. H A. Ludis, age dic ſerio. N E. Nunquã fuiſti in bello? H A. Ne uidi quidem. N E. At interim opinor, decollaſti anſeres & capos ruſticorũ. H A. Perſæpe, & quidem fortiter. N E. Pone machæram argenteam, tria anſerum capita aurea. H A R. In

quo solo? NE. Quo? nisi sanguinolento, monumentum fortiter effusi cruoris. HAR. Quid ni? rubet sanguis anserinus æque atq; humanus. Sed perge obsecro. NE. Hunc igitur clypeum pro foribus omnium diuersorio= rum, in quibus forte uersatus es, affigendum curato. HAR. Quid addetur galeæ? NE. Recte submones. Eam facies ore dissecto. HAR. Quamobrem? NE. Vt spires, deinde ut congruat ueslitui. In uertice quid emi nebit? HAR. Expecto. NE. Caput canis demissis auri= bus. HAR. Vulgatum est. NE. Adde duo cornua: ra= rum hoc est. HAR. Placet. Sed quæ bestiæ sustinebũt clypeum? NE. Ceruos, canes, dracones, gryphes occu= parunt principes, tu ponito duas harpyias. HAR. Optime consulis. NE. Restat cognomen. Hic illud in primis cauendum, ne plebeio more te patiaris uocari, Harpalũ Comensem, sed Harpalum à Como, hoc enim nobilium est, illud sordidorum Theologorum. HAR. Sic memini. NE. Habés ne quicquam cuius te possés appellare dominum? HAR. Ne haram quidẽ. NE. In urbe celebri natus es? HA. In obscuro pago. Non enim fas est ei mentiri unde petas medicinã. NE. Recte est. Sed ei pago nullus est uicinus mons? HA. Est. NE. Et habet alicunde rupem? HAR. Habet præruptam. NE. Ergo sis Harpalus eques ab aurea rupe. HAR. Atqui mos est magnatum, ut suum quisq; symbolũ habeat uo cale, quẽadmodum Maximilianus habebat, tene mensu= ram: Philippus, Qui uolet: Carolus, Vlterius. Item alius aliud. NE. Tu ascribito, omnis iacta sit alea. HA. Næ tu percõmode dicis. N. Iam quo firmior sit hominum

opinio,

Digitized by Google

opinio, fingito literas à magnatibus ad te missas, in quibus idẽtidem appelleris eques clarissimus, magnarumq; rerum fiat mentio, de feudis, de arcibus, de multis florenorum milibus, de præfecturis, de matrimonio opulento. Curabis ut huiusmodi literæ tibi uelut elapsæ, aut per obliuionẽ relictæ, ueniant ad aliorum manus. HA. Istud quidem erit mihi commodum: Nam & literas noui, & hanc facultatem multo usu paraui, ut cuiusuis manum facile effingam. NE. Interdum insue uesti, aut relinque in crumena, ut quibus sartiendi negocium dederis, illic reperiant. Illi non silebunt, & tu simulac resciueris, compones uultum ad iracundiam ac mœstitiam, quasi doleat casus. HAR. Et isthuc iam pridem meditatus sum, ut faciem tam facile mutem, quàm personam. NE. Ita fiet, ut nec fucus suboleat, & res cũ fide spargatur. HAR. Curabitur sedulo. N. Deinde sodales aliquot adsciscẽdi sunt, aut etiam famuli, qui tibi cedant loco, & apud omnes mi Ioncherum appellent. Nec est quod hic sumptum metuas. Sunt plurimi iuuenes, qui uel gratis cupiãt hanc agere fabulam. Adde huc, quod hæc regio scatet iuuenibus eruditulis, qui mira tenentur scribendi libidine, ne dicã scabie. Nec desunt famelici quidam typographi, nihil non audentes, si spes quæstus affulserit. Ex his aliquot suborna, qui in libellis suis te prædicent patriæ procerẽ, idq; subinde repetatur literis maiusculis. Hac uia uel in Bohemia celebrabũt procerem patriæ. Et citius enim et latius discurrũt libelli quàm uoces, aut quãlibet loquaces famuli. H. Nec ista displicet ratio. At famuli sunt alendi. N. Sunt, at non ales famu-

Digitized by Google

Ἀχεῖρας, i. sine manibus. los ἀχείρους, & ob id ἄχειρον. Mittantur huc & illuc, inuenient aliquid. Scis uarias esse talium rerum occasiones. H A. Desine. Teneo rem. N E. Supersunt artes. H A. Aueo scire. N E. Ni sis bonus aleator, probus chartarius, scortator improbus, potator strēnuus, profusor audax, decoctor, & conflator æris alieni, deinde scabie ornatus Gallica, uix quisquam te credet equitem. H. In istis quidem iam pridem exercitatus sum. Sed unde sumptus? N E. Mane, isthuc ibam. Est tibi patrimonium? H. Perpusillum. N. Postquam apud multos confirmata fuerit nobilitatis opinio, facile reperies fatuos qui tibi credant, quosdam etiam pudebit negare, quidā metuent. Iam ut ludas creditores, mille sunt artes. H. Earū quidem rudis non sum. Sed tandem urgebūt, ubi perspexerint nihil esse nisi uerba. N. Imò nulla est commodior ad regnum uia, quàm debere quāplurimis. H. Qui sic? N. Primum creditor obseruat te non aliter, quàm obligatus magno beneficio, ueretur q; ne quam præbeat ansam amittendæ pecuniæ. Seruos nemo magis habet obnoxios, quàm debitor suos creditores, quibus si quid aliquando reddas, gratius est quàm si dono dones. H. Animaduerti. N E. Illud tamen caueto, ne cum tenuibus habeas commercium. Nam hi ob paruulam summulam ingētes excitant tragœdias. Placabiliores sunt, quibus lautior est fortuna, cohibet illos pudor, lactat spes, deterret metus, norunt quid possint equites. Postremo cum inūdauerit æris alieni magnitudo, fictis causis aliò demigra, atq; inde rursus aliò. Nec est quod huius rei te pudeat. Nulli magis obærati sunt quàm magni principes.

Ἀχρεῖος, i. inutiles.

Si quis

Si quis rusticus urgeat, finge offensum improbitate animum. Interdũ tamẽ aliquid reddito, uerũ nec totũ, nec omnibus. Illud ubiq; curãdum, ne cui suboleat tibi prorsus exhaustos loculos. Sẽper ostẽtã. H. Quid ostẽtet qui nõ habet? N E. Si quid amicus apud te depositum habet, ostenta pro tuo, sed artem dissimula, cura ut casus uideatur. In hunc usum interdum sumito pecuniam commodato, quã mox reddas. Ex loculo nummis æreis distẽto, profer aureos duos ibi sepositos. Cætera ex te ipso conijcito. H. Intelligo. At tandẽ obruar oportet ære alieno. N. Scis quãtum apud nos liceat equitibus. H. Nihil nõ, & quidẽ impune. N. Ergo famulos ale nõ segnes, aut etiã sanguine propinquos, qui alioqui forent alendi. Occurret negociator, quem obuium spolient. Reperient aliquid in diuersorijs aut in ædibus, aut in nauibus incusto ditum. Tenes? Memunerunt non frustra datos homini digitos. H. Siquidem tutò. N E. Cura ut habeas pulchre uestitos, cũ insignibus. Committe literas fictitias ad summates. Si quid clàm sustulerint, nullus audebit illos insimulare, etiam si quid suspicentur, timebunt equitem dominum: sin ui prædam extorserint, bellum uocabitur. His progymnasmatibus ad bellum præluditur. H A R. O felix consilium. N E S T O. Iam illud equestre dogma semper erit tuendum, ius fasq; esse equiti, plebeium uiatorẽ exonerare pecunia. Quid enim indignius, quàm ignobilem negociatorem abundare nummis, quum interim eques non habeat, quod impẽdat scortis & aleæ? Fac semper te adiungas magnatibus, uel ingeras potius, ne quid pudeat, perfricanda frons est, sed præsertim

hospiti

Digitized by Google

hoſpitibus, eoq; præſtat in celebri quopiam loco uitam agere, puta in thermis frequẽtibus, diuerſorijs. H. Iſthuc ipſum erat in animo. N. Hic ſæpenumero fortuna prædã obijcit. H. Qui rogo? N. Puta hic aut ille reliquit crumenã, aut oblitus reliquit clauim in ſera prõptuarij. Cætera tenes. H. At. N. Quid metuis? de ſic culto, de tã magnifice loquente, de equite ab aurea rupe, quis audebit ſuſpicari? Et ſi quis fortè tam improbus extiterit, quis erit tam audax ut te appellet? Interim ſuſpicio deriuabitur in aliquem hoſpitum, qui pridie diſceſſerint. Turbabuntur famulicia cum pandocheo. Tu tranquillus tuam perſonam agito. Hoc ſi acciderit homini modeſto cordatoq; ſilebit, ne ſimul cum damno lucrifaciat pudorẽ, qui rem ſuam indiligenter ſeruauerit. H. Non abſurde dicis. Nam noſti, opinor, comitem à uulture albo. N. Quid ni? H. Apud hũc diuerſatus eſt, ut accepi, Hiſpanus quidam, ſpecie cultuq; ſanè quàm liberali. Is abſtulit florenos ſexcentos, nec unquam comes auſus eſt queri. Tanta erat hominis maieſtas. N. Habes exemplum. E famulis tuis interdum aliquem emandes in bellum ſcilicet. Is ſpoliatis templis aut monaſterijs quibuslibet, reddibit onuſtus præda bello parta. H. Hoc quidem eſt tutiſſimum. N. Eſt & alia ratio cõflandæ pecuniæ. H. Narra obſecro. N. In bene nummatos finge cauſas irarum, præſertim in monachos aut ſacerdotes, qui nunc apud omnes ferè ſumma laborant inuidia. Alius irriſerit aut cõſpuerit clypeum tuum, alius parum honorifi-
i. Infidũ bel lum. ce de te loquutus, alius ſcripſerit aliquid quod in calumniã detorqueri ualeat. His per fœciales tuos ἄσπονδον πόλεμον

πόλεμον denuncia. Sparge minas atroces, excidia, exitia, πανολεθρίας meras: territi uenient ad componendam litem. Ibi fac magno æstimes tuam dignitatem, hoc est iniquum petas, ut æquum feras. Si postules tria millia, pudebit minus offerre quàm ducentos aureos. H. Alijs minitabor leges. N. Istud propius quidem accedit ad sycophãticam, sed tamen iuuat & hoc in partẽ. Sed heus Harpale, penè exciderat, quod dictum in primis oportuit, puella quæpiam bene dotata in matrimonij nassam illaqueanda est. Habes apud te philtrum, iuuenis es, candidulus es, lepidus nugator es, rides blandum. Sparge te magnis promißis ascitum in aulam Cæsaris. Amant puellæ Satrapis nubere. H. Noui quibus hoc bene cesserit. Cæterum quid si fucus tandem erumpat, & insiliãt undique creditores? irridebor personatus eques. Nam id apud istos turpius est, quàm si templum sacrilegio spolies. N. Hic oportet meminisse perfrictæ frontis. Illud in primis quod nullis unquam temporibus magis licuit, audacia pro sapientia uti, quàm hodie. Commiscendum est aliquid quod excuses. Deinde nunquam deerunt candidi qui faueãt tuæ fabulæ, nonnulli ciuiliores dißimulabunt intellectum fucum. Postremo si nihil aliud, profrugiẽdum est aliquò in bellum in tumultum. Quemadmodũ κλύζῃ θάλασσα πάντα τ' ἀνθρώπων κακά, ita bellum operit omniũ scelerum sentinam. Nec enim habetur hodie bonus belli dux, nisi tali tyrocinio præparatus accesserit. Hoc erit extremum asylum, si cũcta fefellerint. Verum omnis mouendus erit tibi lapis ne huc ueniatur. Vide ne te securitas opprimat, oppi-

i. diluit, siue proluit mare hominũ ma-
la.

dula

dula minuta fuge, in quibus ne perdere quidem licet, ni populus sciat, in magnis ac frequentibus ciuitatibus plus est licentiæ, nisi si qua sit Maßiliæ similis. Dißimulanter expiscare, quid quisq; de te loquatur. Vbi senseris huiusmodi uoces increbrescere, quid agit? quur hic tot annos moratur? quur non reuisit patriam? quur negligit arces suas? unde ducit imagines? unde tantæ profusionis facultates? Hoc genus inquam uoces, ubi cœperint magis ac magis glisscere, tum mature tibi de migrando cogitandum est, sed sit fuga leonina, non leporina. Adsimula te uocari in aulam Cæsaris ad res magnas, breui adfuturum cum exercitu. Non audebunt in absentem hiscere, quibus est quod nolint amittere. Sed in primis tibi censeo cauendum genus istud hominum poëticum iritabile nigrumq;. Illinunt chartis, si quid illos habet male, subitoq; per orbem spargitur quicquid illeuerint. HARPA. Dispeream, ni mihi uehementer placet tuum consilium. Efficiam, ut intelligas te nactum docile ingenium, & iuuenem minime ingratum. Equum quem primum te dignum nactus in pascuis fuero, tibi dono mittam. NESTO. Nunc superest, ut quod pollicitus es, uicißim præstes. Quid est, quur tantopere affectes falsam opinionem nobilitatis? HARPA. Nullam aliam ab causam, nisi quod his omnia licent impune. An hoc tibi leue uidetur momentum? NESTO. Vt pessime cedat, mors una debetur naturæ, etiam si uixisses in Carthusia. Et leuius moriuntur in rota, quàm qui moriuntur calculo, podagra, aut paralysi. Nam militare

litare est, credere, nihil hominis superesse post mortem, præter cadauer. HAR. Sic opinor.

ΑΣΤΡΑΓΑΛΙΣΜΟΣ, SIVE TALORVM LVSVS.

CAROLVS, QVIRINVS.

QVI. Disce, inquit Cato, sed à doctis. Cupio itaq; Vtenhoui, te magistro discere, quam obrem prisci illi religionis antistites edixerint, ut clerici talaribus tunicis uterentur, hoc est usq; ad talos demußis. CARO. Duabus opinor de causis. Primum uerecũdiæ gratia, ne quid nudi pateret oculis. Nam olim nec hoc caligarum genus fuit repertum, quod nunc ab ilibus usque ad imos pedes corpus tegit, neq; subligaribus aut fœmoralibus nudgò utebantur. Eadem de causa, turpe est fœminis breuioribus uti uestimentis, quo magis consultum sit sexus pudori. Deinde ut non solum moribus, uerum etiam habitu differrent à populo, in quo ut quisque est prophanissimus, ita breuissimis tunicis uti gaudet. QVI. Non dißimile ueri est quod narras. Cæterum ex Aristotele, Plinioq; didici, nulli hominum esse talos, sed tantum quadrupedibus, non tamen omnibus, sed bisulcis pleriſque, nec rursus his nisi in tibijs posterioribus. Vnde igitur uestis dici talaris potest, quam gestat homo, nisi fuerunt homines olim quadrupedes, iuxta fabulam Aristophanis? CA. Imò si credimus Oedipo, & quadrupedes, & tripedes, & bipedes inueniuntur homines, nec raro nobis è bello redeunt unipedes, interdum apodes: sed quod ad tali uocabulum attinet, rectius mireris, si legas Horatium,

Horatium, qui fabulis quoque talos attribuit. Sic enim opinor ſcribit in arte Poëtica:

Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.

Q. Poëtis licet, ut libet, loqui: apud quos Tmolus habet aures, & naues loquantur, & ſaltat quercus. C. Quin & Ariſtoteles tuus hoc te docere poterat, eſſe talos dimidiatos, quos ille uocat ἡμιϊασραγάλους, quales tradit eſſe lyncum generi. Addit leonibus ineſſe quiddã uice tali, ſed anfractuoſum, qd' ille uocat λαβυρινθώδες, Plinius uertit tortuoſum. Deniq; ubicũq; committuntur oſſa oſſibus ad flexus commoditatem, caua prominẽtibus inter ſe reſpondent, utrinq; lubrica cartilagine cõmunitis, ac uelut incruſtatis partibus, ne mutuo attritu ſeſe lædant, ut idem docet Ariſtoteles. In his ferè eſt aliquid quod à tali ſimilitudine pariter & uſu nõ diſcrepat, uelut in ima tibia iuxta calcaneum, ubi totius pedis flexus eſt, prominet quiddã talo ſimile, quod Græci σφυρόν, appellãt. Rurſus in flexura genu: quod, ni fallor, ἰσχίον appellant, quidã uertebrum. Simile quiddam uidemus in coxendicibus, in humeris: poſtremo in commiſſuris digitorum, pedis, ac manus, quod ne tibi mirum uideatur, Græci tradunt ἀσραγάλῳ uocabulum apud probatos autores tributũ etiam oſſibus quibus ſpina connectitur, præſertim in ceruice. Citant enim hoc carmen,

i. ceruix mihi fracta eſt ex nodis.

ἐκδέμοι αὐχὶν ἀσραγάλων ἐάγη.

Quoniam autẽ Ariſtoteles tradit priores tibias animãti datas ad celeritatẽ, & ob id carere talis, poſteriores ad ſtabilitatẽ, quod in eam partem uergat pondus corporis, quẽadmodum ad robur ijs quæ calcibus feriunt.

Flaccus

Digitized by Google

Flaccus dum significare uult fabulã non iectam, sed ad finem usq; peractam, dicit illam stetisse fixo talo, nec alter tribuit fabulæ talum, quàm nos libro tribuimus calcem, & uolumini umbilicum. Q V. Næ tu probe grammaticum agis C A. At quo magis id credas, Græci literatores ἀστράγαλον dici uolunt, à στρέφω, & à particula priuatiua, quod minime flectatur, sed immobilis sit. Quanquã alij malunt ἀστράγαλον interiecta litera ς, dictum pro ἀσάγαλον, quod lubrica uolubilitate stare nesciat. Q V. Ad istum modum licet plura diuinare. Simplicius erat dicere, nescio. C A R. Nõ usque adeo uidebitur absurda diuinatio, si cogites quantam habeat caliginem uocũ primitiua origo, tum in re nullam esse contrarietatem, quod apparebit si propius inspicias, uolubilis est talus, sed ita uolubilis, ut eam partem cui innectitur reddat ad standum firmiorem: deinde os ossi connectit, ne facile luxari queat. Q V. Tu uel sophistam agere possis quantum uideo si libeat. C A R. Sed nihil est Talesi, quod nos torqueat etymologia uocis. Nam quod hodie Græci uocant ἀστράγαλον, prisci, quorum est Callimachus dixit, ἄστιον, cuius hoc refertur hemistichium, δέκα δὲ ἄστια ἄινυτο λύγδον, unde quemadmodum ἀστραγαλίζειν, ita & ἀστίζειν dicebant talis ludere. Q V. Quale est igitur illud quod proprie talum uocant? C A R. Est id quo nunc ludunt puellæ, olim puerorum erat lusus, quemadmodum nuces. De quo est illud Græcorum, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωτείς. quum iram leui de causa susceptam indicant. Rursus Horatius in Odis, Nec regna uini sortiere

i. Propter talos iratus.

tiere talis. Item in sermonibus, Te talos Aule nuces q; &c. Postremo dictũ illud Lacedæmonij, ni fallor, Pueros esse fallendos talis, uxoris iureiurando. Hunc negant in ullo animante inueniri, quod sit μώνυχον, hoc est ungula solida, excepto asino Indico unicorno: aut qđ sit πλυσχιδὲς, hoc est pede in multos digitos ungulásue fisso, quod genus sunt leo, pãthera, canis, simius, homo & auis, aliaq; pmulta. Quæ uero δίχηλα sunt, hoc est ungula bisulca, pleraq; talum habent, idq; ut recte dicebas, in posterioribus cruribus. Vni homini duplici de causa tali non sunt, Primum quia bipes, deinde quia quinis digitis fissos habet pedes. Q V. Ista frequẽter audiui. Cæterũ peruelim mihi situm ac formam tali describi. Nã istud lusus genus etiam puellis hodie fastiditum est, sed aleã, chartas, aliosq; masculos lusus affectant. C A. Non mirũ, quum affectent & Theologiã: uerum etiam si mathematicus sim aut pictor, aut etiam plastes, nõ posim tibi melius tali formã exhibere, quàm ipso talo, nisi mauis ut tibi describam per literas, ut illi solent. Q V. Habes ne talum? C A. En tibi ouillũ è dextro crure. Vides quatuor dũtaxat latera, quũ in cubo & alea seu tessera sint sex, in ambitu quatuor, in summo & imo duo. Q V. Sic est. C A. In talo, quoniã summa pars & ima curuatur, nõ sunt nisi quatuor latera, quorum uniũ uides uelut in dorsum intumescere. Q V. Video. C A R. Quod est è regione, cauũ habere. Illud Aristoteles uocat πρανὲς, id est pronum, hoc ὕπτιον, id est supinum. Velut in congressu uxoris & mariti, quum dant operam liberis, mulier supina est, uir pronus: &

nus: & manus si uola spectet terram prona est, si inuer tas supina. Quãquã oratores & poëtæ nõnunquam his uerbis abutuntur, quod ad hãc rem nihil attinet. Q V. Isthuc quidem eleganter oculis subiecisti. Inter reliqua duo latera quid est discriminis? C A R. Alterum modice cauatum est, ut oßi cui innectitur congruat: alterũ pro pemodum nihil habet concaui, minusq; armatum est cartilaginea tunica, sed tantum neruo & pelle tegitur. Q V. Video, pronum latus nihil habet neruorum, sed supinæ partis concauo adhæret neruus, quemadmodum dextri lateris summo, læui imo. Q V. Pulchre narras, sed unde dinoscam dexterum à sinistro? C A. Recte admones. Nam perperam docui, nisi dextri cruris talum intelligas. Dicam igitur melius, simulq;, quod uolebas, situm indicabo. Talus est in ipsa suffragine cruris infra coxam. Q V. Complures arbitrantur iuxta pedem esse. C A R. Errant. Is qui proprie dicitur talus est in suffraginibus, quas Græci καμπὰς uocant, sed crurum, ut dixi, posteriorum. Inter pedem tuum & genu, tibia est. Q V. Sic opinor. C A. Post genu καμπὴ, Q V I. Assentior. C A R. Nam qui flexus est homini in brachijs, idem est quadrupedibus in cruribus posterioribus, simiam excipio semihominem. Itaq; quod genu est in cruribus, id cubitus est in brachijs. Q V I. Animaduerto. C A R. Itaq; flexus flexui respondet. Q V I. Illud dicis, crurũ posteriorum & priorum. C A. Tenes. In ea igitur suffragine, quæ respondet suffragini, quæ est post genu, stat talus erectus quum stat quadrupes, cuius summa & ima pars leniter incuruatur,

quãquam non prorſus eodem modo. Nam ſuperior replicatur in cornua quædam, quas Ariſtoteles appellat κεραίας, Theodorus uertit antẽnas, iuxta quas ſe ſubmittit pronum latus: ima tabe nihil habet. QVI. Planè uideo. CARO. Illud ergo latus quod ſpectat tibias priores, Ariſtoteles uocat ſupinum: quod illi aduerſum, pronum. Rurſum ſunt duo latera, quorum alterum intus ſpectat tibiam poſteriorem, puta læuam, aut dextram, alterum ſpectat foras. Quod introrſum ſpectat, Ariſtoteles appellat κῶλον, quod foras ἰσχίον. QV. Prorſus oculis rem uideo. Iam ſupereſt ut nobis indices quæ fuerit olim talis ludendi ratio. Nam qui luſus noſtra memoria dicitur in uſu fuiſſe, nihil conuenit cum ijs, quæ comperimus apud priſcos autores de hoc ludendi genere. CARO. Ac ſanè fieri poteſt, ut quemadmodum hodie chartis & aleis ad uarias ludendi formas abutimur, ita non fuerit eadem apud ueteres talis luſitandi ratio. QVI. Probabile eſt quod dicis. CAR. Theodorus Gaza, ſiue ut alij malunt appellare: Theſſalonicenſis, uertens Ariſtotelis librum de hiſtoria animalium ſecundum, ait tali latus quod foras tranſuerſum ſpectat, canem uocari, quod introrſum ad alterum crus, Venerem. Cæterum hoc quidem de ſuo addidit, Nam Ariſtoteles hæc tantum ponit, Τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὑπτίον ἔισω, καὶ τὰ μὲν κῶλα ἐντὸς ἐσγαμμύα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ ἰσχία καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω. Cæterum quando conſtat ab alijs, Veneris iactum appellari, quoties ex quatuor talis nullus eſt qui ſummam faciem habet cum alio conſentem,

Pronũ quidem foras, intro ſupinũ; & cola dicta eſſe latera quæ intus uertũtur, quæ uero foras iſchia. Deniq; ſuperiores partes a cornibus ceræas appellauit.

Digitized by Google

gruentem, demiror quid sequutus Theodorus, unum latus appellat Venerem. Erasmus noster, quem communem habemus amicum, huiusmodi obseruationum non admodum curiosus, in prouerbijs aliquot, ex autoritate ueterum indicat quædam de ludo talorum, uelut in prouerbio: Non Chius, sed Cous, refert Coum & Senionem eundem esse quem Græci ἑξίτην dicunt. Idem tradit in prouerbio Chius ad Coum, addens Chium eundem esse cum cane: Coi iactum fuisse felicem, Canis infelicem, teste Persio:

Quid dexter senio ferret,
Scire erat in uotis, damnosa canicula quantum
Raderet. Itidem Propertius,
Semper damnosi subsiluere canes.

Et Ouidius libro de Trist. 2. damnosos canes appellat. Addit ex Martiale, Senionẽ uideri per se felicẽ, cæterũ infelicem fieri, si accedat Canis. Sic enim loquitur:

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

Iam Veneris iactũ esse ut rarum, ita felicissimũ indicat Martialis in Apophoretis:

Quum steterit uultu nullus tibi lusus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tot autem talis ludebatur, quot quisq; habet latera. Nã tesseris non plus tribus ludi solet. Sed propius ad ludendi rationẽ facit, quod scribit Suetonius in Octauio Augusto, recitans ex illius quadam ad Tiberium epistola hæc, Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim iactatis ut quisq; canem aut senionẽ miserat, in singulos talos singulos denarios in mediũ conferebat, i. Seniliter.

ferebat, quos tollebat uniuersos qui Venerem iecerat. QV. Docuisti felicissimũ esse iactum quum omnes tali quatuor ostenderint diuersum latus, quemadmodum in tesserarum ludo fortunatissimus est, qui dicitur Midas: at nondum declarasti hunc iactum dici Venerem. CA. Istud expedict tibi Lucianus, ita loquẽs in Cupidinibus, ἀλλὰ καλῶμεν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δὲ εἴποτε τὴν θεὸν αὐτὴν ἐυβολήσῃ, μηδενὸς ἀσφαγάλου παρόντος ἴσῳ σχήματι. Loquitur autem illic de Venere. QV. Si falsus est Theodorus, duo tantum latera suis uocabulis designantur. CAR. Fortassis alicuius autoritatem ille sequutus est, quæ nos fugit: quod apud autores cõpertum est, adferimus in medium. Nam sunt qui meminerunt de numero Stesichorio in talis, quẽ putant ogdoadem esse: item de Euripide, qui continebat quadraginta. QVI. Restat ut lusus leges præscribas. CAR. Non arbitror pueros ijsdem usos legibus, quibus se usum fuisse scribit Octauius. Nec probabile est, hoc ludendi genus, quod cõmemorat fuisse publicum. Id si fuisset, satis erat dixisse: Inter cœnam lusimus talis. Sed mihi subindicare uidetur, nouam ludendi conditionem inter illos repertam, uelut aptã senibus, minimeq; torquentem animos sollicita cogitatione, quemadmodũ faciunt hodie complures lusus, ut leuius sit intẽdere studijs. QVI. Profer, obsecro te, reliquos talos, ut experiamur. CAR. Sed deest nobis turricula uoluendis talis, deinde tabula. QVI. Sufficerit hæc mensa ad qualecunq; specimen exhibendum. Pro turricula sufficerit cyathus aut pyleum. CAR. Imò complexus cauatarũ manuum

Digitized by Google

manuum. Iactus sæpius ostendit supinam partem quàm pronam, & pronam sæpius quàm senionem aut canē. QV I. Videtur. C AR. Si inter quatuor talos extiterit unus canis, expones nūmum: si duo duos, si tres tres, si quatuor quatuor. Itē quoties ieceris senionē, toties recipies unum è nūmis. QV. Quid senionē cū cane? C A. Si uis, uterq; nūmum addet, neuter tollet: cui primū obtigerit Venus, is auferet aceruum. QV I. Quid si talus ostendat partē supinā aut pronam? C A. Is iactus erit irritus, & aut tu iactum repetes, aut iaciēdi ius ad me deuoluetur. QV. Placet deuolutio. C A. Nunc appone sortē. QV. Experiamur absq; periculo. C A. Vis tu tantum artē discere gratis? QV. Verum impar certamē est inter artificem & rudē. C A. Atqui spes lucri, & dāni metus reddet te attentiorem. QV. Quanti certabimus? C A. Si uis cito ditescere, centum ducatis. QV. Vtinam sint quos deponam. Tutius paulatim ditescere. En tibi solidum assem. C AR. Age, addemus pusillum pusillo, quemadmodum monet Hesiodus, sic quoq; fiet ingens aceruus. Conuolue ac mitte. Felix auspicium, canem habes, appone nummū, & posthac agnosce dānosum latus. Da talos. QV. Felicius auspicium, treis habes canes, appone. C A. Insidiatur tibi fortuna. Mitte, sed circūuolutos ò bone. Labor irritus, pronum habes & supinum. Succedo, trade talos. QV I. O factum bene, rursum treis uideo canes. C A. μὴ πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον. Ne ante uictoriā encomium. Illectat inquam te fortuna. Sed heus tu, ad hunc quidē modū edoctus sum. At mea sententia secus lusit Octauius. QV. Quo modo? C A. Qui canem iccerat, apponebat

ponebat denarium, ut diximus: qui senionem, nihil quidem auferebat, sed alter ponebat. Q. V. Quid si plures seniones exissent? CAR. Totidem nummos alter addebat. Bene cumulatum aceruum semel tollebat Venus. Et illud addas licebit, Cui nec senio obtigerit, nec canis, nihil aliud quàm mittendi uicem perdet. Q. V. Non recuso. CAR. Mihi uidetur & hoc elegantius, si tertio quisq; iactu defungatur qui talos tenet, & mox alteri tradat uices. Q. V. Placet, sed quota Venus finisset ludum? CAR. Tertia si uidetur. Deinceps liberum erit de integro paciscí, Siquidem tum raro, tum paucis fauet Venus. Nunc aggrediamur bonis auibus. Q. V. Fiat, sed præstat occludere fores, ne nostræ culinæ regina uideat nos puerorum more ineptientes. CAR. Imò seniliter potius, Adeóne loquacem habes famulam? Q. V. Tam futilem, ut si desint homines quibus narret quicquid domi geritur, longo sermone gallinis narret ac felibus. CAR. Heus puer, claude ostiũ & obde pessulum, ne quis subitus interueniat spectator, quo liceat ad satietatem usq; ludere.

SENATVLVS SIVE ΓΥΝΑΙΚΟΣΥΝΕΔΡΙΟΝ.

CORNELIA, MARGARETA, PEROTTA, IVLIA, CATARINA.

COR. Quod felix faustumq; sit huic ordini, totiq; reip. fœmineæ, & frequentes hodie conueniistis & alacres, unde spem optimam concipio futurũ, ut deus propitius cuiq; ea suggerat in animum, quæ ad cõmunem omnium & dignitatẽ & utilitatẽ pertinent. Scitis opinor,

nor, omnes, quantum hinc commodis noſtris deceſſerit, quod quum uiri quotidianis conuentibus ſuum agant negocium, nos colo telaq; aſſidentes cauſam noſtrã deſerimus. Itaq; res huc deuenit, ut nec inter nos ſit ulla reipub. diſciplina, & uiri nos penè pro delectamentis habeant, uixq; hominis uocabulo dignentur. Quod ſi quà cœpimus, pergamus, diuinate uos ipſæ, quò tandem res ſit euaſura, uereor enim ucrba ſiniſtri ominis eloqui, ut dignitatem noſtram negligamus, certe incolumitas debet eſſe curæ. At ſapientiſſimus ille rex ſcriptum reliquit, Ibi demum eſſe ſalutem, ubi multa conſilia. Habent epiſcopi ſuas ſynodos, habent monachorum greges ſua conciliabula, habent milites ſuas ſtationes, habent fures ſua conuenticula. Deniq; habet & formicarũ genus ſuos congreſſus. Solæ omniũ animantiũ mulieres nunquam coimus. MAR. Sæpius quàm decet. CORN. Nondum interloquendi tempus eſt. Sinite me perorare, dabitur ſingulis dicendi locus. Neq; nouum eſt quod facimus, uetus exemplum reuocamus. Siquidem ante annos mille trecentos, ni fallor, Heliogabalus Cæſar laudatiſſimus. P. Qui laudatiſſimus, quem unco tractum in cloacam proiectum eſſe conſtat? CORNE. Rurſus interpellor. Si quem hac ratione probamus aut improbamus, malum dicemus Chriſtum, quod in crucem ſuffixus ſit: pium Domitium, quod domi ſit mortuus. At qui nihil obijcitur Heliogabalo atrocius, quàm quod ſacrum ignem, qui à Veſtalibus ſeruabatur, in terram abiecerit, quodq; domi in larario Moſen habuerit & Chriſtum, quem illæ contumeliæ cauſa Chreſtum uocabant.

bant. Is igitur Heliogabalus instituit, ut quemadmodum Imperator cum suis habebat senatum, in quo de rebus communibus consultaret, ita haberet & mater illius Augusta senatum suum, in quo de fœmineæ gentis negocijs tractaretur, quem uiri uel iocandi uel discernendi gratia senatulum uocabant. Hoc exemplum tot iam seculis intermissum res ipsa iam dudum monet nos instaurare. Nec ullam moueat quod Paulus Apostolus uetat mulierem loqui in cœtu, quam ille uocat ecclesiam: de cœtu uirorum loquitur, hic cœtus est muliebris. Alioqui si semper tacendum erat fœminis, in quem usum natura dedit nobis & linguas non minus expeditas, quàm sunt uirorum, & uocem non minus sonoram? quamquàm illi sonant raucius, ac propius referunt asinos quàm nos. Verum illud oportet nobis omnibus esse curæ, ut ea grauitate tractemus hoc negocium, ne rursus uiri Senatulum appellent: aut fortasse probrosius aliquod nomen excogitent, ut solent in nos libenter esse dicaces. Quamquàm si liceat illorum comitia ueris estimare, plusquàm muliebria uideri possint. Videmus monarchas tot iam annis nihil aliud quàm belligerari: inter theologos, sacerdotes, episcopos, et populũ nihil cõuenire: quot homines tot sententiæ, & in his ipsis plusquàm muliebris est inconstãtia. Nec ciuitati cũ ciuitate, nec uicino cũ uicino cõcordia est. Si nobis essent traditæ rerũ habenæ, aliquanto, ni fallor, tolerabilius haberent res humanæ. Non est fortasse fœminei pudoris, tantis proceribus tribuere stulticiam, at fas est opinor, recitare quod scripsit Solomon Prouerbiorum capit. 13. Inter superbos semper iurgia

iurgia sunt, qui autem agunt omnia cum consilio, re-
guntur sapientia. Sed ne uos longiore morer procœmio,
uti singula gerantur ordine, decenter, & sine tumultu:
primo loco tractandum erit, quæ debeant interesse con-
cilio, quæ submouendæ sunt. Nam immodica turba, tu-
multus est uerius quàm concilium: & paucorum con-
sessus habet quiddam tyrannicum. Huc ego censeo nul-
lam recipiendam uirginem, eo quod incident permulta,
quæ non decet illas audire. IVL. At quo signo digno
scas uirgines? An pro uirginibus habebuntur, quæcunq;
coronam gestant? CORNE. Non. At nuptas tantum
recipiendas censeo. IVL. Et inter nuptas uirgines
sunt, quæ maritos habent eunuchos. CORNE. Sed
tribuatur hoc honoris coniugio, ut nuptæ pro mulie-
ribus habeantur. IVL. Alioqui si non excludimus ni-
si uirgines, erit immensa turba, nec multum decrescet
numero. CORNE. Excludentur & plusquàm ter
nuptæ. IVL. Quamobrem? CORNE. Quoniam
illis uelut emeritis debetur missio. Idem censeo de se-
ptuagesimum annum egressis. Statuendum ne qua no-
minatim de uiro suo loquatur petulantius, in genere fas
sit, sed ea moderatione, ne quid minis. CATA. Qui
minus hic libere de uiris liceat dicere, quum ipsi de no-
bis nusquam non loquantur? Meus Titius si quando stu
det esse conuiua festiuior, narrat quid mecum noctu ege
rit, quid dixerim, neq; raro multa solet affingere. COR
NE. Si uelimus fateri uerum, nostra dignitas pendet
à uiris: eos si traducimus, quid aliud quàm nos ipsas de-
honestamus? Quãquam autem habemus nõ paucas iustæ

queri

querimoniæ cauſas, tamen expenſa rerum omnium ſumma, noſtra potior eſt quàm illorum conditio. Illi dum quærunt rem, per omnes terras ac maria uolitant, nõ ſine capitis diſcrimine, illi ſi bellum incidat, excitãtur huc cina, ferrei ſtant in acie dum nos domi ſedemus tutæ. Si quid cõmittunt aduerſus leges, grauius in illos animaduertitur, noſtro ſexui parcitur. Denique magna ex parte in nobis ſitum eſt, ut commodos habeamus maritos. Reſtat ut de cõſeſſus ordine ſtatuatur, ne nobis eueniat, quod frequenter uſu uenit regum, principum ac pontificum oratoribus, qui in concilijs totos tres menſes litigant, antequàm poſſint conſidere. Itaque cenſeo, primum eſſe debere nobilium ordinem, & in his præcedẽt quæ quatuor habent nobilitatis partes: proximæ quæ tres: deinde quæ duas: poſtremæ quæ unã: poſtremo, quæ dimidiam. Et in ſingulis ordinibus locus ex antiquitate deſignabitur. Nothæ in ſuo quoq; ordine extremum tenebunt locum. Alter conſeſſus erit plebeiarum. In hoc primas tenebunt quæ copioſiorem ſobolem enixæ ſunt. Inter pares, litem dirimet ætas. Tertius erit earum quæ nondum pepererunt. CATA. Quò mittis uiduas? COR. Commode mones. Iſtis locus dabitur in medio matrum, ſi modo liberos habent, habuerint ue. Steriles extremum obtinebunt locum. IV. Quem locum deſignas ſacerdotum ac monachorum uxoribus? CO. De his proximo conſeſſu deliberabimus. IVL. Quid de his, quæ corpore faciunt quæſtum? CORNE. Nõ patiemur hunc ſenatum admixtu talium inquinari. IV. Quid de concubinis? CORNE. Iſtarum non ſimplex

plex est genus: de quibus per ocium tractabitur. Adijciendum est, quomodo fieri debeat senatus consultum, punctis ne an calculis, an suffragijs uocalibus, an porrectis digitis, an discessione. CATA. In calculis dolus est, quēadmodum & in punctis: si pedibus eatur in sententiam, quoniam ueστes longas gerimus, nimium moue bimus pulueris: optimū igitur, uti uoce pronunciet unaquæq; quod sentit. CORNE. At difficile est numerare uoces. Deinde cauendum ne fiat pro concilio conuicium. CATA. Nihil fiet absque notarijs, ne quid posit excidere. CORNE. Ita quidem consultum est numero. Sed quibus modis excludes conuicium? CAT. Ne qua loquatur nisi rogata, & suo ordine. Quæ secus fecerit, è senatu mouebitur. Tum si qua quid effutierit eorum quæ hic aguntur, silentio plectetur triduano. Hactenus de ratione tractandi. Nunc accipite quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis: ea potissimum sita est in cultu, cuius rei tantus est neglectus, ut hodie uix agnoscas discrimen inter nobilem & plebeiam, inter nuptam & uirginem aut uiduam, inter matronam & meretricem. Adeo sublatus est pudor, ut quiduis usurpent quælibet. Videre est plus quàm plebeias ac loci planè sordidi, uestiri holosericis, undulatis, florulentis, uirgatis, byssinis, aureis, argenteis, pellibus, zebellinis, madauricis, quum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos. Nam uniones nunc uulgo fastidiuntur, ne quid querar de succinis & corallijs & crepidis inauratis. Satis erat tenuibus in honorem se-

xus

xus, cingulis uti fericis, ac fimbrias ueſtium ſerico lymbo decorare: nunc geminum eſt malum, & res familiaris extenuatur, & ordo qui dignitatis eſt cuſtos, confunditur. Si pilentis & lecticis eboratis ac byſſo tectis uehuntur plebeiæ, quid relictum eſt nobilibus ac potentibus? Et ſi uix equiti nupta caudam trahit ulnarum quindecim, quid faciet Ducis aut Comitis uxor? Atque hæc res hoc eſt intolerabilior, quod mira temeritate ſubinde mutamus cultum. Pridem à porrectis à uertice cornibus pendebant linteamina. Hoc ornatu fœminæ principes decernebantur à plebeijs. Illæ ne quid conuenirent, ſumpſerunt pilea, foris oſtentantia pelles albas nigris maculis uariegatas. Statim uulgus arripuit. Rurſus mutato cultu ſumpſerunt flammea nigra byſſo. Id fœminarum uulgus non ſolum auſum eſt imitari, uerum etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmas. Olim nobilium erat, à fronte atque à temporibus reuulſis pilis in uerticem capillos cogere. Non diu licuit, mox quælibet æmulatæ ſunt. Tandem demiſerunt crines in frontem: protinus & hoc imitatæ ſunt plebeiæ. Solæ nobiles olim habebant laterones & anteambulones, & ex his unum delicatum qui ſurrecturæ manum porrigeret, qui læuam incedentis brachio dextro fulciret. Nec hoc honoris concedebatur niſi bene nato. Nunc ut paſſim id faciunt matronæ, ita quoslibet ad hoc officij recipiunt, quemadmodum ad geſtandam à tergo caudam. Item olim ſolæ nobiles ſalutabant oſculo, nec quemuis ad oſculum recipiebant, imò ne dextram quidem porrigebant quibuslibet. Nunc

qui

qui corium olent, irruunt ad oſculum fœminæ, quæ ſcutum habet plenæ nobilitatis. Ne in coniugijs quidem habetur ulla dignitatis ratio. Patriciæ nubunt plebeijs, plebeiæ patricijs, ita naſcuntur nobis hybridæ. Nec ulla tam obſcuro loco nata eſt, quæ metuit adhibere fucos omnes nobilium, quum plebeijs ſufficere deberet, aut flos recentis ceruiſiæ, aut ſuccus recens ab arbore detracti corticis, aut ſiquid aliud paruo parabile: pur puriſſam, ceruſſam, ſtibium, reliquoſq; colores elegantiores oportebat claris fœminis relinquere. Iam in conuiuijs, in publico inceſſu, quàm nullus ordo? Sæpe fit ut negociatoris uxor dedignetur utroque parente nobili cedere. Res igitur ipſa iamdudum hortatur, ut hiſce de rebus aliquid certi ſtatuamus. Atque hæc inter nos facile poterunt tranſigi, quoniam non niſi ad fœmineum pertinent genus. Eſt autem & quod cum uiris agamus, qui nos ſummouent ab omni dignitate, ac tantum pro lotricibus & cocis habent, ipſi res omnes pro ſuo gerunt arbitratu. Concedemus igitur illis magiſtratus publicos, ac bellicæ rei curam. Quis hoc ferret, quod in clypeo ſemper uxoris inſignia læuum habent latus, etiamſi tribus partibus ſuperet uiri nobilitatem? Deinde par eſt, ut in elocandis liberis etiam mater habeat ius ſuffragij. Et fortaſſis hoc quoque euincemus, ut uiciſſim geramus officia publica, duntaxat quæ intra mœnia, & ſine armis geri poſſunt. Hæc eſt ſumma rerum de quibus mihi uidetur operæprecium conſultare. Super his apud ſe quæque deliberet, ut de ſingulis fiant ſenatuſconſulta, & ſi cui ueſtrum aliud

quippiã

quippiam in mentem uenerit, cras in medium conferat. Conueniemus enim diebus singulis, donec synodum absoluerimus. Adhibeantur notariæ quatuor, quæ notis excipiant quicquid dicatur. Præterea quæstoriæ duæ, quæ loquendi potestatẽ uel faciant uel admittant. Sit hic consessus diuinationis loco.

DILVCVLVM.

NEPHALIVS, PHILYPNVS.

N. Hodie te conuentum uolebam Philypne, sed negabaris esse domi. P. Non omnino mẽtiti sunt, tibi quidem nõ eram, sed mihi tum eram maxime. N E. Quid isthuc ænigmatis est? P H. Nosti illud uetus prouerbium, Non omnibus dormio. Nec te fugit ille Nasicæ iocus, cui quũ Ennius familiarem inuisere uolenti, ancilla iussu heri negasset esse domi, sensit Nasica & discesset. Cæterũ ubi uicissim Ennius Nasicæ domũ ingressus rogasset puerũ nũ esset intus, Nasica de conclaui clamauit, nõ, inquiẽs, sum domi. Quumq; Ennius agnita uoce dixisset, impudẽs, nõ te loquẽtem agnosco? Imò tu, inquit Nasica, impudẽtior, qui mihi ipsi fidẽ nõ habeas, quũ ego crediderim ancillæ tuæ. N E. Eras fortasis occupatior. P H I L. Imò suauiter ocioſus. N E. Rursum ænigmate torques. P H I. Dicam igitur explanate, nec aliud dicam ficum quàm ficum. N E P H. Dic. P H I L. Altum dormiebam. N E P. Quid ais? Atqui iam præterierat octaua, quũ sol hoc mense surgat ante quartam. P H I. Per me quidẽ soli liberũ est uel media nocte surgere, modo mihi liceat ad satietatem usque dormire. N E P H. Verum isthuc utrum casu accidit, an consuetudo est? P H. Consuetudo

ſuetudo prorſus. NE. Atqui rei non bonæ conſuetudo peſſima eſt. PH. Imò nullus eſt ſomnus ſuauior quàm poſt exortum ſolem. NE. Qua tandem hora ſoles lectũ relinquere? PH. Inter quartam & nonam. NE. Satis amplum ſpatium, uix tot horis comuntur reginæ. Sed unde uenisti in iſtam cõſuetudinem? PH. Quia ſolemus conuiuia, luſus, & iocos in multam proferre noctem, id diſpendij matutino ſomno penſamus. NE. Vix unquam uidi hominem te perditius prodigum. PH. Mihi parſimonia uidetur magis quã profuſio. Interim nec candelas abſumo, nec ueſtes detero. NEP. Præpoſtera ſanè parſimonia, ſeruare uitrum ut perdas gemmas. Aliter ſapuit ille philoſophus, qui rogatus quid eſſet precioſiſſimum, reſpondit tempus. Porrò quum conſtet diluculum eſſe totius diei partem optimam, tu quod in re precioſiſſima precioſiſſimum eſt gaudes perdere. PH. An hoc perit quod datur corpuſculo? NE. Imò detrahitur corpuſculo, quod tum ſuauiſſime afficitur, maximeq; uegetatur, quum tempeſtiuo moderatoq; ſomno reficitur, & matutina uigilia corroboratur. PH. Sed dulce eſt dormire. NE. Quid eſſe poteſt dulce nihil ſentienti? PH. Hoc ipſum dulce eſt, nihil ſentire moleſtiæ. NEP. Atqui iſto nomine feliciores ſunt qui dormiunt in ſepulchris. Nam dormienti nõnunquàm inſomnia moleſta ſunt. PH. Aiunt eo ſomno maxime ſaginari corpus. NE. Iſta glirium ſagina eſt, non hominum. Recte ſaginãtur animalia quæ parantur epulis, homini quorſum attinet accerſere obeſitatem, niſi ut grauiore ſarcina onuſtus incedat? Dic mihi, ſi famulum haberes,

utrum obesum malles, an uegetum & ad omnia munia habilem? PH. Atqui nō sum famulus. NE. Mihi sat est quod ministrum officijs aptum malles, quàm bene sagi natum. PH. Planè mallem. NE. At Plato dixit animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse quàm do micilium aut instrumētum. Tu certe fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionē, corpus ani mi ministrum. PH. Esto, si uis. NE. Quum tibi nolles ministrum abdomune tardum, sed agilem malles & ala crem, quur animo paras ministrū ignauū & obesum? PH. Vincor ueris. NE. Iam aliud dispendium accipe, ut animus longe præstat corpori, ita fateris opes ani mi longe præcellere bonis corporis. PH. Probabile di cis. NE. Sed inter animi bona, primas tenet sapientia. PHIL. Fateor. NEPHA. Ad hanc parandam nulla diei pars utilior quàm diluculum, quum sol nouus exo riens uigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, di scutitq; nebulas è uentriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare. PHI. Non repu gno. NE. Nunc mihi supputa quātum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis quas somno intempe stiuo perdis. PHI. Profecto multum. NE. Expertus sum in studijs plus effici una hora matutina, quàm tri bus pomeridianis, idq; nullo corporis detrimento. PH. Audiui. NE. Deinde illud reputa, si singulorum dierū iacturam in summam conferas quantus sit futurus cu mulus. PHI. Ingens profecto. NE. Qui gēmas & au rum temere profundit, prodigus habetur & tutorē ac cipit, hæc bona tanto precioſiora qui pdit, nonne mul

to tur

to turpius prodigus est? PHI. Sic apparet, si rem recta ratione perpendamus. NE. Iam illud expĕde quod scri ptsit Plato, nihil esse pulchrius, nihil amabilius sapiĕtia, quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui a= mores excitaret. PH. Atqui illa cerni nõ potest. NE. Fateor corporeis oculis, Verum cernitur oculis animi, quæ pars est hominis potior. Et ubi amor est incredibi lis, ibi summa uoluptas adsit oportet, quoties animus cũ tali amica congreditur. PHI. Verisimile narras. NE. I nunc & somnũ mortis imaginem cum hac uoluptate commuta si uidetur. PHI. Verum interim pereunt no= cturni lusus. NE. Bene pereunt quæ peiora melioribus, honesta præclaris, uilissima pretiosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud uertit in aurum. No= ctem natura somno tribuit, sol exoriens omne animan= tium genus, sed præcipue hominem ad uitæ munia reuo cat. Qui dormiũt, inquit Paulus, nocte dormiũt, Et qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Proinde quid turpius, quàm quum omnia animantia cum sole expergiscantur, quæ= dam etiam illum nondum apparentem, sed aduentantem cantu salutent, quum elephantus solem oriĕtem adoret, hominem diu post solis exortum sternere? Quoties au= reus ille splendor illustrat cubiculũ tuũ, nonne uidetur exprobrare dormienti, stulte, quid optimam uitæ tuæ partem gaudes perdere? Non in hoc luceo, ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis in uigiletis. Nemo lucernam accendit ut dormiat, sed ut aliquid operis a= gat, & ad hanc lucernam omnium pulcherrimam, nihil aliud quàm sternitis? PHI. Belle declamas. NEPHA.

Digitized by Google

Non belle, sed uere. Age nõ dubito, quin frequẽter audieueris illud Hesiodiũ, Sera in fundo parsimonia. PH. Frequentißime. Nã in dolij medio uinum est optimum. NE. Atqui in uita prima pars, nimirum adolescẽtia est optima. PHI. Profecto sic est. NE. At diluculum hoc est diei, quod adolescentia uitæ. An non igitur stulte faciunt, qui adolescentiam nugis, matutinas horas somno perdunt? PHI. Sic apparet. NE. An est ulla possessio quæ cum hominis uita sit conferenda? PH. Ne uuuersa quidẽ Persarũ Gaza. NE. An non uehementer odisses hominem, qui tibi uitam posset ac uellet malis artibus ad annos aliquot decurtare? PHI. Illi mallem ipse uitam eripere. NE. Verum peiores ac nocentiores arbitror, qui sibi uolentes reddunt uitam breuiorem. PHI. Fateor si qui tales reperiantur. NE. Reperiantur? imò id faciunt omnes tui similes. PHI. Bona uerba. NE. Optima. Sic tuo cum animo reputa, nonne uidetur rectißime dixisse Plinius, Vitam esse uigiliam, & hoc pluribus horis hominem uiuere, quo maiorẽ temporis partem impenderit studijs? Somnus enim mors quædã est. Vnde & ab inferijs uenire fingitur, & ab Homero mortis germanus dictus est. Itaq; quos somnus occupat, nec inter uiuos, nec inter mortuos censentur, sed tamen potius inter mortuos. PHI. Ita uidetur omnino. NE. Nunc mihi rationem subducito, quantam uitæ portionem sibi resecant qui singulis diebus tres aut quatuor horas perdunt somno. PHI. Video summam immẽsam. NE. Nonne pro deo haberes Alcumistam, qui posset decẽ annos uitæ summæ adijcere? & prouectiorẽ ætatẽ ad adole

ad adolescẽtiæ uigorem reuocare? PH. Quid ni habeã? NE. Sed hoc tam diuinum beneficium ipse tibi præstare potes. PH. Qui sic? NE. Quia mane diei est adolescentia, usq; ad meridiem feruet iuuentus, mox uirilis ætas, cui succedit pro senecta uespera, uesperam excipit occasus, uelut diei mors. Magnum autẽ uectigal parsimonia est, sed nusquam maius quàm hic. An non igitur ingens lucrum sibi adiunxit, qui magnam uitæ partem, eamq; optimã perdere desijt? PH. Vera prædicas. NE. Proinde uidetur admodum impudens eorum querimonia, qui naturam accusant, quod hominis uitam tam angustis spatijs finierit, quum ipsi ex eo quod datum est, sibi sponte tantum amputent. Satis longa est cuiq; uita, si parce dispẽsetur. Nec mediocris profectus est, si quis suo quæque tempore gerat. A prandio uix semihomines sumus, quum corpus cibis onustum aggrauat mentem, nec tutum est spiritus ab officina stomachi concoctionis officium peragentes ad superiora euocare: A cœna multo munus. At matutinis horis homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer uiget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena: dum auræ diuinæ, ut ait ille, particula spirat, ac sapit originem suam, & rapitur ad honesta. PHILY. Eleganter tu quidem concionaris. NE. Apud Homerum audit Agamemnon opinor, οὐ χρὴ παννύχιον ἕυδειν βουληφόρον ἄνδρα. Quanto turpius est tantum diei partem somno perdere? PHILY. Verum, sed βουληφόρω, Ego non sum dux exercitus. NEPH. Si quid aliud tibi charius est quàm ipse

f. Nõ decet per totã noctẽ dormire principem uirũ, seu imperatorem.

tibi, ne quid te moueat Homeri sententia. Faber ærarius ob uile lucellum surgit ante lucem: & nos amor sapientiæ non potest expergefacere, ut saltem solem ad lucrum inæstimabile euocantem audiamus? Medici non ferè dant pharmacum nisi diluculo. Illi norunt horas aureas ut subueniant corpori, nos eas non nouimus ut occupletemus ac sanemus animum? Quod si hæc leue pondus habent apud te, audi quid apud Solomonem loquatur cœlestis illa sapientia. Qui mane, inquit, uigilauerint ad me, inuenient me. Iam in mysticis psalmis, quanta matutini temporis commẽdatio? Mane prophæta extollit domini misericordiam, mane exauditur uox eius, mane illius deprecatio præuenit dominũ. Et apud Lucam Euangelistam, populus sanitatem ac doctrinam expetens à domino, mane ad illum confluit. Quid suspiras Philypne? PHILYP. Vix lachrymas teneo, quum subit quantam uitæ iacturam fecerim. NEPH. Superuacaneum est ob ea discruciari, quæ non reuocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potius, quàm ut præteritorum inani deploratione, futuri quoque temporis iacturam facias. PHIL. Bene mones, sed me iam sui iuris fecit diutina consuetudo. NEPH. Phy, Clauus clauo pellitur, consuetudo consuetudine uincitur. PHILY. At durum est ea relinquere, quibus diu assueueris. NEPHA. Initio quidem, sed eam molestiam diuersa consuetudo primum lenit, mox uertit in summam uoluptatem, ut te breuis molestiæ non oporteat pœnitere. PHIL. Vereor ut succedat. NEPH. Si septuagenarius esses, non retra-

herem

Digitized by Google

berem te à solutis, nunc uix decimumseptimum opinor annum egressus es. Quid autem est, quod ista ætas nõ possit uincere, si modo adsit promptus animus? PHI. Equidem aggrediar conaborq; , ut ex Philypno fiam philologus. NEPHA. Id si feceris mi Philypne, sat scio post paucos dies, & tibi serio gratulaberis, & mihi gratias ages qui monuerim.

ΝΗΦΑΛΙΟΝ ΣΥΜΠΟΣΙΟΝ.

ALBERTVS, BARTOLINVS, Carolus, Dionysius, Aemulius, Franciscus, Gyrardus, Hieronymus, Iacobus, Laurentius.

ALB. Vidisti ne unquam hoc horto quicquã amœnius? BAR. Vix opinor in insulis fortunatis esse quicquam iucũdius. CA. Planè mihi uideor uidere paradisum, cui custodem cultoremq; deus præfecerat Adam. DI. Hic uel Nestor uel Priamus posset repubescere. FRAN. Imò uel mortuus reuiuiscere. GY. Adderẽ lubens si quid possem tuæ hyperbolæ. HI. Profectò miris modis arrident omnia. IA. Oportet hunc hortũ aliqua compotatiuncula dedicare. LAV. Recte monet noster Iacobus. ALB. Talibus mysterijs iam olim initiatus est hic locus. Verum scito nihil hic esse unde uobis merendam exhibeam, nisi placet ἄοινον compotatio, lactucas apponam absque sale, aceto & oleo, uini guttula non est, nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidẽ adest aut poculum, & ea est anni pars, quæ magis pascit oculos, quàm uentrem. BA. Scd habes tabulas lusorias,

i. sine uino.

rias, habes ſphæras, luſu dicabimus hortum, ſi minus licet conuiuio. AL. Quoniã tam belli homunculi cõueni-mus, habeo quiddã quod uel luſum uel conuiuiũ poſsis dicere, mea ſententia multo dignius ad hunc hortũ inu-tiandũ. CA. Quod nam? ALB. Suum quiſq; ſymbolum cõferat, non deerit lautum nec minus ſuaue cõuiuium. AE. Quid adferemus, qui uacui huc uenerimus? AL. Vacui, qui tantũ opũ circumferatis in pectore? FRA. Expectamus quid uelis. ALB. Proferat in mediũ quod quiſque per hanc hebdomadam legit elegantiſsimum. GY. Recte mones, nihil uel huiuſmodi conuiuijs, uel te conuiuatore, uel hoc loco dignius. Te huius conſilij du cem ſequemur omnes. AL. Nihil recuſo, ſi uobis ita uide-tur. Hodie uehementer delectauit animum meũ in ho

Patiẽtia Phocionis. mune non Chriſtiano tam Chriſtiana ſentẽtia. Phocion enim, quo uix alius apud Athenienſes fuit uir ſanctior, publicæq; utilitatis ſtudioſior, quum per inuidiam dam natus, eſſet bibiturus cicutam, rogatus ab amicis, quid uellet etiamnum mandari filijs ſuis: ne huius, inquit, in-iuriæ uelint unquã meminiſſe. BAR. Tam inſignis pa-tientiæ exemplum uix hodie reperias inter Dominica-nos & Franciſcanos. Itaq; ſimile referam, quando par

Ariſtidis. non poſſum. Ariſtides Phocioni ſimillimus erat, mori-bus incorruptiſsimis, adeò ut uulgus illi iuſti tribueret cognomen. Ob huius cognominis inuidiam, uir optime de republica meritus, oſtraciſmo populi iuſſus eſt uer-tere ſolũ. Quum intellexiſſet populum nõ alia re offen-ſum, quàm iuſti cognomento, quum alioqui rem ſem-per expertus eſſet ſibi ſalutarem, paruit æquo animo. In

exilio

Digitized by Google

exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratissimæ ciuitati: nihil aliud, inquit, nisi tantum rerum prosperitatem, ut illis nunquam in mentem ueniat Aristides. C A. Mirum si Christianos non pudet sui, ad quamuis leuem iniuriam excandescentes, ac uindictã per fas nefasq; moliẽtes. Tota Socratis uita nihil aliud mihi uidetur, quàm temperantiæ ac tolerantiæ exemplum. Sed ne planè sim asymbolos, unum referam, quod mihi præ cæteris arrisit. Eunti publica uia, improbus quispiam colaphum impegit. Quũ id tacitus ferret Socrates, amici quidã hortati sunt ad ultionem. At ille, quid percussori faciam inquit? Voca, inquiunt, in ius. Ridiculum, inquit, si me asinus calcibus percussisset, num uobis autoribus, asinũ in ius traham? significans improbrum scurram nihilo potiorem asino, & infimi animi esse non posse ferre contumeliam ab homine uecordi, quã ferres ab animali bruto. D I O. Pauciora sunt in Romanis annalibus exempla moderationis, nec ea perinde insignia. Neq; enim opinor magnam habere laudem tolerantiæ, si quis parcat deuictis, & debellet superbos. Non arbitror tamẽ indignum memoratu, quod Cato senior, quũ Lentulus quidã in os illi sputum & oris purulentiã iniecisset, nihil aliud responderit, quàm posthac habeo quod illis respõdeã, qui negãt tibi esse os. Os autẽ Latinus habere negãtur, quos nihil pudet. Itaq; iocus est ex ambiguo. A E. Alijs arridẽt alia, mihi inter Diogenis dicta præclara quidem omnia, nihil magis adblanditur quàm quod rogãti cuidam, quo pacto maxime posset ulcisci inimicũ, si teipsum, inquit, quàm maxime probũ & honestum ui

Socratis.

Catonis.

Vlciscendus quomodo inimicus.

Digitized by Google

rum præstiteris. FRAN. Demiror quis Deus illis tales cogitationes muserit in mentem. Videtur autẽ et Aristoteli ad philosophia profuerit.

Aristotelis dictum ualde consentaneum Paulino dogmati, qui rogatus à quodã, Quid fructus sua illi philosophia attulisset, ut mea, inquit, sponte ea faciam, quæ pleriq; legum metu coacti faciunt. Docet enim Paulus, eos quos afflauit Christiana charitas, non esse legi obnoxios, eò quod plus præstant suapte sponte, quàm lex metu pœnæ

Matth. 9. Mar. 2. Luce. 4.

posit extorquere. FRANCI. Christus Iudæis obmurmurantibus quod cum publicanis & peccatoribus haberet etiam mensæ familiaritatem, respondit, non esse opus medico ijs qui recte ualerent, sed qui minus prospera essent ualetudine. Non abhorret hinc quod apud

Phocyon.

Plutarchum dixit Phocyon, qui quum reprehenderetur, quòd homuni illaudato, improboq; patrocinatus esset in iudicio, non minus festiuiter quàm clementer, Quid ni, inquit, quando nemo probus indiget tali patrocinio? GY. Et illud Christianæ bonitatis exemplum est, ad exemplum æterni patris & probis & improbis quantum licet benefacere, qui solem suum oriri iubet, nõ

Matth. 5.

solum pijs, sed etiam impijs: uerum admirabilius forsitan erit in rege moderationis exemplum, cum Demochares Demosthenis nepos, Athenienſium nomine legatione fungeretur apud Philippum Macedonum re-

Philippus rex Macedo.

gem, & impetratis quæ uolebat à rege dimitteretur, humaniter interrogante, si quid præterea uellet, ut te ipsum suspendas, inquit Demochares. Vox impotens odium arguebat, & rex erat, & bene meritus in quem iaciebatur conuicium, nec tamen incanduit, tantum ad

collegas

collegas conuersus, Vos, inquit, hæc renunciate populo Atheniensi, quo re cognita iudicet, utrum nostrum existimet præstantiorem, me qui hæc patienter audierim, an istum qui hæc dixit? Vbi nunc sunt orbis monarchæ, qui se dijs pares putant, & ob uerbum inter pocula dictum atrocia bella concitant? HIERON. Magnos impetus habet gloriæ sitis, multósque transuersos agit hic affectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, qua uia posset sibi compendio honestissimam comparare famam, si talem, inquit, præstiteris teipsum qualis haberi uis. IACO. Profecto non uideo quid dici possit uel breuius uel absolutius. Fama nō est affectanda, sed ea uirtutem ultrò comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiramini uiros, mihi puella Lacæna placuit, quæ quum in auctione uenderetur, licitator quidam adijt illam, Quid, inquiens, num proba futura es si te mercatus fuero? Etiam, inquit illa, si tu non fueris mercatus, indicans sese non in cuiusquam gratiam probitatem seruare, sed suopte ingenio uirtutem ipsius gratia sectari, quod uirtus ipsa sui precium est. LAVRENTIVS. Masculam sanè uocem ædidit puella. Cæterum insigne mihi uidetur exemplum aduersus fortunam quamlibet blandientem constantiæ, quod quum Philippo Macedonum regi, treis eximiæ felicitates eodem die nunciarentur, quod in Olympijs uicisset, quod Dux exercitus Parmenion prælio superasset Dardanos, quòd uxor Olympias ipsi filium esset enixa, sublatis in cœlum manibus precatus est, ut Deus tantam prosperitatem

pateretur

paceretur leui quopiam infortunio expiari. ALB. *Hodie nulla est tanta prosperitas, cuius inuidiam metuat quisquam, sed perinde iactant si quid successerit, quasi uel mortua uel surda esset Nemesis. Hæc merenda si uobis placet, hic hortulus eam uobis quoties uolueritis exhibebit, quem hoc colloquio non minus iucundo quàm frugifero dicastis.* BART. *Profecto nec Apitius potuisset discum suauiorem apponere. Quare nos expectabis frequenter, modo boni consulas quod nunc attulimus, non quæ digna erant tuis auribus, sed quæ nõ præmeditatis uenerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus.* ALB. *Hoc critis gratiores.*

ARS NOTORIA.

DESIDERIVS, ERASMIVS.

DE. *Quomodo succedunt tua studia Erasmi?* ER. *Musis, ut apparet, parum fauentibus, sed felicius succederent, si quiddam abs te queam impetrare.* DE. *Nihil non impetrabis, modo sit in rem tuam. Dic tantum quid rei sit.* ER. *Non dubito quin nihil sit artum recondi tarum quod te fugiat.* DE. *Vtinam uera prædices.* ER. *Audio artem esse quandam notoriam, quæ hoc præstet, ut homo minimo negocio perdiscat omnes disciplinas liberales.* DE. *Quid audio? Vidisti codicem?* ER. *Vidi, sed uidi tantum, quòd non esset doctoris copia.* DES. *Quid continebat liber?* ER A. *Varias animãtium formas, draconum, leonum, leopardorum, uariosq; circulos, & in his descriptas uoces partim Græcas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliasq; barbaricarũ linguarum.* DES I. *Intra quot dies pollicebatur titulus disciplina*

Digitized by Google

sciplinarum cognitionem? E R A. *Intra quatuordecim.* D E S I. *Magnifica sanè pollicitatio, sed nosti ne quenquam per istam artem notoriam euasisse doctum?* E R. *Nequaquam.* D E S I. *Neq; quisquam alius uidit unquã aut uisurus est, nisi posteaquàm uiderimus aliquem per Alcumisticam euasisse diuitem.* E R A. *Equidem optarim artem esse ueram.* D E S I. *Fortasse quod pigeat literas tantis sudoribus emere.* E R A. *Scilicet.* D E S I. *Atqui sic uisum est superis. Opes istas uulgares, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum nonnunquam largiuntur ignauis & immerentibus: sed quæ ueræ sunt opes, ac proprie nostræ sunt, uoluerunt parari laboribus. Nec oportet nobis uideri molestum laborem, quo res tanta paratur, quum cernamus plurimos homines, per horrenda discrimina, per non æstimandos sudores eluctari ad res & temporarias & planè uiles, si ad eruditionem conferantur, nec tamen semper assequuntur quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum mellis, si paululũ in ea processeris. Iam in te bona ex parte situm est, ut magnam tædiorũ partem amputes.* E R A S. *Quo nam pacto?* D E S I D E. *Primum, ut animum inducas amare studia. Deinde ut ea mireris.* E R A S. *Quibus rationibus hoc fiet?* D E S I. *Contemplare quàm multos ditarint, quàm multos ad summam dignitatem autoritatemq; prouexerint literæ. Simulq; tecum considera, quantum interfit inter hominem & pecudem.* E R A. *Probe mones,* D E S I D E. *Deinde cicures ingenium tuum oportet, ut possit secum consistere, atque his delectari, quæ utilitatem adferunt*

potius

Digitized by Google

potius quàm uoluptatem. Nam quæ per se sunt honestæ, etiam si initio nonnihil habent molestiæ, tamen assuetudine dulcescunt: ita fiet, ut & minus fatiges præceptorem, & ipsa facilius percipias, iuxta dictum Isocratic̃u, aureis literis in frõtispicio codicis tui pingendum, Ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθὴς. ERA. Satis adest celeritatis in percipiendo, sed mox effluit quod perceptum est. DESI. Itaque pertusum mihi narras dolium. ER. Haud multum aberras à scopo, Sed quid remedij? DE. Obturanda est rima ne perfluat. ERASMI. Quibus rebus? DESIDE. Non musco, neq; gypso, sed diligẽtia. Qui uoces ediscit non intellecta sententia, mox obliuiscitur, nã uerba, ut inquit Homerius, πτερόεντα sunt, facileq; auolant nisi sententiarum pondere librentur. Prima igitur cura sit, ut rem penitus intelligas, diu subinde tecum uerses ac repetas, & in hoc cicurandus est, ut dictũ est, animus, ut quoties opus est, cogitationi possit insistere. Nam si cui mens est adeo syluestris, ut in hoc cicurari non possit, haud quaquam est idonea literis. ERA. Isthuc quàm sit difficile, plus satis intelligo. DESI. Quisquis enim habet animum adeo uolubilem, ut nulli cogitationi possit immorari, nec diu potest audire loquentem, nec infigere memoriæ quod didicit, plumbo potest aliquid imprimi, quod maneat in loco: aquæ aut argento uiuo, quoniã assidue fluitat, nihil potest imprimi. Quod si possis in hoc ingenium tuum mansuefacere, quum assidue uerseris inter eruditos, quorum confabulationes quotidie tam multa proferunt digna cognitu, minimo labore disces quàmplurima. ERAS. Profecto

1. Si fueris cupidus discẽdi, eris discens, siue disces, multa.

1. Alata.

Digitized by Google

fecto sic est. DESIDE. *Nam præter sermones conuiuiorum, præter quotidiana colloquia, statim à prãdio audis octo lepidissima dicta, ex probatissimis autoribus selecta, Totidem à cœna. Iam mihi supputa quantum hæc summam conficiant in singulos menses & annos.* ER. *Magnificam, si possim meminisse.* DES. *Ad hæc quum nihil audias nisi bene Latine loquẽtes, quid obstat, quo minus intra paucos menses ediscas Latine, quum illitera ti pueri Gallicam aut Hispanicam linguam di= scant exiguo temporis spatio?* ERAS. *Sequar tuum consilium, expe= riarq; nũ possit hoc in= genium Musarũ iugo man suescere.* DE. *Ego aliam artem notoriam non noui, quàm cu= ram, amorem, & assidui= tatem.*

FINIS.

Digitized by Google

DES. ERASMVS ROTERODAmus, De utilitate Colloquiorum, ad lectorem.

DEO nũc in omnes & in omnia per uniuersum orbem grassatur comitata suis ἢ διαβολῇ, ut tutum nõ sit illum emittere librum nisi satellitio munitũ. Quãquàm quid satis esse tutũ posit, aduersus Sycophantæ morsum, qui uelut aspis ad uocem incantantis, ita ad omnem purgationem quamuis iustißimam, obturat aures? Prima pars huius operis, quæ mea fuit & non mea, temeritate cuiusdam erat ædita. Quam quum ingenti applausu, uiderem exceptam à studiosis, abusus sum affectu uulgari ad profectum studiorum. Quandoquidem nec medici semper ægrotis ministrant saluberrima, sed illis nonnihil concedunt ob hoc ipsum, quod uehementer appetant. Itidem mihi uisum est hoc genus illecebris inescare teneram ætatem, quæ iucundis facilius ducitur, quàm seriis, aut exactis. Itaque quod æditum erat repurgaui, deinde adieci quæ moribus etiam formandis conducerent, uelut irrepens in animos adolescentum: quos recte scripsit Aristoteles inidoneos auditores Ethicæ philosophiæ duntaxat eius, quæ seriis præceptis traditur. Quod si quis clamet indecorũ homini seni sic pueriliter ludere, nihil moror quàm pueriliter, modo utiliter. Et si laudãtur literatores ætate prouecti, qui puritiæ crustulis blãdiũtur, elemẽta uelint ut discere prima, mihi non arbitror uitio uerti debere, quod

re, quod simili studio iuuentutẽ illecto, uel ad elegantiã Latini sermonis, uel ad pietatem. Adde quod bona prudentiæ pars est nosse stultas uulgi cupiditates & absurdas opiniones. Eas arbitror satius ex hoc libello discere, quàm experientia, stultorũ magistra. Multis amara sunt grammatices præcepta. Aristotelis Ethice non est apta pueris. Theologia Scoti minus, ne uiris quidẽ admodum utilis ad parandam bonam mentẽ, & plurimum habet momenti gustum optimarũ rerum protinus insecuisse teneris animis. Et haud scio an quicquàm discitur felicius, quàm quod ludendo discitur. Est hoc nimirum sanctißimũ fallendi genus, per imposturam dare beneficiũ. Laudantur enim medici qui sic fallunt ægrotos. Et tamẽ si nihil hic aliud quàm nugatus fuissem uidebãtur laturi, nunc quoniã præter linguæ politiẽ inspersi quædam, quæ mentẽ instruant ad religionẽ, calumniantur, ac perinde quasi dogmata Christianæ professionis hic serio pronuncientur, ita syllabas etiã ad unũ excutiũt. Id quàm faciant inique, magis erit perspicuũ, ubi declararo colloquiorum aliquot non uulgarem utilitatẽ. Vt enim omittã tot serias sentẽtias medijs iocis admixtas, tot fabulas, tot historias, tot rerum naturas dignas cognitu. In colloquio de uisendo loca sacra, cohibetur superstitiosus & immodicus quorundam affectus, qui summam pietatem esse ducunt uidisse Hierosolymam, & huc per tanta terrarum mariq; spatia currunt senes episcopi, relicto grege, qui curandus erat, huc uiri principes relicta familia ac ditione, huc mariti relictis domi liberis & uxore, quorũ moribus ac pudicitiæ ne-

ceſſarius erat cuſtos, huc adoleſcentes ac fœminæ, non ſine graui diſcrimine morũ & integritatis. Quidã etiã iterũ atq; iterũ recurrunt, nec aliud faciunt per omnẽ uitã, & interim ſuperſtitioni, incõſtantiæ, ſtultitiæ, temeritati prætexitur religionis titulus, ac deſertor ſuorũ cõtra doctrinã Pauli ſanctimoniæ laudem aufert, ac ſibi quoq; pietatis omnes numeros expleſſe uidetur. Paulus 1. Tim. 2. intrepide pronũciat, Si quis autẽ ſuorum & maxime domeſticorũ curã non habet, fidẽ abnegauit, & eſt infideli deterior. Atq; hic Paulus loqui uidetur de uiduis, quæ liberos ac nepotes negligunt, idq; prætextu religionis, dum ſeſe mãcipant obſequijs eccleſiæ. Quid dicturus de maritis, qui deſtitutis teneris liberis, uxore iuuencula, idq; in re tenui, proficiſcũtur Hieroſolymam. Ex multis unicum exemplum proferam nec tam recens, ut metuenda ſit inuidia, nec tam uetus, quin nepotes ſuperſint, quos damni magnitudo non ſinit obliuiſci rei geſtæ. Vir quidã præpotens decreuerat ante mortem inuiſere Hieroſolymã, pio quidem animo, ſed parum felici conſilio. Rebus igitur ordinatis, facultatum omnium, uxoris quam grauidam reliquit, oppidorum & arcium curam tutelamq; cõmiſit Archiepiſcopo, ceu parenti. Vbi rumor allatus eſt hominem in ea peregrinatione periſſe, Archiepiſcopus pro parente geſſit prædonem, occupauit poſſeſſiones omnes defuncti, denique & arcem munitiorem in quam grauida confugerat ui expugnauit, & ne ſupereſſet ultor atrociſſimi facti, grauida confoſſa ſimul cum fœtu periit. Nonne pium erat tali uiro diſſuadere periculoſam

& non

Digitized by Google

& non neceſſariam profeßionem? Huius generis quàm multa comperiantur exempla, cæteris æſtimandum relinquo. Ne quid interim dicam de ſumptibus, quos ut fateamur non omnino perire, tamen nemo prudens nõ fatebitur in uſus longe meliores impẽdi potuiſſe. Quod autem ad religionem attinet, diuus Hieronymus laudat Hilarionem, quod cum eſſet Paleſtinus, & in Paleſtina uiueret, tamen ſemel duntaxat uiſerit Hieroſoly. ob loci uiciniam, ne uideretur contemnere loca ſacra. Si merito laudatus eſt Hilarion, quod abſtinuit ab Hieroſolyma tam uicinus, ne deum angusto loco claudere uideretur, ſemel tantum adierit, ob loci propinquitatem, ne quos offenderet, quid dicendum de his qui ex Anglia & Scotia tantis impendijs per tot diſcrimina petunt Hieroſolymam, præſertim domi relictis charißimis, quibus iuxta doctrinam Apoſtoli debent perpetuam curam? Clamat S. Hieronymus non magnum eſt Hieroſolymis fuiſſe, ſed bene uixiſſe magnum eſt. Et tamen ætate Hieronymi probabile eſt euidentiora ueſtigia ueterum monumentorum extitiſſe, quàm nunc extant. De uotis diſputationem alijs relinquo, tantum hoc agit colloquium, ne quis temere talia uota ſuſcipiat, id eſſe uerum declarant mea uerba: præſertim quum domi haberem uxorem, integra adhuc ætate, liberos & familiam quæ pendebat ex me & opera mea quotidiana alebatur, & cætera quæ ſequuntur. De uotis igitur ſuſceptis nihil dicam, niſi quod ſi ſummus eſſem pontifex non admodum grauate relaxarem obſtrictos. In ſuſcipiendis, quemadmodum fateor

Digitized by Google

fieri posse, ut aliquis cum fructu pietatis eat Hierosolymam, ita non dubitarem multis ex rerum circunstantijs dare consilium, ut eas impensas, tempus & operā insumerent in alia quæ propius cōducunt ad uerā pietatē. Hæc arbitror esse pia, eoq; considerata multorū uel leuitate, uel ignorantia, uel superstitione, uisum est super ea re monere iuuentutē, neq; uideo quos offendere debeat hæc admonitio, nisi forte quosdā istos qbus charior est quæstus quàm pietas. Nec illic dāno Pontificias indulgētias aut diplomata, sed taxo nugaciſsimū nugatorem qui ne cogitās quidē de corrigenda uita totā ſpem collocarat in condonationibus humanis. Hic ſi qs mihi cōsideret, quāta iactura pietatis nata ſit inter mortales, partim ex eorū uitio, qui proſtituunt Pontificias indulgentias, partim eorū culpa, qui illas ſecus quàm oportet accipiūt, fatebitur operæpreciū iuuentutē ſuper hac re cōmonitam eſſe. Verū hoc modo parū conſultum eſt cōmiſſionarijs. Audi ò bone, ſi uiri boni ſunt, gaudebūt eſſe monitos ſimplices, ſin potior eſt illis quæſtus quàm pietas: ualeāt. In colloquio de captandis ſacerdotijs, taxo eos qui Romā curſitant, uenantur ſacerdotia, cerebro graui iactura tum morū tum pecuniæ, eoq; deduco ſermonē ut ſacerdos pro cōcubina, lectione bonorū autorū ſemet oblectet. In militis confeſsione, taxo fācinora militū, & impiam militum confeſsionem, ut adoleſcentes ab eiuſmodi moribus abhorreant.

In monitis Pædagogicis doceo puerum uerecundiā ac mores ætati decoros. In pietate puerili, nónne pijs præceptis imbuo puerilem animum ad ſtudium pietatis?

Nam

Nam quod quidam arrodebant de cõfessione, mera fuit calumnia, cui iam pridem respondi. Doceo cõfessionem esse suscipiendam perinde quasi nobis esset instituta à Christo. Cæterum an id sit factum, nec refellere est animus, nec asseuerare, quod nec mihi satis persuasum est, nec alijs probare possim. Quod autem admoneo de genere uitæ sero deligendo, deq; seligendo sacerdote cui cõmittas arcana tua, iudicabam adolescentibus esse necessarium, nec uideo quur me debeat pœnitere. At sic erunt pauciores monachi & sacerdotes. Fortassis erũt sed meliores. Idẽ probabit quisquis uere monachus est. Porrò qui uenantur proselytos uel ad prædam, uel ob superstitionem, dignissimi sunt qui omnibus omnium scriptis traducantur, quò resipiscant.

In conuiuio prophano non damno constitutiones ecclesiæ de ieiunijs ac delectum ciborũ, sed indico superstitionem quorundam, qui his plus tribuunt quàm oportet, negligentes eorum, quæ magis faciunt ad pietatem, damnoq; eorum crudelitatem, qui hæc exigunt ab his, à quibus ecclesiæ mens non exigit. Item eorum præposteram sanctimoniam qui ex huiusmodi rebus condemnant proximum. Hic si quis reputet quanta ueræ pietatis lues hinc nata sit inter mortales, fatebitur uix aliam admonitionem esse magis necessariam, sed hac de re copiosius alibi respondebimus.

In conuiuio religioso, quũ omnes faciã alienos à sacris, omneis cõiugatos, satis doceo quale debeat esse cõuiuiũ omniũ Christianorum. Ad quam formam si sacerdotes quidam & monachi cõferant sua conuiuia intell

Digitized by Google

gent quantum absint ab ea perfectione, qua cõueniebat illos laicis antecellere. In Apotheosi docco quantum honoris debeatur egregijs uiris, qui suis uigilijs bene meriti sunt de liberalibus studijs. Sunt inepti, quibus colloquiũ proci & puellæ uideatur lasciuũ, quũ nihil fingi possit castius. Si res honesta est matrimonium, & procum agere honestũ est. Atq; utinam omnes proci tales essent qualem hic fingo, nec alijs colloquijs coirent matrimonia. Quid facias istis ingenijs, tetricis, & ab omnibus gratijs alienis, quibus impudicũ uidetur quicquid amicum est ac festiuum? Hæc puella negat proco discessuro osculum, quo totam uirginitatem illi seruet illibatã. Quid autẽ nunc uulgò non dant puellæ procis? Deinde nõ uidẽt quàm multa philosophica sint inspersa iocis, de non præcipitando cõiugio, de delectu non solũ corporum, sed multo magis animorum, de firmitate coniugij, de non contrahendo matrimonio sine consensu parentum, de caste colendo matrimonio, de sancte educandis liberis: postremo puella comprecatur Christum, ut illius auspicijs sit felix connubium. An hæc non conuenit scire iuuenes? Et qui hanc lectionem ob lasciuiam putant esse noxiam pueris, patiuntur illis prælegi Plautum & facetias Pogij. Præclara iudicia.

In uirgine Misogamo detestor eos qui adolescentes aut puellas inuitis parentibus pelliciũt in monasterium, abutentes illorũ uel simplicitate uel superstitione, persuadẽtes eis nõ esse spẽ salutis extra monasteria. Ni si talibus piscatoribus plenus est mundus, nisi innumera felicissima ingenia per istos infelicissime sepeliuntur ac

Digitized by Google

defodiuntur uiua, quæ fuissent electa uasa domini, si iudicio sumpsissent institutum naturæ congruens, non recte admonui: at si quando cogar in hoc argumento proferre quod sentio, sic depingam & plagiarios illos & ipsius mali magnitudinẽ, ut nullus non fastuosus sit me nõ sine causa hæc monuisse, quanquam ciuiliter, ne malis detur ansa delinquendi. In proximo colloquio, nõ induco uirginẽ quæ professa mutarit institutum, sed quæ ante peractam professionẽ redierit ad parentes quos habebat optimos. In Mempsigamo quàm multa sunt philosophica, de cælandis maritorum uitijs, de nõ interrumpenda coniugum beneuolentia, de farciendis offensis, de corrigendis maritorum moribus, de obsequijs erga maritos. Quid aliud docet Plutar. Aristot. & Xenophon, nisi quod hic personis uitam quandã addunt orationi. In colloquio militis & cartusiani, simul depingo, & insaniam iuuenum qui procurrunt ad bellum & pij Cartusiani uitam, quæ sine studiorum amore non potest non esse tristis & inamœna.

In pseudocheo depingo quorundam ingenia, qui nati sunt ad mentiendũ, quo quidẽ hominum genere nihil execrabilius. In colloquio adolescẽtis & scorti, nonne & lupanaria facio casta? Quid autẽ dici potuit efficacius uel ad inserendum adolescẽtum animis pudiciciæ curam, uel ad reuocãdas ab instituto non minus æruminoso quàm turpi puellas ad quæstum expositas? Vnica uox commouit quosdam, quod impudica puella blandiens adolescenti uocat illum suam mentulam, quum hoc apud nos uulgatissimum sit etiam honestis

matronis. Hoc qui ferre non potest, pro mea mentula scribat, mea uoluptas, aut si quid aliud mauult.

In conuiuio poëtico doceo cuiusmodi debeat esse cõ uiuium inter studiosos, parcum sed festiuum & hilare, Cõditum literatis fabulis, sine rixis, sine obtrectatione, sine turpiloquio.

In inquisitione doceo summam catholicæ professionis, idq; aliquanto uiuidius ac liquidius quàm docent Theologi magni nominis, inter quos pono & Gersonem, quẽ interim honoris causa nomino. Ideo porrò fingo personã Lutherani, quo facilius redeant in concordiã, inter quos de præcipuis articulis orthodoxæ professionis cõuenit. Etiam si reliquã inquisitionis partem non addidi, propter hæc exulceratißima tempora.

In senili colloquio quàm multa uelut in speculo exhibentur, quæ uel fugienda sunt in uita, uel uitam reddunt tranquillam. Hæc præstat adolescentes ex festiuis colloquijs quàm experimentis discere. Socrates philosophiam è cœlo deduxit in terras, ego philosophiam etiam in lusus, confabulationes, & compotationes deduxi. Oportet enim & ludicra Christianorum sapere philosophiam.

In ptcchoplusijs, Quàm multa sunt ad quæ pastores rusticani, rudes & indocti, nihilq; minus quàm pastores poßint suam uitam corrigere? Præterea quæ ad tollendam stultam gloriam uestium, rursus ad coherccndã illorum insaniam qui monachorum cultum execrantur, quasi per se mala sit uestis. Et obiter describitur forma, quales debeant esse monachi qui per ucos obambulant

Digitized by Google

obambulant. Neq; enim admodũ multi tales sunt quales hic describo.

In erudita puella, simul & Paulæ, Eustochij, Marcellæ, uetus exemplum renouo quæ cũ integritate morũ coniunxerunt studium literarum, & Monachos Abbatésq;, sacrorum studiorum osores, luxui, ocio, uenationibus aleæq; deditos, puellæ coniugatæ exẽplo extimulo, ad aliud studiorum genus ipsis magis congruens.

In spectro detego technas impostorũ qui credulis simpliciũ animis solent illudere, fingentes apparitiones dæmonum & animarum, uocesq; diuinas. Quantum uero pestem hæ præstigiæ inuexerunt pietati Christianæ. Quoniam autem rudis ac simplex ætas huiusmodi fraudibus potißimum est obnoxia, uisum est exemplo nõ ina mœno depingere modum impostur e. Sic impositum fuit Celestino pontifici Romano. Sic Bernæ delusus iuuenis à monachis. Sic commentitijs oraculis & hodie plurimi deluduntur. Huic affinis est magia, & eodem nomine, sed cognomine blandiens naturalis.

Nec minima pars humanarum calamitatũ est Alcumistica, quæ doctis etiam & cordatis uiris imponit, adeo morbus hic adlubescit, si quẽ corripuerit. Simules impostiuras taxo in Hippoplano & Ptochologia, rursus in conuiuio fabuloso. Ex his si nihil aliud discerent pueri quã Latine loqui, quãto plus laudis mea mererctur industria, qui per lusum ac uoluptatem id facio, quã illorum, qui miseræ iuuẽtuti Mãmetrectos, Brachylogos, Catholicõtas, & significandi modos obtrudebant.

In puerpera, præter naturalium rerum cognitionem,

quàm multa sunt moralia, de cura matrum erga liberos primum infantes, mox grandiores.

In peregrinatione religionis ergò, taxo istos qui per tumultum eiecerũt omnes imagines è templis, rursus eos qui insaniunt in peregrinationes, quæ suscipiuntur prætextu religionis, unde iam & sodalitates inuentæ sunt. Qui Hierosolymæ fuerunt, equites aurati uocantur, seq; fratres uocant, & in die palmarum serio rem agunt ridiculam, sine trahentes asinum, ipsi non multum differentes ab asino ligneo quem trahunt. Id imitati sunt qui Compostellam adierunt. Dentur hæc sanè, dentur affectibus hominum, at non ferendum, quod hinc sibi uindicãt pietatem. Notantur & ij, qui reliquias incertas pro certis ostendunt, qui his plus tribuũt quàm oportet, qui quæstum ex his sordide faciunt.

In Ichthyophagia tracto quæstionem de constitutionibus humanis, quas quidam prorsus reijciunt, multum aberrantes à recta ratione, quidam propemodum anteponunt diuinis legibus, rursus alij abutuntur, & diuinis & humanis constitutionibus ad quæstum ac tyrannidem. Conor itaq; partem utranq; ad moderationem tẽperare, inquirens unde natæ sint & quibus gradibus huc usq; progressæ cõstitutiones humanæ, quos et quatenus obligent, ad quid cõducant, quantum distent à diuinis, obiter indicans præpostera mortalium iudicia quibus tam olim mundus plenus est, & unde totus hic orbis tumultus natus est. Hæc ideo quoque tractau copiosius, quo doctis suppeditarem occasionem accuratius hisce de rebus scribendi. Nam quæ adhuc prodierunt

non

Digitized by Google

non satisfaciunt curiosis. Traducere scortationem, tumulentiam, adulterium, non perinde ad rem pertinebat, quandoquidem hæc mala nullum fallunt. Sed ex his est periculum ueræ pietatis, quæ uel non sentiuntur, uel sanctimoniæ fallaci specie blandiuntur. Quod si quis calumnietur personis sordidis affingi Theologicam disputationē, ab his talia nunc in omnibus cōuiuijs disputantur, & huiusmodi personis opus erat, familiarius crassiusq; rem tractaturo.

In funere, quoniam mors arguere solet Christianam fiduciam, in duobus idiotis depinxi diuersum mortis genus, uelut imagine uua ponens ob oculos dissimilem excessum eorum qui fidunt rebus commentitijs, & qui spem salutis fixerunt in misericordia domini: obiter taxans diuitum stultissimam ambitionem, qui luxum ac superbiam suam & ultra mortem proferunt, quam mors saltem debebat auferre, simul eorum perstringens uitium, qui sui compendij gratia stultitia locupletum abutuntur, quam ipsi potissimum debebant corrigere. Quis enim audebit libere monere potentes ac diuites, si monachi qui se profitentur mundo mortuos, palpantur illorū uitijs? Si nulli tales sunt quales descripsi, tamen ostensum est exemplum quod oportet uitari, sin uulgo referuntur longe his quæ proposuimus execrabiliora, qui sunt æqui, meam agnoscant ciuilitatem, suumque uitium corrigant, & si uitio uacant ipsi, alios peccantes uel emendent, uel coherceant. Nullum ordinem perstrinximus, nisi forte totum Christianismum infamat, qui quicquam mo-

nendi gratia dixerit in corruptos Christianorum mores. Quos tantopere mouet honos ordinis, eos in primis compescere debebant, qui palàm factis suis dehonestant ordinem. Nunc quum illos ut germanos sodales agnoscant, foueant, ac tueantur, qua fronte causantur à bene monẽte lædi existimationẽ ordinis? Quanquã quæ ratio dictat, sic habendam huius aut illius humanæ sodalitatis rationem, ut publicam Christianorum utilitatẽ negligas?

In differentia uerborũ ac rerũ, taxo præpostera quorundam iudicia.

In conuiuio uario, commonstro rẽ ciuilitati congruam.

In Charonte detestor bellum inter Christianos.

In synodo grãmaticorum rideo studiũ cuiusdam Cartusiani, suo iudicio doctißimi, qui quũ in Græcas literas soleat stolidißime debacchari, nunc libro suo indiderit Græcũ titulũ, sed ridicule, anticomaritas dicẽs, quos appellare poterat antimarionos, uel antidicomarianos.

In Cyclope taxo quosdã qui euãgeliũ semper habent in ore, quũ in uita nihil sit euangelicũ. In coniugio impari, pono ob oculos uulgi stultitiam, qui in spõsalibus supputãt dotis modum, nec ad rationem uocant sponsi scabiem lepra deteriorem. Atq; id hodie fit tam passim ut nemo miretur, quum nihil sit in liberos crudelius. In ementita nobilitate depingo genus hominum, qui sub umbra nobilitatis existimant sibi nihil non licere, quæ præcipua pestis est Germaniæ.

In Senatulo traducturus eram uitia quædam mulierũ, sed ciuiliter, ne quis expectet tale quippiam quale habet Iuuenalis. Verum hoc agenti, obortus est quidam

ἱππεὺς

ἴππος ἄνθρωπος, lupus, ut aiunt, in fabula. Reliqua ferè cõparata sunt ad uoluptatẽ, sed non illiberalẽ. Non hoc est dehonestare ordines, sed erudire. Quapropter omnibus ordinibus, & priuatim & publice rectius cõsultũ fuerit, si deposita quiduis calũniandi rabie candidis animis amplectamur omnes, quicqd pio studio in publicã utilitatẽ adfertur. Alijs aliæ sunt dotes, & alios alia capiunt, milleq; modis homines trahũtur ad pietatẽ. Laudatũ est Iuuenci studiũ, qui sacram Euãgeliorũ historiam carmine prodidit. Nec sua laude fraudatus est Arator, qui idẽ fecit in Acta apostolorũ. Aduersus hæreticos tubam intendit Hilarius, argutatur Augustinus, Hieronymus dialogis pugnat. Prudẽtius uario metri genere dimicat. Thomas & Scotus dialectices ac philosophiæ præsidijs pugnat. Simile studiũ omniũ, sed dißimilis singulorũ ratio. Non reprehenditur diuersitas, quæ scopũ eundẽ petit. Prælegitur pueris Petrus Hißpanus, quo dociliores ueniant ad Aristotelẽ. Multũ enim promouit qui gustũ dedit. Atqui hic libellus, si teneræ pubi prælegatur, tradet illos ad multas disciplinas magis habiles, ad poëticen, ad rethoricen, ad Physicen, ad Ethicen, demũ ad ea quæ sunt pietatis Christianæ. Stulti pso nã suscepi, factus ipse mearũ rerũ Encomiastes, sed huc me cõpulit, partim quorundã improbitas nihil non calumniatiũ, partim Christianæ iuuentutis utilitas in quã oportet omnes omnibus studijs incumbere.

Hæc ita quũ habeant, omnibusq; qui literas didicerunt pspicua sint, est tñ quoddã hominũ genus mire bliteon, deputatos appellant Galli, opinor qđ male putati sint,

sint, aut certe plus satis putati, q sic pronũciãt de meis colloquijs, opus esse fugiendum præsertim monachis, quos illi religiosos appellant, & adolescentibus eo quod ieuunia & abstinentiæ ecclesiæ paruipenderentur, beatæ uirginis & sanctorum pro ludibrio haberentur suffragia, uirginitas si cõiugio conferatur, nullius esse aut parui momenti, religionis etiam dissuaderetur omnibus ingressus, quodq; in eo arduæ difficilesq; Theologiæ quæstiones grammaticulis proponantur, contra statuta per magistros in artibus iurata. Agnoscis mi lector atticã eloquentiam. Vt ad postremum primo loco respondeam, quid artium magistri proponant grammaticulis, nescio, quæ tractãtur in colloquijs, de symbolo, de missa, de ieuunijs, de uotis, de confessione, nihil habent theologicæ difficultatis, sed eius generis sunt, ut non oporteat ea quenquam nescire. Et si pueris præleguntur epistolæ Pauli, quid periculi est si gustus quidam illis præbeatur Theologicæ disputationis? Ad hæc quum non ignorent pueris sophistices candidatis perplexas de personis diuinis statim quæstiones summæ difficultatis proponi, ne dicam ociosæ subtilitatis, quur nolũt pueros hoc discere, quod ad communem uitam pertinet? Iam si putant nihil referre, quid sub qua persona dicatur, intelligunt opinor, quàm multa comperiantur in euangelicis & apostolicis literis, quæ secundum hanc legem manifestam habent blasphemiam. Multis locis approbo ieiunium, nusquàm dãno. Qui secus asseuerat, eum declarabo impudẽtissime mẽtiri. Sed in pietate puerili, inquiũt, legũtur hæc uerba, Cũ ieiunio mihi nihil est negocij. Finge hæc uerba dici

ba dici ſub perſona militis aut temulenti, num protinus Eraſmus damnat ieiunia? Non opinor. Nunc dicũtur ab adoleſcente nõdum adulto, quam ætatem lex nõ obſtringit ad ieiunandum. Et tamen is adoleſcens præparat ſe ad iuſta ieiunia. Sic enim ſubijcit, Sed tamen ſi ſenſero opus, prãdeo cœnoq; parcius, quo me præbeã alacriorem ſtudijs pietatis per diem feſtum.

Abſtinentias uero quàm damnem, declarant hæc uerba quæ ſunt in conuiuio prophano, In pleriſq; non res, ſed animus diſcernit nos à Iudæis. Illi manum abſtinebant à certis cibis uelut ab immundis & animum inquinaturis: Nos quum intelligamus omnia munda eſſe mundis, tamen carni laſciuienti uelut equo ferocienti pabulum ſubducimus, quo magis ſit audiens dicto ſpiritui. Nonnunquàm immoderatũ ſuauium rerũ uſum abſtinẽtiæ moleſtia caſtigamus. Paulò poſt reddit rationẽ quare eccleſia interdixerit eſum quorundã ciborũ: omnibus, inquit, conducet. Nam tenuibus, cochleis aut ranis licebit ueſci, aut cepas porrúmue arrodere, mediocres detrahent nonnihil quotidianis obſonijs, quod ſi quid diuites deliciantur hac occaſione, ſuæ gulæ imputent, nõ incuſent eccleſiæ conſtitutionem. Mox loquor his ſimulia. Rurſus aliquanto poſt, ſcio medicis magnopere damnatum eſſe piſcium eſum, ſed ſecus uiſum eſt maioribus noſtris, quibus obtemperare religioſum eſt. Inibi protinus doceo hic uitandum etiam offendiculum infirmorum.

Aeque falſum eſt in colloquijs irrideri ſuffragia beatæ uirginis & aliorum ſanctorum, ſed illos

uridea

Digitized by Google

irrideo qui petunt à sanctis, quæ non auderent à bono uiro petere, aut hoc animo petunt à certis diuis, quasi hoc aut illud hic aut ille citius uelit aut possit præstare quàm alius, aut quàm ipse Christus. Imò in puerili pietate, sic loquitur puer: salutem dixi nõnullis, quibus? Christo ac diuis aliquot. Et aliquanto post. Rursus tribus uerbis saluto Iesum, ac diuos diuasq; oẽs, sed nominatim uirginem matrem, tum eos quos habeo mihi peculiares. Et infra commemorat nominatim quos diuos salutet quotidie.

Mirum uero si procus amãs laudat nuptias, dicitq; castum coniugium non multum abesse à laude uirginitatis, quum Augustinus patriarcharũ polygamiam anteponat nostro celibatui.

Quod obijciunt de ingressu religionis, quàm sit manifestæ uanitatis declarant mea uerba in uirgine Misogamo: sic enim loquitur uirgo, Damnas igitur hoc totum uitæ institutum? Respondet iuuenis. Nequaquàm, uerùm quemadmodum nemini suadere uelim, ut quæ se in hoc uitæ genus coniecerit, luctetur emergere, ita non dubitem hortari puellas omneis, præsertim indolis generosæ, ne se temere eò præcipitent, unde post sese non possint explicare. Hæc est illius colloquij conclusio, utcũq; certatum est argumentis. Obsecro, an hoc est omnibus dissuadere ingressum religionis? Non damnatur ingressus, sed præceps temeritas damnatur. Hæc igitur malicio se detorquent ad calumniam.

At non perpendunt quàm multa illic discunt grammaticuli, quæ pugnant cum decretis Lutheranorũ. In puerili

Digitized by Google

rili ætate traditur ratio bene & utiliter audiendi miſſam. Docetur ratio bene & efficaciter confitendi. Admonetur puer ut antequàm ſumat euchariſtiam, confeſſione purget animum. Ibidē docentur grāmaticuli, quæ recepta ſunt uſu populi Chriſtiani, quum tamen in ſacris literis non habeātur, hactenus eſſe ſeruanda, ne cui ſimus offendiculo. In prophano cōuiuio docētur, magis obtemperandū Pontificū cōſtitutionibus quàm medicorū cōſilijs, tantū admonentur, in neceſsitate ceſſare uigorē cōſtitutionis humanæ, & mentem legislatoris. Ibidē probat quiſpiā benignitatē in monachorum collegia, modo detur ad uſum, nō ad luxum, & potiſsimū detur religionis diſciplinam obſeruantibus.

De cōſtit. humanis hæc pronūciantur in colloquio ἰχθυοφαγία, Pugnent qui uolent, ego cenſeo leges maiorū reuerenter ſuſcipiendas & obſeruandas religioſe, uelut à deo profectas, nec eſſe tutū, nec eſſe piū, de potestate publica ſiniſtram concipere aut ferere ſuſpicionē. Et ſi quid eſt tyrannidis, quod tamen non cogat ad impietatem, ſatius eſt ferre, quàm ſeditioſe reluctari. Huiuſmodi permulta grammaticuli diſcunt ex meis colloquijs, quibus ſic obmurmurant iſti. Sed indecorum eſt Theologum iocari, ſaltē hoc mihi concedant apud pueros, quod ipſi permittunt ſibi uiri apud uiros in ueſperijs, ut uocant rē inſulſam inſulſo uocabulo.

Inſulſas calūnias quas in Hiſpanijs obiecere quidā, oſtendi mera eſſe ſomnia hominum nec ſobriorum nec latine ſcientium, Nec minus indoctum eſt, quod quidam pronunciauit hæretice dictum, quod in ſymbolo pater

dicitur

dicitur simpliciter autor omnium. Verũ is deceptus inscitia latini sermonis, existimat autorẽ nihil aliud quàm creatorem aut fabricatorem significare. Atqui si consulat eos qui callent elegantiam Romani sermonis, si euoluat Hilarium aliosq; uetustos autores, comperiet autoritatem accipi pro eo quod scholastici uocant rationẽ perfectißimã principij, eoq; patri peculiariter tribuũt, & autoris nomine sæpe designant patrem, quum personas inter se cõferunt. An pater recte dicatur causa filij, nihil mea refert, quum nunquàm eo uerbo sim abusus, nisi quod illud est uerißimũ, nos de deo nõ posse loqui nisi uerbis improprijs, nec magis proprium uerbum est fons aut principium aut origo quàm causa.

Iam hinc mihi perpende lector quales sint interdũ, qui suis sententijs homines pertrahunt ad incendium. Nihil turpius quàm reprehendere quod nõ intelligas. At ista quiduis calumniandi febris, quid aliud gignit quàm amarulentiã ac dißidia? Quin potius aliena candide interpretemur, nec statim nostra pro oraculis haberi uelimus, nec eorum iudicia pro oraculis ducamus qui quod legunt nõ intelligũt. Vbi in cõsilio est odiũ, ibi cæcum est iudicium. Pacificator uniuersorũ spiritus, qui suis organis uarijs utitur modis, faciat nos omnes concordes & unanimes, in sana doctrina, sanctisq; moribus, quo contingat pariter ad cœlestis Hierosolymæ, quæ nescit ulla dißidia, consortium peruenire, Amen. Anno M. D. XXV I. xij. cal. Iunias. Basileæ.

Index

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1897

Digitized by Google

Abbatis & eruditæ pag. 305
Αγαμος γάμος 514
Alcumistica 321
Apotheosis Cap. 161
Απροσδιόνυσα 533
Ασγαγαλισμός 543
Ars notoria 372
Charon 503
Conuiuium fabul. 339
Conuiuium poëticum 241
Conuiuium prophanum 83
Conuiuium religiosum 115
Copiæ compendium 109
Cyclops 526
Deambulatio 20
De captandis sacerdotijs 32
De itinere 17
De rebus ac uocabulis 498
De ualetudine 12
De uotis temere susceptis 28
Diluculum 560
Diuersoria 229
Echo 490
Epithalamiũ Petri Egidij 306
Euntes in ludum literariũ 67
Exorcismus 312
Funus 470
Γεροντολογία 272
Herilia iussa 39
Hippoplanus 330
Impostura 525
Inquisitio de fide 260
Ιχθυοφαγία 411
Ιππεὺς ἄνιππος 534
Lusus puerlles 44
Militis & Cartu. 209
Monita pædagogica 43
Naufragium 220
Νηφάλιον συμπόσιον 567
Percontantis domestica 19
Percontantis de uarijs 14
Percontantis reducem 18
Peregrinatio 377
Pietas puerilis 53
Πολυδαιτία 492
Proci & puellæ 168
Pseudochei & Philetymi 209
Πτωχολογία 334
Πτωχοπλούσιοι, Frãcis. 286
Puerpera 355
Scnatulus 552
Scorti & adolescent. 236
Synodus gramm. 509
Venatio 66
Virgo μισόγαμος, id est, abhorrens à nuptijs 181
Virgo pœnitens 191
Vxor μεμψίγαμος 194

FINIS.

Digitized by Google

VIRTVTE DVCE,

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te

Nos facimus Fortuna deam, cœlóq; locamus.

COMITE FORTVNA.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1891

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google